AQVILA FRANCA,

SVB QVA

FRANCONES IMPERATORES

A CONRADO II. SALICO vsquè ad LOTHARIVM II.

OCCIDENTIS IMPERATOREM XX.

ELOGIIS, HIEROGLYPHICIS, Numismatibus, Insignibus, Symbolis, Imaginibus Antiquis ad viuum exhibentur exculpti, & longa historiarum serie exarati.

Vt nihil relictum sit, quod prisci, vel hodierni habeant annales;

Sed Diplomata, Leges, Indulta, Genealogiæ, Donationes, Priuilegia offeruntur congesta.

INSERVNTVR ET REGVM PRINCIPVMQVE Imagines, Nummi Honorarij, Castrenses, Triumphales, Votiui, Missiles, &c. qui sanguine, fœdere, bello Imperatoribus iuncti, occurrunt in Opere.

Accedit cuique Cæsarum tractatus Sacrolegalis, & Historicopoliticus, Historicis, Concionatoribus, I. Consultis, atquè expolitæ eruditionis studiosis perutilis, & necessarius.

AVCTORE

IOANNE PALATIO

I.V.D. in Veneto Gymnasio Professore Publico, &c.

SVPERIORVM PERMISSV.

VENETIIS, M. DC. LXXIX.

Ex Typographia Andreæ Poleti.

SVMPTIBVS AVCTORIS.

Prostant sub Signo Fortunæ, & Nauis, aliorumque.

REVERENDISSIMO ac CELSISSIMO

S. R. I. PRINCIPI D. D.

PETRO PHILIPPO

DEZENBACHIO.

Episcopo Bambergæ, & Herbipolis Duci Franconiæ.

D. D. D. IO: PALATIVS.



Ingula in trutinam rediijt Bamberga Nobilis, *iuxta vaticinium* Henrici Claudi Imperatoris, & Sancti. *Cauete exitium facinorosi, tumidi si qui inter vos sunt, vel eſſe poſſunt, vbi imperium & ſacerdotium amicè coeunt, & vnà conſpirant in Epiſcopo regali, in Rege ſacerdotali.*

Rex idem hominum, Phœbique ſacerdos

Romanis erat, ſed ad firmamentum potentiæ; vobis ad animarum ſalutem, ad ſalutis ſplendorem, non in regnum ſed in officium. Aquila inter vos enutrita Romana ex quinquaginta Cæſaribus, quos Occidenti præpoſuit, vnum habens Sanctum *Henricum, ſanctioremque non habens in vrbe locum, vbi ſacros deponeret imperij theſauros, vobis obtulit cuſtodiendos, vnde Bamberga poſteris diceretur* Ciuitas Sancti. *Hinc, in delicijs Sanctitatis Aquila enutrita, non euolaſſet; ni Regum Regis eſſet ludere in Orbe terrarum; & regna omnia periodica dicere præter ſuum, quod ſine fine, quia ſine principio, & ſine principio, quia in Principio fuit. Inuidit Roma, inuidit Orbis, cum Orbem vidit in Francia reclinari. Sex Imperatorum Franconia mater ſacro ſub paſtore reſurgens, Ezechielis venit in curru. Aquila Imperium comodat; Bamberga Leonem, Francia hominem. Deeſt Angelus? Hunc dabis* Petre Philippe Dezenbachi, *& quia non inermem cupio, vt Cæſarum tuorum cuſtodiat cineres, & faſtos protegas, accingere gladio tuo ſuper fœmur tuum potentiſsime.* Herbipolis namque ſola iudicat enſe, & ſtola. *Qualia ſint arma? Euangeliſta reponit,* In ore Gladius, Stellæ in manu. *Gladius doctrinæ, quam Romæ* Petrus *iuxta petram probaſti apud* aquas Contradictionis. *Stellæ ſanctitatis quæ velut in arundineto diſcurrunt. Gladius Sapientiæ; quo aureum reuocaſti ſæculum, nam illo ſæculo, quod aureum perhibetur penes Sapientes fuiſſe regnum* Poſſidonius *indicat. Stellæ Iuſtitiæ, Religionis, Pietatis quibus diuina colere, humana diligere, & penes Deum imperium eſſe, & inter homines docuiſti conſortium. Quanta vobis fœlicitas* Franci, *inter quos, Potentior eſt, qui melior.*

Francones, Petrus, vobis hæc otia fecit.

Qui tantum poteſt, quantum vult; quia ſe niſi quod debet, non putat poſſe. Omnia poteſt, quia vult in ſolatium ſubditorum, in tutelam viduarum, in ſuffragium pauperum, in legis obſeruantiam. Hoc cum Deo commune habet,

bet, quod ferens principatum in humeris solutus legibus, legibus viuere profitetur. Comes, Princeps, Dux, ambitiosæ Maiestatis tituli facti sunt monimenta virtutis, quod Patriæ prius appareret pater, quàm princeps. Felix patria, vbi principi non est pro honestate voluptas, sed bonum quod honestum, & cuius pretium non posse pretio capi. Hæres Maiestatis antiquæ, de suo addidit innocentiam, peccare nolens, vt populus errare nesciat. Prospicite de Cælo Cæsares, & in vna petra, vel Petro nouam plaudite Imperij, & Sacerdotij concordiam.

Augustissimi vos Henrici, Conradi, Lotharij *date manus, vestro Duci, vestro Patri, cuius sub imperio etiam post fata superstites vel in cinere triumphatis. Ego aduena, & peregrinus epinicia canam in terra aliena.* Gloriosi Franconiæ Cæsares sub Optimo Principe Petro Dezenbachio surrexerunt. *Tibi verò celsissimo Præsuli :Felix faustumque tuum ex eo viator metiatur imperium, quòd* te regnante etiam mortui resurgunt.

MONARCHIÆ OCCIDENTALIS
LIBER DECIMVSSEXTVS.
CAPVT PRIMVM.

CONRADVS II. SALICVS
OCCIDENTIS IMPERATOR XVI.

1.25. *Cōradus II. abhorret fraude vincere 6. educatur à S. Burchardo 7. cōsanguineis inuisus. 8. an Sueuus fuerit. 9. Gisellā rapit. 10. à S. Henrico designatur succeßor, per iocū eligitur 12. fratrem excitat ad concordiā. 14. die coronationis pauperis causā audit. 15. legē primam fert de pace. 16. militi Abbatiam donat 19. Romæ inter duos Reges coronatur. 20. latronem iubet suspendi. 21. 22. Apuliam Normiannis distribuit. 23. Vdonem fugat. 24. Hungaros aggreditur, 27. Poloniam litigantibus distribuit. 28. litem duello decidi mādat Paganis & Christianis 29. Fidei Vltor. 30. Limpurgum erigit in Monasterium. 31. in Italos mouet. 32. Romam peregrinatur. 34. moritur, prius sumpto sacro viatico.*

18. *Corona Modætiæ palearis dicta.*

25. *Miesco Polonus fratre deturbato fugit ad Bohæmum. 26. se humiliat Conrado.*

I D *Vdalricum* Bohæmorum Ducem Conradi Imperatoris inimicū confugerat *Miesco* Dux Polonorum, cum imparem se Cæsaris viribus cerneret. Vdalricus verò hospitij, fœderisque iure violato, clam Cæsari cum obtulisset hospitem, & fœderatum prodere, dumodò proditori in præmium pacem rependeret. Negauit Conradus virtutē suam fraudi associare alienæ. Imo Miesconi detectis insidijs, ex hoste fecit amicum. Hinc in hieroglyphico videre est, Vdalricum amplexu, & osculo simulare amorem, dum gladium stringit, vt feriat. Conradus vero laruam Vdalrico eleuans, edocet, nemini esse fidendum, quia omnia in fabulis.

ALLVSIO AD HIEROGLIPHYCVM.

I

Magnanimus Cæsar, Cōradus nēpè secūdus,
Hostes, non Bello, vincere Pace cupit.
Dat Mescislaus Fidei documenta Polonus;
A Diuo Victus, Munera Pacis habet.
Profugus Vlrico se fidit; at ille Boemus,
Hospitij poscit clam violare Fidem.
Personatus Homo, nunquā sua Crimina celat;
Cor in Fronte patet, quò magìs Ore latet.
Prosilit in medium Cæsar, Sontemq; reuelat;
Deuictumq; Hostem, Victor, ab Hoste fouet.
Est igitur nullus cur Hospes ab Hospite tutus;
Hosti, cum tutam contulit Hostis opem?
Has Fortuna vices variè rotat, vndiq; fallax;
Nam, Duce Fortuna, Fabula Mūdus erit.

M. Anton. Moles Neapol. S. Th. D.

II

Sauromatum dū Rex Cōrado bella pararet,
Vlrici sociam in prælia poscit opem;
Annuit Vlricus, simul ac tum Cæsari, amicū
Sarmatiæ spondet tradere velle Ducem;

III.

Dū Miescislaus pariter Cōradus in arma
Olim ierāt: magni Marte vel Arte duces,
Conrado tamen Vlricus prius Hostis, amicum
Hunc ex hoste parem, reddere prōptus adest.
Ac Miescislaum promittit sternere ferro,
Nil refert vincat viribus, anne dolo.
Is tamen iratus: Nunquid tu prodis amicum?
Et socium sceleris me cupis esse tui? (nas.
Nō ita: Perfidiæ meritas dabis improbe pœ-
Atque occulta manu detegit arma Duci.
Cæditur Vlricus, *mox redditur hostis amicus;*
Quod non fecit Amor, præstitit alma Fides.

P. Franc. à S. Augustino Macedo.
Lector Patauin.

Sed ficti Cæsar fraudem auersatus amici,
Implexas hosti detegit insidias;
Vlricus maiorne putas inimicus amico?
Hostine an maior Cæsar amicus erat?

Io: Fran. Franzinus S. Th. D.



CONRADVS SALICVS
OCCIDENTIS IMPERATOR XVI.

Sal. An. 1015. In delicijs Sanctitatis V. *Moritur S. Henricus.*
Aquila enutrita Romana ;
Henrico mortuo ,
Dum quærit , queritur , vbi quiescat .
Ex castris , *S. Burchardi* aufugiens in claustra : VI. *Conradus educatur à S. Burchardo.*
Imperijq; fatigata pondere ,
In sinu CONRADI Orbem deposuit .
Domesticos fugiens inimicos , VII. *Consanguineis erat inuisus.*
Maluit abiectus esse in domo Dei ,
Quàm habitare in tabernaculis peccatorum .
Salicus vel *Sueuus* fuerit ?
Dum vestigat Germania , VIII. *Rapit Giselam affinem suam*
Inuenit Roma *Pium* .
Fuisse dicerem *Hierusalem Sanctæ* ,
Ni incestu polluisset pudoris ceston . IX. *Papa iubente Gisellam dimittit.*
Giselæ raptus humanum sonat ;
Repudium Angelicum resonat :
Quod non carnis, sed legis obedientia decreuit .
Libertatis Vindicem , X. *Quia nulli se subiecit dignus dicitur imperio à S. Henrico.*
HENRICVS quem odit , vt Sanctus diligit ,
Vt Cæsar Augustum deligit .
Per iocum eligitur . XI. *A fratre suo per iocum nominatur.*
Sic ad thronum ascenditur.
Si à Deo sunt Reges ,
Cuius est , ludere in Orbe terrarum .
Fraterno nè maderent sanguine muri ,
Fratrem priùs ad concordiam prouocauit , XII. *Antequàm eligeretur, fratrem suū excitat ad concordiam.*
Quàm ad Imperium .
Vicit iunior , quia senior crederetur & sanior .
Vocatus ad thronum XIII. *Ex duobus fratribus iunior eligitur.*
Tardior graditur ,
Vt per Iustitiæ gradus ascenderet .
Imperare officium credens , non regnum ; XIV. *Die coronationis , coronari difert , vt causam pauperis audiat.*
Orbis Dominio
Inopum prætulit patrocinium .
Pater Patriæ ocijor venit
Ad faciendam legem , quàm ad benedicendum Regem
In aquila degenerauit columbam ,
Quum osculo grauidata pacis iustitia , XV.
1024. Renouata est in pace , vt Aquilæ iuuentus eius ;
Iustitia deosculantur & pax
Prima namq; CONRADI lex , *De Pace* est XVI. *Abbatiam militi donat.*
1026. *Oh proditoris osculum ,*
Si miles in Ecclesia
Arma strepit in choro ,

Erit in terra pax ?
Vendit beneficia ecclesiastica.
Fecit Deus ex Simone Petrum ,
Tu ex Petro Simonem .
XVII. Geminà redimito Coronà ,
Modætiæ & Mediolani :
XVIII. Non prophetauit Pontifex
Mediolanenses coronam Modætiæ in ludibrium Palearem *vocabant.*
Quia solam Modætiæ *palearem* dixit
Ab vna disce omnes ,
XIX. *Quomodò transeat gloria Mundi* .
Eius coronationi duo Reges assistunt.
Romæ inter duos Reges ,
Rex vnctus Regum 1027.
XX. A Piscatore didicit ,
100. milliaria currit , vt latronem caperet.
In latronum capturam retia laxare .
Hominum factus venator ,
Libertatem generi restituit humano ,
XXI. Cum Regulos reuocauit ad regulam.
Principes moderat.
Cur in magnates sciscitanti , *latraret* :
Ait, *quia fures video* .
Pacato Latio
XXII. Græcorum versutias dolo deludit Normanno ;
Imperare namquè Itali obliti ,
Facti erat Barbarorum coloni .
Post Græcos , neminem vinci puduit ;
XXIII. Coniuratos in Germania ,
Odonem in Burgundia
XXIV. Vbique Omnes subegit victor ,
Stephanum Hungarorum Regem iniustè aggreditur; ille se oratione munit ; & cum eodem Cõrado licet inscio fœdus renouat, medio Henrico Conradi filio .
Præter *Stephanum* Hungariæ Regem : 1030.
Quem non victus , nec inuictus , sed inuitus
Inuenit amicum , ad quem venerat inimicus .
Inuersa est lex
Cum in Regem classicum Imperator caneret ,
Prò Apostolo Henricus receptui cecinit ;
Et Numen placauit filius, inuito patre .
XXV. Duobus fratribus Polonia impar 1032.
Germaniam euocat , vt pares faciat .
Venit Cæsar ,
XXVI. Et quia vnum noluit dolo vincere
Duos traxit in triumphum .
XXVII. Cumquè bella gereret , non rapinas ,
Poloniam distribuit inter litigantes.
Exarmauit , post coronauit .
XXVIII. Fur Christi ,
Litem duello dirimunt Christiani, & Pagani.
Christianorum causam amisit , 1034.
Quum duello commisit .
Vicit Paganus
Quia viuorum , & mortuorum iudex
Personas non respicit .
XXIX. Sed fidem respuit sine operibus mortuam ,
Fidei *dicitur* Vltor, *quia Paganos Imaginum delusores trucidauit.*
Fidei Vltor
Hebræorum sanguine
Christi vindicauit imaginem ,

Sal. An. 1037. Et *Limpurgum* XXX. *Limpurgum erigit in monasterium sub titulo S. Crucis & S. Io:*
Latronum ſpeluncam, erexit in domum Dei;
S. Crucis titulo
(Ne ferre dediſceret principatum in humeris)
Ioannem Sociauit Euangeliſtam,
Vt cum eo quieſceret in pectore Domini,
In Italos deſcendens XXXI.
Venit, vidit, vicit
Sine viribus iras,
Romam verſus, triumphauit, XXXII. *Romam peregrinatur*
Cum ad Petri pedes Orbem appendit.
En Pietatis Spectaculum; XXXIII. *Romanos minatur ni Christi vicarium honorent.*
Gladius Cæſaris protegit gladium Dei.
1039. Germaniam reuerſus, XXXIV. *Traiecti moritur, ſumpto prius ſacro viatico, de ſe r...rum relinquẽs pietatis exemplum.*
Traiecti, mortis telo traijcitur:
Sacro priùs Viatico ſumpto
Ne moraretur, vel moreretur in via:
Et in fortitudine cibi illius
Ambulauit vſque ad montem Dei.

CATENA HISTORICA.

CAPVT SECVNDVM.

1. *Vypponis hiſtoria quando reperta.* 27. *Conradus vbi natus.* 3. *educatus à S. Burchardo, pia indoles.* 4. 15. *Geneſis Conradi.* 5. Salicus *dictus.* 6. *Sueuus an Francus.* 8. *Giſelam rapit.* 9. *vxorem dimittit quia affinem.* 12. *filij.* 13. *ab Henrico Sancto ſucceſſor declaratur.* 16. *per iocum proponitur Imperatur.* 17. *locus electionis.* 19. *cum fratre priùs de concordia quàm de regno paciſcitur.* 22. *quando, & vbi coronatus.* 23. *in die coronationis inimicis parcit.* 24. *coronationem differt, vt pupillorum & viduarum audiat querimonias* 25. *legem fert in turbatores pacis.* 26. *religioſus.* 27. *iuſtus.* 28. *gratus.* 29. 34. *Simoniacus.* 30. *ſacrilegus, inceſtuoſus.* 31. *ab Italis Rex ſalutatur.* 32. *Archiep. Mediol. Heribertum priuilegio donat inſtituendi Ep. Laudenſem.* 34. *mouet in Rodulphum Regem Burgundiæ.* 38. *in Italiam vocatur ab Archiep. Mediol.* 41. *militem Abbatia donat.* 42. *Mottenſes vincit.* 43. *Mediolani coronatur, & Modœtiæ.* 44. *militiam priuilegijs exornat.* 46. *Eccleſiæ Mutinenſi bona confirmat.* 47. *Papienſes punit.* 48. *in Venetos molitur.* 49. *Rauennates vincit.* 50. *militi gratus.* 67. *Lucenſes ſubiugat.* 68. *Romæ coronatur in die Paſchatis inter duos Reges.* 72. *dat priuilegium eccleſiæ Patauinæ.* 73. *furem perſequitur.* 74. *Normannos Apulia donat.* 75. *an cum Vvelphone congreſſus.* 77. *Erneſtum relegat.* 79. *eius colloquium cum Rege Burgundiæ.* 84. *edit Foreſtorum bannum.* 86. *mouet in Hungaros.* 89. *dedignatur hoſtem proditione vincere, hoſtem periculi, in quo verſabatur, certiorem facit.* 90. *a Burgundis coronatur.* 92. *Geroldum Geneuæ principem vincit.* 95. *innocentiam paganorum & Chriſtianorum duello experitur.* 96. *Vltor fidei dicitur.* 99. *ab Italis ſpretus.* 100. *legem fert de pace mercatorum.* 101. *in Italiam deſcendit* 102. *Archiep. Mediol. iure Laudenſi priuat.* 97. *monaſterium erigit.* 108. *Parmam incendio punit.* 110. *Caſſinum liberat ab incurſionibus Pandulphi.* 111. *peſte copias amittit.* 113. *Burgundiam filio tradit.* 114. *moritur.* 116. *epitaph.* 117. *moneta.*
7. *Giſela Conradi Salici vxor.* 8. *rapitur à Con-*

97. *Adal-*

CONRADI GENESIS.

I. Onradi Salici genealogia in incerto nutaret, ni Vipponis libellus qui per 600. annos latuerat, opera Ioannis Pistorij Sal. An. 1607. editus, suffragaretur. In ipso tamen Vippone cum locus natiuitatis, cum educationis norma desiderentur; vtrumque suppleam. Nascitur *Guebelingæ* (scribit Gotfridus Viterbiensis)

II. *Dux erat ex villa, quam istè vocat Guebelingam.*
Inclijta nobilitas regum generatur ab illa.

III. Educatur à S. Burchardo Episcopo Vvormatiensi. Pacifica fuere eius ætatis primordia, cæteris suis consanguineis cuncta, ecclesiastica etiam, conturbatione miscentibus. *Vnde contigit* (ait auctor vitæ S. Burchardi, huius ætatis scriptor) *vt idem vir Dei Burchardus hoc genus hominum omnibus vitæ suæ diebus exosum habuißet, & quasi ecclesiæ Dei inuasores omnes respuisset, vno tantumodò iuuene excepto, Conrado scilicet, quem parentes, ceteriq; cognati, quia pacificus erat, & innocentiam vitæ diligebat, indignando respuerunt. Hunc vir Dei venerabilis Burchardus ad se vocatum, Dei timorem pariter & amorem docuit, & quasi adoptiuum nutriuit; & quia stabilitatem animi in eo intellexit, præ cæteris multùm illum dilexit. Quem Deus postea in solium regni clementer exaltauit.*

GENEALOGIA CONRADI SALICI.

IV. Historicorum omnium incuriam, Conradi II. Imper. genesim deducentium à patre Hermanno Franconiæ Duce, vnus Vippo redarguit oculatissimus testis, qui eiusdem Conradi Salici Imper. Sacellanus fuit.

GENEALOGIA CONRADI SALICI EX CHRISTIANO Matthia. p. 896.

Otho Magnus Imperator

Conradus Dux Franconiæ, & Lothar. — Ludgardis

Cuno Comes Franciæ

Sigefridus | Eberhardus | Hermannus Adheleidis eius vxor ex Clodoueis orta

Conradus II. Imperator

Henricus III. Imperator

Henricus IV. Imper. & V.

GENEALOGIA CONRADI SALICI EX ALBIZIO fol. 11.

Cunradus Comes Franconiæ ab Alberto Babenbergico occisus. 897.

Conradus I. Imper. vxor Placentia filia Ludouici Regis Bauar. | Vvemherus Comes Franconiæ | Eberhardus Comes Franconiæ

Curadus Com. Franconiæ occis ab Hung. An. 957. vxor Luitgarda Filia, Othonis I. Imper.

Otho Comes Franconiæ

Hermannus Com. Franconiæ | Conradus Dux Carinthiæ obijt. 1012.

Conradus II. Salicus Imperator vxor Gisela Sil. Cunradi Ducis Burgundiæ.

VERA

VERA CONRADI II. SALICI GENEALOGIA EX VIPPONE

Otho Magnus Imperator

Otho II. Imper. — Vvilhel. Archiep. Magunt. — Luitolphus *ex Hermanno Cont. An.* 948.
Vxor
Idha filia Hermanni Ducis Sueuiæ

dicit Vvippo. Francorum Dux Otho Dux *Sueuorum: ex Herman. Cont. An.* 973.

Hetzel idest *Henricus* vxor Adelbetta, vel Adelbera vel Adelheyda soror comitum Gerhardi, & Adelberti de antiquo genere Regum Troianorum, qui sub B. Remigio confessore; iugo fidei colla supponebant, ita ex *Vippone*.

Conradus siue Chuno. II. Salicus Imperator, vxor Gisela filia Herimanni Ducis Alemaniæ

Henricus III. Imperator.

Bruno Rom. Pontifex nomine Gregorius ex *Vvipone*

Vvilhelmus Ep. Argentinæ

Chuno idest Cunradus

Chuno idest Conradus Vvormatiensis Dux Francorum.

Appellatio.

V. CONRADVS, huius nominis *secundus*, cognomento dictus est SALICVS e gente Francica, quæ Salica appellatur; vel à flumine Sala, cuius accolæ aliquot è Francis fuere. Vel à Francis SALIIS lex Salica prodijt, quæ vt firmissimum regni Gallici fundamentum fœminas, & ab eis descendentes à regni successione excludit. Vel à nomine Pharamundi Regis, quem dixere SALICVM, illius legis auctorem.

VI. Ex Franconibus, vel Sveuis fuerit? difficile est inter duos contemporaneos scriptores Vvipponem, & Hermannum Contractum, decidere. *Francum* dicit ille; *Sveuum* scribit iste; quid dicam ego tot posterior seculis, & inter duas nationes conterminas altercantes? Sveui & Alemanni dicuntur vt scribit *Krantzius* & hoc propter *Lemanum lacum, a quo tamen satis longè distant*. Vnde adiungit: *Erneßus Dux Sveuorum, quos dicunt Alemannos*, Ex loco tamen natiuitatis, qui fuit *Guebellinga*, patriam habes. *Lib. 4. Saxon. cap. 3. 8.*

Vxor

VII. Conrado vna fuit. *Gisela filia Herimani Ducis Alemaniæ. Mater eius* (teste Vippone) *Kerbirga filia Conradi Regis de Burgundiâ fuit, cuius parentes de Caroli Magni stirpe processerant, vnde quidam de nostris in libello, quem tetralogum nominauit, & postea Regi Henrico tertio, cum natalem Domini in Argentina ciuitate celebraret, præsentauit, inter alios, duos versus ædidit hoc modo.* *in vita Conradi c. de dispositione Curiali.*

Quãdo post decimã numeratur linea quarta,
De Carolo Magno processit Gisela prudens.

Cum tantæ nobilitatis esset, & formæ decentissimæ, minimæ extollentiæ fuit; In Dei seruitio timorata: in orationibus & eleemosinis assidua, & hoc vt secretiùs potuit: attendens illud Euangelicum: ne iustitiam suam faceret coram hominibus. Erat enim liberalis ingenij, illustris solertiæ, auida gloriæ, non laudis pudoris amans, feminei laboris patiens, in caßum minime profusa, in rebus honestis & vtilibus abundè larga, diues in prædijs, summos honores bene tractare perita. Nec percurrendum, quod Gisela S. Henrici consobrina fuerit, vt ex genealogia patet.

Conradus Rex Burgundiæ



Hanc

VIII. Hăc rapuit Cōradus (teſte *Gotfrido Viterb.*)
vnde exilio mulctatus fuit ab Hērico Săcto.
Henrici cognata fuit, quem iam memoraui
Ipſaq; pulchra Ducē clădeſtino iam adamauit.
Cuius & à gremio germina clara trahit
Hanc rapuit, ſpōsă tenuit Dux, pluribus annis,
Cæſareis tunc ſubiacuit prò tempore bannis
Proſcriptus latuit, damnaq; longa luit.

Querelæ cauſam aduerſus Reginam, hiſtoriæ temerata libertate, percurrit Vippo, nè Henricum III. Imperatorem Conradi filium, cui ſuam dedicauit hiſtoriam, forſan offenderet. Rara enim (vt habet *Tacitus*) temporum felicitate, in quibus liceat ſentire, quæ velis, & dicere, quæ ſentis. Silentem porrò hiſtoriam ſuplet *Glaber* eiuſdem ſeculi ſcriptor. *Glaber in exord. lib. 4.*

IX. *Cum diù, multumque de conſtituendo regni Principe, ac præcipuè inter Præſules tractatum fuiſſet, viſum eſt eis ipſum Conradum debere eligere, niſi quod vnum intererat, propter quod Henricus etiam illum valdè exoſum habuerat, habebat enim coniugem, quæ illi erat affinis, quàm etiam primitus quidam cognatus ipſius duxerat. Propterea innotuerunt ei Pontifices, quid potiſſimum vellet, aut tale coniugium, quod manifeſtè ſacræ auctoritati nimium repugnabat, tenere, ſeu eo dimiſſo, coronam imperij ſumere. Qui protinùs dimittendum promiſit talis inceſti coniugium: ſeq; parere diligentiſſimè illorum dictis, & obedire conſilijs. Deindè verò mittunt ad Papam Romanum, vt eis in hoc quod decreuerant, conſentiret. Qui ſtatim libentiſſimè annuit: mandans inſuper, vt quantocijus ſuſcepto Germaniæ ſceptro, Romam pergeret, ſuſcepturus totius Italiæ coronam.*

vxorem dimittit quia affinem.

Cuius vidua Giſela eſſet? dicunt multi, tribus ſuperuixiſſe maritis. *Brunoni* Saxo- X.
niæ comiti nupta primùm, cui *Ludolphum* genuit. Deinde *Erneſto* Duci Sueuiæ, cui gemellos *Erneſtū ſeditioſum, & Hermannū* peſte in Italia extinctum. CONRADO tandem, cui filium *Henricum III.* Imper. peperit.

Erneſto nuptam apud *Contractum* legimus Sal. Anno. 1015. *Eniſt Dux Alemanniæ* XI.
in venatu ab Adelberone Comite, feram appetente, ſagitta vulneratus, interijt: & ducatum eius filius æquiuocus, viduam verò eius Giſelam, Conradus Henrici filius, Imperator poſtea futurus accepit.

XII.



XIII. *Filij*
Henricus III. Cognomento *Niger. Imper.*
Electio Conradi in Imperatorem.

cap. de Conuentu Princip.

ELectionem Conradi ſcriptores variant, ſed vni fidendum VVipponi, licet & ipſe vel non animaduertit: vel ſponte prætererit, quod apud Sigebertum legimus, ab *Henrico Sancto* (conſulentibus ſibi principibus ſuper ſubſtitutionē regni) deſignatum fuiſſe *Conradum*, quia numquam ſe alicuius XIV.
ſeruituti ſubmiſiſſet.

Anno porrò Salutis 1024. (teſte *Vippone*) III. Idus Iulij, mortuo Imperatore Henrico II. *Reſpublica amiſſo patre tanquàm deſolata in breui vacillare cæpit. Vnde cuique optimo metus, & ſolicitudo: peſſimis autem in voto imperium periclitari erat. Verùm diuina prouidentia anchoras eccleſiæ commiſit viuis*

An. Sal. 1024. *Pontificalibus; & his gubernatoribus quales ad ducendam patriam sine iactura in portum quietis, eo tempore superesse oportebat. Nam cum Imperator sine filijs obijsset, quilibet potentissimus secularium principum vi magis, quàm ingenio nitebatur: aut fieri primus, aut quacumque pactione a primo secundus; ex qua re discordia penè totum regnum inuasit: adeo vt in plerisq; locis, cædes, incendia, rapinæ fierent, si non is impetus illustrium virorum sufflamine impediretur. Imperatrix verò Chunigunda quanquàm maritali vigore destituta foret, tamen consilio fratrum suorum Theodorici Metensis Episcopi, & Hetzelonis Ducis Bauariæ pro viribus succurrebat Reipub. & ad restaurandum imperium, aciem ingenij mentisq; solicita consideratione direxit. Res petit, vt dicam summorum nomina quædam seu Pontificum, siue secularium Principum, qui tunc in regnis vigebant, quorum consilijs consueuit Francia Reges eligere.* Incognitum itaq; vsque in hodiernum diem Septem Virorum Collegium) *Eo tempore Archiepiscopatum Moguntinensem rexit Aribo natione Noricus nobilis & sapiens, aptus regalibus consilijs. Coloniensem verò Archiepiscopatum Pelgrinus tenuit consanguineus Aribonis prouidus, & ad id officium idoneus: Treuerensem quoque Archiepiscopatum gubernauit Poppo Frater Ernesti Ducis, vir pius, & humilis, qui eodem Tempore filium fratris sui Ducem Ernestum cum Ducatu Alemannico sub tutela habuit: Metensem Episcopatum Theodoricus nobilis, & in virtute strenuus poßedit: Argentinæ ciuitati Vverinharius Episcopus præfuit generosus, in diuinis, & secularibus officijs studiosus; Vuerceburgensi Ecclesiæ insedit (Macelinus) Marcellinus sapiens, & in Ecclesiasticis dignitatibus fidelis. Papenbergensem Episcopatum Eberhardus rexit primus Episcopus illius Ecclesiæ, vir ingenio, & moribus Reipub. valdè necessarius. Constantiensis Ecclesiæ præsul erat Heimo, vir sapiens in Deo Modestus & prouidus ad seculum. Augustam Vindelicam regebat Episcopus Bruno frater Henrici Imperatoris, vtilis, & clarus ingenio, si fraterno odio, quo Imperatori oberat, non obscuraretur. Iuuanensem, quam vulgari sermone* Saltzburc. *dicunt, rexit bonæ Memoriæ Guntherus Archiepiscopus frater Eberhardi, aliàs Eccardi, & Hermanni comitum, mitis, & bonus apud Deum, & homines. Radesbonensis Ecclesiæ Episcopus erat Burckardus (Al: Keberhardus) beneuolentiæ gratia conspicuus: Frisingensem Ecclesiam regebat Albertus (Adalbertus) Episcopus, prouidus gubernator cleri, & populi sui; cum istis multi Alij pontifices, & Abbates, ex ijsdem regionibus aderant, quos singulos nominare operis fastidium generat. Saxoniæ præsules, quoniam me latuit, quid de vita eorum, nominibus addicere conueniret, memorare vitaui, quanquam & eos summis rebus adesse, consulere, succurrere procul dubio perceperim. Italiam transeo, cuius principes in breui conuenire ad regiam electionem nequiuerunt, qui postmodum in vrbe Constantiensi cum Archiepiscopo Mediolanensi, & reliquis Principibus occurrentes regi, sui effecti sunt, & ei fidelitatem libenti animo iurauerunt. Duces autem supradictis viris contemporanei hi fuerant, Benno Dux Saxoniæ: Adelbero Dux Histriæ: Hetzilo Dux Boioariæ; Hernestus Dux Alemaniæ; Lutaringorũ Dux Fridericus, Ribuariorum Dux Gozelo.* XV.

Chuno Vvormatiensis Dux Francorum iste fratruelis erat Conradi, qui fuit Imperator, & falsò dicitur Conradi Imperatoris patruus à Gotfrido. Hic ille, si Gotfrido fides, *qui sperans sine dubio imperium obtinere; à cæteris principibus interrogatus; Quisnam ad imperium aptior videretur. Respondit quasi derisoriè dicens: Nepos meus Dux Conradus videtur ad imperium aptissimus. Credebat eum hoc esse impossibile, & propterea eum nominauit. Quo audito, vniuersi laudant eundem Conradum, & eligunt eum: Dux verò Chuno contra dixit: sed tamen præualuit, electio vniuersorum. Tali autem modò tunc Conradus imperauit.* Rem tamen cum aliter enarret Vvippo scriptor contemporaneus Conradi; historiam Gotfridi eruditionis causa exhibui: Ad Vvipponem reuertatur oratio. Conradus per 10. ñ eligitur XVI.

Supra memorati Episcopi, & Duces, cæteriq; haud aliter periculum minitans melius aut citius euadere nati, summa ope & industria memorabili vtebantur, ne Respub. diutius sine regente nutaret. Priuata consilia, & animos singulorum cui quisquam consentiret, cui

Sal. An. 1024. *cui dissentiret, aut quem sibi dominum optaret, epistolarum & legatorum commoditas conferebat, neq; id in vacuum.*

Condicta est dies, notatusq; locus, fit publicus conuentus, qualem me vidisse antea non memini. In quo conuentu quid actum sit dignum memoria, scribere non differam. Vsque adhuc *Vippo*.

Ex his videre est, ius eligendi Imperatorem vsque in hodiernam diem omnium fuisse principum, non adhuc septemuirali Collegio commissum. Sequitur Vippo.

Inter Moguntiæ confinia, & Vvormatiæ, locus est amplitudine planiciei causa, multitudinis maximæ receptibilis: ex insularum recessu ad secretas res tractandas tutus, & habilis; sed de vocabulo & situ loci plenius, dicere typographis relinquo. Villa *Kamba* fuit,
XVII. teste Hermanno Cont. *Ibi dum conuenissent cuncti* (prosequitur Vippo) *primates, & vt ita dicam, vires & viscera regni, eis, & circa Rhenum castra locabant. Qui, dum Galliam à Germania dirimat, ex parte Germaniæ Saxones cum sibi adiacentibus Sclauis: Franci Orientales, Norici, Alemanni conuenère.*

De Gallia verò Franci qui supra Rhenū habitant, Ribuarij, Lotharingi, coadunati sunt. Quæritur de re summa, dubitatur de electione incerta: inter spem & metum suspensi, alterna desideria cum inuicem cognati, tum inter se familiares diutissimè explorabant. Neque enim de mediocri re consulendum fuerat, sed de ea, quæ nisi feruenti pectore maximo studio conquæreretur, ad perniciem totum corpus regni terminaretur.

Eodem modo cum diù certaretur, quis regnare deberet; cumq; alium ætas vel nimis immatura, vel vltra modum prouecta; alium virtus inexplorata: quosdam insolentiæ causa manifesta recusaret: inter multos electi pauci sunt, & de paucis admodum, duo sequestrati sunt, in quibus examen extremum summorum virorum summa diligentia diù deliberatum in vnitatis puncto tandem quieuit. Erant duo Chunones, quorum vnus quod maioris ætatis esset, maior Chuno vocabatur: Alter autem iunior Chuno dicebatur, ambo
XVIII. *in Francia Teutonica nobilissimi, ex duobus fratribus nati; quorum alter Hetzel, & Alter Chuno dictus est: ipsos verò ab Ottone Duce Francorum natos accepimus cum duobus alijs Brunone, & Vvilhelmo; ex quibus Bruno Apostolicæ Sedis Romanæ Ecclesiæ Papa effectus, mutato Nomine,* Gregorius *appellatus est: Vvilhemus factus Argentinensis Ecclesiæ Episcopus miro modo eam sublimauit. Prædicti duo Chunones, cum essent, vt dictum est, ex patre genitorum nobilissimi: haud secus ex Materno genere claruerant. Iunioris Chunonis Mater Mathilda de filia Conradi Regis Burgundiæ (Aliàs Longobardæ) nata fuit. Maioris Chunonis mater Alberta (vel Adelbera, vel Adelheyda) ex nobilissima (gloriosissima) gente Lotharingorum oriunda, fuerunt. Quæ Adelheyda soror erat comitum Gerhardi, & Adelberti; qui semper cum Regibus & Ducibus confligentes ad extremum causa propinqui sui* Conradinorum Regum *venerant, qui Beato Remigio confessore, iugo fidei colla supponebant. In his duobus: idest maiore Chunone, & Iuniore minore diù pendebat reliqua nobilitas &c. quanquàm Maiorem Chunonem secretiori consilio, & auido desiderio propter virtutem, & pro bi tem illius penè omnes eligerent, tamen propter Junioris potentiam, ne pro honoris ambitione dissiderent, animum suum ingeniosè quisq; dissimulabat. Ad Extremum verò diuina prouidentia contigit, vt ipsi inter se conuenirent quodam pacto in tam dubia re satis conuenienti, vt si quem illorum maior pars populi laudaret, alter eidem sine mora cederet. Æstimo quod dignum sit dicere, qua ratione, maior Chuno suum prodidit ingenium, non quod ipse desperaret Rex fieri, vnde iam nutum Dei principum cordibus inspirari (inspiratum) percepit, sed vt cognati animum, quo minus in nouis rebus perturbaret? confirmaret. Hac igitur præstantissima oratione illum alloquitur. Rebus prosperis condignum gaudium, nec grauitatis modum excedit, nec quenquam ingratum esse pro acceptis beneficijs sinit, & sicut in aduersis damnosa pusillanimitas ad deteriora trahit, sic in secundis honesta iucunditas hominem ad meliora ducit, & parum valet fructus partæ felicitatis, qui moderata alacritate non pascit animum laborantis. Hoc modo animi mei vigorem magnis gaudijs augeri sentio, quod ex tanta concione consensus pari-*

Sal. An. 1024. *lis omnium nos duos solummodo prævidebat, quorum alterum regali fastigio locaret. Neque enim æstimare debemus vel Nobilitate, vel diuitijs propinquos nostros antecedere; aut aliquid nos promeruisse tanta veneratione dignum, verbis, manibus non oportet extollere. Maiores nostri gloriam suam factis, quam dictis prodere maluerunt, communi vità contentos esse decebit, quoslibet inter æquales. Quidquid autem adest, quod ad aliquid habiliores reliquis putamur, inde grates Deo reddamus. Nobis ergo cogitandum est, nequi aliena consensione digni tanto honore æstimati sumus, proprio, & familiari dissidio indigni hac gratia videamur. Stultum est enim aliena potestate pro sua nimium abuti. In omni electione nemini licet de seipso iudicare: licet autem de alio.*

Quod si alicui de se liceret, quot regulos, ne reges dicam, videremus. Non erat nostræ potestatis hanc dignitatem ex multis inter binos coarctare. Vota, studia, consensus Francorum, Lotharingorum, Saxonum, Noricorum, Alemannorum, qui optimam voluntatem habebant, ad nos conferebant, tanquam ad vnius stirpis propaginem: veluti ad vnam domum: sicut ad indissolubilem familiaritatem, quos ex tam multis caussis connexos dissolui posse inimicitijs nemo suspicabitur. Concordare decet, quotquot natura ligauit, quæ sibi cognatam iungit amicitiam. Quod si vltro oblata ab alijs aliqua re impediente reijcimus, hoc est si inuicem discordamus, certum est, quod populus tunc velit nos deserere, ac tertium quemlibet sibi quærere, & nos non tantum summo honore priuabimur, sed quod omnibus bonis morte detestabilius est, infamiam ignauiæ, & inuidiæ incidemus; quasi, & tanti regiminis virtutem non possumus sustinere, & alter alterius, quod inter consanguineos magnum nefas esse puto, cedere nollet honori. Maximus igitur honor; summa potestas circa nos adhuc versabitur, & ita ad nos peruenit, vt si velimus, in altero nostrum remaneret. Quo circa mihi videtur, si in vno de nobis hic honor coadunatus remanserit, vt alter eiusdem honoris participatione vlterius quodammodo non careat: sicut, enim in Regum parentes, quamuis cuncti reges non sint, honoris quædam deriuatio transfunditur, sic & hi, qui conscripti, & prænominati ad potestatē fuerint, licet ad hanc non perueniant, tamen honore quodam inde nato penitùs non carebunt; nam ad suam dignitatem immeriti non erigerentur. Præterea si regum cognati propter Reges honorantur, eumq; omnes erga nos tales esse velint, quales inuicem consentanea mente fuerimus, & eo modo prouectus alterius ex altero pendeat: quì feliciores nobis esse poterunt, si alter regnabit? alter regnanti, publicam rem per beneuolentiam suam quasi præstabit? Quare cauti simus, alienum propinquo, incertum certo non preferamus: Ne hodierna dies huc vsque pro tali arbitrio satis læta, & Iucunda, longi Temporis infortunium nobis pariat: sic conceptam tanti populi benignitatem male inter nos tractabimus. Quod ne fiat ex mea parte, omnium cognatorum meorum dilectissime, quid de te sentiam, dicere volo. Si Animum populi, cognouero, te velle te desiderare, in Dominum, & Regem, nullo prauo ingenio hanc beneuolentiam à te reuocabo, quin potius te eligam tanto auidius cæteris, quanto me sperabo tibi gratiorem illis si Deus ad me respexerit, debitam vicem mihi à te rependi nondubito. Ad hæc minor Chuno respondit totam hanc sententiam sibi acceptam fore, seq; illi, sicuti cognato suo charissimo, si cum res summa vocaret, omnem regiam fidelitatem facturum certissimè promisit. Inter hæc verba Maior Chuno, pluribus videntibus, paululum se acclinans, cognatum osculatus est: quo osculo primum deprehensum est, vtrumque illorum alteri acquieuisse. Hinc sumpto indicio concordiæ, consedere principes: populus frequentissimus astabat.

XIX. *De concordia Cōradus pacisci tur cum fratre.*

Tunc quod quisq; diù velatū corde tegebat
Ferre palam licitū gaudebat tempus adesse.

Archiepiscopus Moguntinensis, cuius sententia ante alias accipienda fuit, rogatus à populo, quid sibi videretur, abundanti corde, hilari voce, laudauit, & elegit maioris ætatis Chunonem suum in Dominum; & Regem atque Rectorem, & Defensorem Patriæ. Hanc sententiam cæteri Archiepiscopi, & reliqui sacrorum ordinum viri indubitanter sequebantur. Iunior Chuno paululum cum Lotharingis placitans, statim reuersus maximo fauore illum in Dominum, & Regem elegit:

quem

Sal. An. 1024. *quem rex manu apprehendens fecit illum consedere sibi. Tunc singuli de singulis regnis eadem verba electionis sæpissimè repetebant: fit clamor populi: omnes vnanimiter in regis electione principibus consentiebant: omnes Maiorem Chunonem desiderabant: in illo persistebant: ipsum cunctis dominantibus, nihil hæsitando, præposuerunt; eundemque regali potentia dignissimum iudicabant: & vt nulla mora consecrationi illius fieret, postulabant: supradicta Imperatrix Chunegunda regalia insignia, quæ sibi Imperator Henricus reliquerat (non grauatè) gratanter obtulit, & ad regnandum, quantum huius sexus authoritatis est, illum corroborauit: credo quidem huic electioni cælestium virtutum fauorem non deesse, cum inter singularis potentiæ viros tot Duces, & Marchiones absque Inuidia sine controuersia is eligeretur, qui licet genere, & virtute, atq; in proprijs bonis nemini esset inferior, tamen de Republica, ad comparationem talium virorum, parum beneficij, & potestatis habuit. Quanquam Archiepiscopus Coloniensis, & Dux Fridericus cum alijs quibusdam Lotharingis causa iunioris Chunonis, vt fama fuit, imo hoste pacis, Diabolo instigante, impacati discederent: qui tamen citò reuersi, ad gratiam regis propter eos, quos communis conditio mortis præoccupauit, quicquid ipse præceperat, gratanter accepere, & Archiep. Pilegrinus, quasi pro emendatione prioris culpæ impetrabat à Rege, vt sibi liceret in Ecclesia Colonniensi reginam, consecrare: De qua in sequentibus dicturus sum.*

Adiungit Krantzius, quod Conrado Henricus frater rebellauit; sed quum à facie eius consistere diffideret, profugit ad Regem Hungariæ. Is venientem Christiana pietate suscepit, & in die Parasceues carnes illi proposuit edendas. Horrebat ille piaculum. Tum Rex in illum conuersus, *Maioris* (inquit) *piaculi est bono fratri repugnare*. Ille admonitus, fratri reconciliatur, & Nurembergam cessit imperio. Fabula sit, vel historia apud *Vvipponem* non legitur. Fallitur saltem Krantzius, dum *Henrici* nomen vsurpat, quod nulli fratrum fuisse Conradi comperio.

Sax 4. c. 36. *Henricus frater deficit ab Imp.* XX. XXI.

CONSECRATIO CONRADI II. IMPER. MOGVNTIÆ FACTA.

COmmuni omnium consensu, orbis Dominus factus Conradus, ad coronationem (quæ veluti traditio omnia implet) properat. Lætatos Cælos, & exultasse terram in die coronationis eius, ne dicar concinnare fabulas, ad Vipponem lectores prouoco.

XXII. *Peracta electione, Regem sequi Moguntiam, vt ibi Sacratissimam vnctionem acciperet, cum claritate maxima omnes properabant.* (Dies erat teste Hermanno Cont. VI. Idus Septem.) *Ibant gaudentes, clerici psallebant, Laici canebant, vtrique suo modo: tantas laudes Deum accepisse ab hominibus, vna die in loco nondum comperiebam. Si Carolus Magnus cum sceptro viuus adesset, non alacrior populus fuisset, nec plus gaudere valeret de tanti viri reditu, quam de istius regis primo accessu. Rex peruenit Moguntiam, ibi honore debito receptus, consecrationem suam omnibus desiderabilem deuotus præstolabatur. Ad quem benedicendum in Die Natiuitatis Sanctæ Mariæ, cum Archiepiscopus Moguntinensis, & omnis clerus solemniter se preparent, inter Sacra officia regiæ vnctionis, Archiepiscopus hoc ad regem vsus est sermone: Omnis potestas fluitantis sæculi de vno fonte purissimè deriuatur. Solet autem accidere, vt cum plures riuuli de eodem principio procedebant, sint turbidi, alij lucidi, fonte capitali in puritate sua permanente; Eodem modo quantum, humana conditio, creatorem, & creaturam inter se conferre audet, de Deo Rege immortali, & terrenis regibus conijcere valemus. Scriptum est enim* omnis potestas à Deo data est. *Omnipotens Rex regum, totius honoris auctor, & principium, quando in Principes terræ alicuius dignitatis gratiam transfundit, quantum ad Naturam principij, pura, & munda est. Cum autem perueniret ad eos, qui hanc dignitatem indignè tractauerunt, & eam cum superbia, inuidia, libidine, auaritia, ira, impatientia, crudelitate polluerint, sibi, & omnibus subiectis, nisi pænitendo se purgauerint, periculosum potum iniquitatis*

propi-

Sal. An. 1024. *propinabunt. Oret, & intercedat ad Dominum omnis Ecclesia Sanctorum, vt dignitas, quæ hodie pura Domino, & regi nostro Conrado præsenti à Deo præstatur; inuiolata, quantùm hominis est, ab eo seruetur. Tecum, & propter te nobis est sermo, Domine Rex; Dominus, qui te elegit, vt eßes Rex super populum suum, ipse te prius voluit probare, & post modum regnare: flagellat enim omnem, quem recipit: dignabatur corripere, quem voluerat recipere; placuit ei humiliare, quem proposuit exaltare. Sic Deus Abraham seruum suum tentauit, & tentatum glorificauit. Sic Dauid famulum suum Saul Regis iram, persecutionem, iniurias, & latibula deserti, fugam, exilium pati permisit, quem postea Regem gloriosissimum in Israel fecit: Beatus, qui suffert tentationem; quoniam hic accipit coronam. Non sine Causa te Deus exercuit; fructum sequentem inte dulcificauit: Permisit te antecessoris tui Imperatoris Henrici gratiam perdere, & eandem iterum recipere; vt scias modo misereri, qui perdunt gratiam tuam, paßus es iniurias, vt nunc scias misereri sustinentibus iniurias: pietas Diuina voluit te eße sine disciplina, vt post cæleste Magisterium, Christianum capere imperium. Ad summam dignitatem peruenisti, Vicarius es Christi. Nemo nisi illius imitator, verus est Dominator: oportet, vt in hoc solio regni cogites de honore perenni. Magna felicitas; in Mundo regnare, Maxima autem, in Cælis triunphare. Cum verò Deus à te multa requirat, hoc potissimum desiderat, vt facias Iudicium, & Iustitiam, ac pacem patriæ, quæ semper respicit ad te: vt sis defensor Ecclesiarum, & Clericorum, Tutor viduarum, & orphanorum, cum & alijs bonis firmabitur thronus tuus hic, & in perpetuum. Et nunc Domine Rex, omnis sancta Ecclesia nobiscum rogat gratiam tuam pro his, qui contra te hactenus deliquerunt, & offensione aliquà gratiam tuam perdiderunt. Ex quibus est Otto, vir nobilis; pro illo & reliquis omnibus oramus, vt illis dimittas pro charitate Dei; quæ te hodie in virum alterum mutauit, & numinis sui participem* XXIII. Inimicis parcet Cōradus *fecit; quatenus ipse sibi eandem vicem pro vniuersis delictis tuis dignetur rependere. In hoc sermone Rex misericordia motus, ingemuit, & vltra quàm credi possit, effluebat in lacrymas. Deinde, sicut Episcopi & Duces cum vniuerso populo flagitabant, omnibus quod deliquerant, dimisit.*

DECRETA CONRADI IMPERATORIS In Die Coronationis.

ANte altare stabat Conradus, & inter symphoniam & Choros cum in procinctu consecrationis caneret Sacerdotalis militia, *tres venerunt ante illum* (teste Vippone, [a] & Goldasto *b cum singulis querimonijs; vnus erat colonus ecclesiæ Moguntinensis, alter pupillus fuit; & quædam vidua.* [c] *Dum Rex eorum causam audire cæpisset, quidam de principibus suis auertebant eum dicentes, ne consecrationis suæ aliquam moram faceret, & maturè diuina officia audiret; respiciens ad episcopos, vt vicarius Christi Christianissimè respondebat, si meum est regimini insistere & id viri constantis est, nequaquàm differre, quod apte fieri valet; rectius videtur mihi facere quod debeo, quàm quid faciendum sit, audire ab alio. Memini vos sæpè dixisse non auditores legis, sed factores iustificari. Si autem ad consecrationem, vt dicitis festinandum est: tantò cautius in opere Dei gressus meos conuenit mihi firmare: quanto me arduæ dignitati cognosco propinquare. Hæc dicens, in eadem statione moratus, vbi primùm occurrerant illi calamitosi, passibus immotis legem præfecerat illis. Hinc paulùlum procedens, venit ante illum quidam, dicens, se expulsum esse patria omnino sine culpa: quem Rex per brachium apprehendens, super omnes circumstantes attraxit vsque ad solium suum, ibique causam miseri cuidam principum suorum diligenter commendauit. Fælix initium regnandi cernitur esse, vbi plus festinatur ad faciendam legem, quàm ad benedicendum Regem.*

a capite de primis gestis Cūradi Regis.
b Goldastus An. 1024.
XXIV. c Coronationē differt, vt viduarū & pupillorum causa audiat.

RE-

Sal. An. 1024.

REGNA SVA LVSTRAT IMPERATOR CONRADVS.

SOlem iure dicas Regem. Arescunt regna, ni videant, & videantur à Rege. Coronatione peracta, Aquisgranum venit,
XXV. vbi publicus thronus regalis ab antiquis Re-
Vippo de itinere Regis per Regna. gibus, & à Carolo precipuè locatus; ibique Rempublicam ordinauit, generali habito conuentu. In quo pœnam capitis euulgauit in eos, qui publicam turbarent pacem; Vide Cuspinianum; H. Mutium. Fasc. ad Vipponem regrediamur: *Reuersus, Conradus de Ribuarijs ad Saxoniam venit, ibi legem crudelissimam Saxonum, secundum voluntatem eorum, constanti auctoritate roborauit* (qualis esset hæc lex crudelissima, quæsiui, & non inuèni) *Deinde à Barbaris, qui Saxoniam attingunt, tributa exigens, omne debitum fiscale recepit. Inde Baioariam, & Orientalem Franciam pertransiens, ad Alemanniam peruenit. Quo transitu regna, pacis fœdere, & regia tuitione firmissimè cingebat.*

Lex in turbatores pacis.

CONRADI II. IMPERATORIS Virtutes & Vitia.

Virtutes.

XXVI. R*Eligionem* ita coluit, vt quamquàm literas ignoraret, Clerum tamen liberaliter, & conuenienti disciplina prudenter
cap. 6. instituit. Vippo

Principio regni (si vera refert *Krantzius*) Conradus *à Brunone Augustensi Epi-*
XXVII. *scopo Henrici Imperatoris fratre stimulatur, Episcopatum Bambergensem in irritum reuocare, quia Ecclesiasticis rebus non necessarius, & imperio præiudicialis haberetur - Mirares, ab Episcopis oppugnari, quod in fauorem Ecclesiarum princeps laicus constituißet. Fecit hoc ipsum Bruno apud viuentem fratrem, sed nihil profecit. Fecit & Theodoricus Metensium Episcopus. Sed quæ Deo semel consecrata sunt, ad prophanos vsus neque Henricus, neq; Conradus voluerunt reuocare. Bruno tamen per visionem fratris in somnis territus cœpto destitit.*

Iustitiam præ oculis semper habuit, imo exordium regni, a iustitia deduxit; & consummauit. Vnde cum Psalmista canere poterat: *pes meus stetit in via recta*. Coronationem distulit, vt viduarum, orphanorum, & ecclesiarum finiret grauamina; iuxta illud *Honor Regis iudicium diligit*.

cap. 6. *Munificentia* adeò, excelluit, vt laus sit suspecta futura: *Militum animos* (inquit Vvippo) *in hoc multum attraxit, quod anti-*
XXVIII. *qua beneficia parentum nemini posterorum auferri sustinuit. Præterea in donarijs frequentibus, quibus eos fortia audere coegit sui similem in toto mundo non posse reperiri æstimauerunt. Suspiciosum est relatu, quàm munificus fuit, quàm iucundus, quàm constantis animi, quantùm imperterriti, bonis omnibus blandus, malis seuerus; in ciues benignus, in hostes acerbus, in rebus agendis efficax, quàm maximo vsui foret regno, infatigabilis erat: in breui tantum proficiens vt nemo dubitaret, post Caroli Magni tempora, aliquem regali sede digniorem non vixiße, vnde extat prouerbium, sella Cunradi habet ascensoria Caroli. De hoc prouerbio, quidam de nostris in libello quem gallinarium vocauit, satyra quarta protulit hunc versum*

Chunradus Caroli premit ascensoria Regis
Talibus indicijs nomen seu gloria Regis.

Vitia.

S*Imonia* notatur Conradus; & primùm Episcopatum vendidisse, legitur apud Vvipponem. Basilea ciuitas cum viduata lugeret Episcopum Adelbertum, qui ante *cap. 8.*
tres menses, quàm Rex Basileam veniret, migrarat à seculo; *Ibi simoniaca hæresis subitò apparuit, & citò euanuit. Nàm dum* XXIX.
Rex & Regina à quodam clerico, nobili viro, nomine Vdalrico, qui ibi tunc Episcopus factus est, immensam pecuniam pro Episcopatu susciperent. Postea Rex in pænitentià motus,

Sal. An. 1024. *motus, voto se obligauit, prò aliquo Episcopatu, vel Abbatia nullam pecuniam ampliùs accipere, in quo voto penè benè permansit.*

XXX *Sacrilegio*, quum Ernestum Alemanniæ Ducem Abbatia donauit, vt ait Vippo cap. 10.

Incestus; Giselam namque affinem suam rapuit, & sibi matrimonio copulauit.

ITALORVM LEGATIONES, ET PACTA CVM IMPERATORE Conrado. Sal. An. 1024.

ANnus erat Salutis 1024. & primus regni sui, quùm Rex Conradus diem Pentecoſtes Constantiæ celebraret; eò venit Heribertus Archiepiscopus Mediolanensis, qui Germanorum excitatus dissidijs, antiquæ legis vigore, Episcoporum concilium, principumque in Roncalijs habuerat, vt Regem legeret Italiæ. Sed cum exquisitis indè singulorum sententijs, alijs aliò trahentibus rem ad exitum perducere non potuisset, relictis Italis, in Germaniam adijt, & Conradum propria auctoritate Regem salutauit; vt ait *Sigonius*, sed fallitur. Quia teste *Vippone* non solus venit Heribertus Archiep. Mediol. *sed cùm cæteris optimatibus Italicis Regi occurrebat, & effectus est suus, fidemq; sibi fecit per sacramentorum & obsidum pignus, vt quando veniret cum exercitu ad subijciendum Italiam, ipse eum reciperet, & cum omnibus suis in dominum & Regem publicè laudaret, statimquè coronaret. Similiter & reliqui Longobardi fecerant.* Ob id (subiungit Sigonius) Conradus Archiepiscopum iure eo, vel maximo insigniuit, vt quemadmodum Mediolanensis Antistes Episcopum Laudensem, iure ab Ottone Magno accepto sacrabat; sic annulo, & virga præbenda institueret: Quod dissensionum occasio fuit & cædum, inter Laudenses & Mediolanenses, vt latè prosequitur *Sigonus*. Omnes itaque Italorum Legati amplissimis donis à Rege honorati, & in pace dimissi, soli Ticinenses, alio nomine Papienses, quorum legati aderant cum muneribus, & amicis vt Regem placarent, voto frustrantur. Quali verò tenerentur piaculo? breuiter absoluam, inquit Vippo. *Erat in ciuitate Papiensi palatium à Theodorico rege quondàm miro opere conditum, ac postea ab Imperatore Ottone tertiò nimis adornatum. Cognito autem obitu Imperatoris Henrici antecessoris Conradi Regis, vt mos est hominum semper in nouis rebus intemperanter se habere, statim Papienses inconsultò ad imbellem aulam ruentes*

XXXI. (left margin, beside "nit Heribertus Archiepiscopus Mediolanen-")

cap. 7. (left margin, beside "chiep. Mediol.")

XXXII. (left margin, beside "virga præbenda institueret")

cap. 7. Papiens palatium rgale diruunt. (right margin)

Ausibus illicitis fregerunt mœnia Regis
Totumq; Palatium vsque ad imum fundamenti lapidem eruebant, nè quisquam regum vlterius infra Ciuitatem illam Palatium ponere decreuisset. Ex qua audacia diù magna controuersia inter Regem, & Papienses habita est: Dicebant Papienses, quem offendimus? Imperatori nostro fidem, & honorem vsquè ad terminum vitæ suæ seruauimus: quo defuncto cum nullum Regem haberemus, Regis nostri domum destruxisse non iure accusabimur: E contrario Rex, scio inquit quod domum Regis vestri non destruxistis, cum eo tempore nullum haberetis: sed domum Regalem scidiße, non valetis inficiari: si Rex perijt, regnum remansit: sicut nauis remanet, cuius gubernator cadit: ædes publicæ fuerant non priuatæ: iuris erant alieni, non vestri. Alienarum autem rerum inuasores regi sunt obnoxij. Ergo vos alienæ rei inuasores fuistis, igitur Regi obnoxij estis. Huiuscemodi verbis pluribus instanter obiectis, legati frustra tentatam pacem relinquentes abierunt.

PRIMA CONRADI EXPEDITIO IN RODVLPHVM Burgundiæ Regem, & de prima electione Episcopi ab eo simoniacè facta.

c. 8.
XXXIV. RVdolphus Rex Burgundiæ (ait Vippo) dum in senectute sua, regnum molliter tractaret, adeò subditorum suorum odium aduersus se excitauit, vt nonnisi externa Imperatoris Henrici protegeretur manu, throno excidisset. Ponè vt successionis

ſionis pretio amicitiam firmaret Henrici, filij ſororis ſuæ; eum ſibi ſucceſſorem deſignauit, & in verba Cæſaris, regni principes iurare coegit. Non ſine tamen Henrici Imperatoris diſpendio, qui magnam auri, atque argenti iacturam fecit, vt ſibi conciliaret Burgundos, & Regi teneret obſequentes. Henrico tandem Imperatore defuncto, cum Rudolphus peierare tentaret; *Conradus Rex* (ſunt verba Vipponis) *magis augere quàm minuere regnum intentus, anteceſſoris ſui labores metere volens, Baſileam ſibi ſubiugauit; vt animaduerteret, an Rex Rudolphus promiſſa attenderet: & colloquio regali Baſileæ habito: & terminis Burgundiæ, vltra voluntatem Rudolphi diligenter præoccupatis, per Rhenum vſque Saxoniam peruenit*. Epiſcopi verò Baſileenſis electionem ſimoniacè factam à Conrado Imper. minimè pertranſeam; ne lateat politioribus viris quanta ſit auri ſacra fames. Baſileam cum inueniſſet Rex *vacuatam Epiſcopo, cuius prouiſor Adelbero ante tres menſes, quàm Rex veniret, migrauit à ſeculo: ibi ſimoniaca hæreſis ſubito apparuit, & citò euanuit. Nam dum Rex & Regina à quodam clerico, nobile viro, nomine Vdalrico, qui ibi tunc Epiſcopus effectus eſt, immenſam pecuniam prò Epiſcopatu ſuſciperent: poſtea Rex in pœnitentia motus, voto ſe obligauit, prò aliquo Epiſcopatu vel Abbatia, nullam pecuniam amplius accipere, in quo voto penè benè permanſit.*

Cōradus ſimoniacus

Penitentiā agit

MISICO DVX BOLANORVM IN IMPER. MOLITVR. Sal. An. 1025.

XXXV. Marceſcit ſine aduerſario virtus. Conradi Fortuna proſpera nondum viderat hoſtem, licèt ſtaret in ianuis. Latebat ignis in cinere, erupit in flammas, cum *Bolislaus Sclauigena, Dux Bolanorum* (ait Vippo) *inſignia regalia & regium nomen in iniuriam Regis Conradi ſibi aptauit, cuius temeritatem cita mors exinaniuit. Filius autem eius Miſico ſimiliter rebellis fratrem ſuum Ottonem; quoniam Regis partibus fauebat, in Ruhbiam prouinciam pepulit. Qualiter verò eiuſdem Miſiconis proteruitatem, & cuiuſdam Vdalrici Ducis Bohemiæ perfidiam Rex Conradus poſtea compeſceret, ſuo loco dicam.*

GERMANORVM TVMVLTVS Sal. An. 1026.

Mediolani Epiſcopus Herebertus recenti priuilegio donatus ab Imperatore Conràdo, inueſtiendi Laudenſis Epiſcopi, Ambroſium Mediolanenſis Ec-
XXXVI. cleſiæ cardinalem in demortui locum conſecrauerat, ac ad regendam Laudenſem miſerat eccleſiam; gladio ſibi valuas aperiens, quas calamo non potuerat. Inde elatior factus, a Laudenſibus in Mediolanenſes conuerſus, omnem mouerat lapidem, vt principatum vſurparet. Mulctabat ciues, exauctorabat nobiles, legebat militem; cum vrbe pulſi Mortam (locus eſt inter Mediolanum & Laudem) cum Laudenſibus, Seprienſibus, & Martheſanis inito fœdere conuenere. Nec moratur Herebertus, in pu-
XXXVII. gnam exit, in *Campo Malo* certatur: ſed victus Herebertus, Arderico Haſtenſi Epiſcopo amiſſo, excedit: & ad Conradum confugiens, in Italiam aduocauit; vt ait Si- XXXVIII
gonius.

Interim Erneſtus Dux Alemanniæ, Chuno Dux Franciæ, Fridericus Dux Lotharin- XXXIX
gorum, pleriſq; alijs in ſeditionem accitis, in Conradum molitur. Quos omnes flocci faciens Imperator, iter ſuum in Italiam retardare non duxit. Euntem Erneſtus cognomento *Seditioſus* pœnitentià ductus, proſequitur, Auguſtam Vindelicorum; vbi interuentu Giſelæ reginæ, matris ſuæ, & fratris Henrici adhuc paruuli, aliorumq; *principum*, multùm renuente Rege, vix in gratiam vitrici recipitur; vt ait *Vippo*. Indè Aquiſgranum pergens, non Anno Sal. 1027. c. 10.

Sal. An. 1026. XL. vt habet *Sigebertus* (sed 1026. vt ait *Vippo*) filium suum Henricum *puerum adhuc* quem mortuo *Henrico*, inter Bauaros. V. Duci Bauariæ D. Cunegundæ germano, Cal. Septemb. vita functo Sal. An. 1026. non 1047. vt volunt aliqui, successorem dederat)





XLI. Cæsarem designauit, & Brunonis Episcopi Augustensis sub tutela commisit. Ipse verò cum copijs Italiam petens, supradictum Ernestum Alemanniæ Ducem, nefario iure Campidonensi Abbatia donatum (militibus namque in stipendia, Christi dabatur sanguis, & Petri patrimonium) ad tuendam honorificè remisit in patriam.

Italiam ingressus per Veronam, Vercellas venit; ibi dum Pascha celebraret, moritur eiusdem ciuitatis Antistes, cui Hardericus Canonicus Mediolanensis successit. *Vippo c. 12.* Primum facinus, Hereberto rogante, fuit Mottenses inuadere, qui in armis erant. *Mottenses vincit.* Sed debili marte resistentes, dum ineunt, & supplices, prælium fugiunt, XLII. gratiam eis, patriamq; restituit: *Sigonio* teste. XLIII. His gestis, magno inde honore Mediolanum intrauit, *Mediolani coronatur.* ac regium ab Archiepiscopo diadema suscepit. Apud Vipponem de hac coronatione nec verbum, Modætiam [a] progressus, *a Insubrū vrbem* ibi iterum coronari se, veteri renouata consue- XLIV. tudine, petijt; dissuadenti porrò Hereberto, respondit, se Caroli Magni, & posterorum eius, exemplo permoueri; quod & Conradi *Corona palearis.* posteri sunt imitati. Hanc coronam Mediolanenses inuidia perciti ad contemptum, *palearem* vocarunt. In Roncalias profectus, omnium principum, ac populorum frequentissimum habens conuentum, prò re- XLV. gni firmitate nouas tulit leges: quarum vna *de beneficijs* adhuc legitur apud Sigonium.

Omnibus Sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus & nostris tam præsentibus, quàm futuris notum esse volumus, quod ad reconciliandos animos seniorum, & militum, vt adinuicem semper inueniantur concordes, & vt fideliter, nobis, & suis senioribus seruiant, & deuotè, præcipimus, & firmiter statuimus, vt nullus miles Episcoporum, Abbatum, Abbatissarum, Marchionum, vel Comitum, vel hominum, qui beneficium de nostris publicis bonis, aut de Ecclesiarum prædijs nunc tenent, aut tenuerint, aut hactenus iniustè perdiderint, tàm de nostris maioribus Valuasoribus, quàm eorum militibus, sine certa, & conuicta culpa suum beneficium perdat, nisi secundum consuetudinem antecessorum nostrorum, & iudicium parium suorum. Si contentio emerserit inter seniorem, & militem, quamuis pares iudicauerint, illum suo beneficio carere debere, & ille dixerit, hoc iniustè, vel

per

Sal. An. 1026. *per odium factum esse, ipse suum beneficium teneat, donec senior, & ille, quem culpat cum paribus ad nostram præsentiam veniant, & ibi causa iustè determinetur: Senior vero, & miles, qui culpatur, qui ad nos venire debuerint, sex hebdomadas antequam ire incipiat ei, cum quo litigauerit, innotescat. Hoc autem de maioribus Valuasoribus obseruetur, de minoribus verò in regno nostro, aut ante seniores, aut ante missum nostrum eorum causa finiatur. Præcipimus etiam, vt si aliquis miles siue de maioribus de hoc sæculo migrauerint, filios eius beneficium tenere, si verò filios non habuerit, & auiaticum ex masculo filio reliquerit, pari modò beneficium habeat, seruato vsu maiorum Valuasorum in dandis equis, & armis suis senioribus. Si verò forte auiaticum ex filio non reliquerit, sed fratrem legitimum ex parte patris, & si seniorem offensum habuerit, sibi vult satisfacere, & miles eius esse, beneficium, quod patris sui fuit, habeat. Insuper & omnibus modis prohibemus, vt nullus senior de beneficio suorum militum cambium, aut præcariam, aut libellum sine eorum assensu facere præsumat. Illius verò quæ tenet proprietario iure, aut pro præcepto suo porrectum libellum, siue per præcariam, nemo eum deuestire audeat iniustè. Fodrum autem de castellis, quod nostri anteceßores habuerunt habere volumus, illud verò quod non habuerunt nullo modo exigemus.*

XLVI. *Sigon. Ecclesiæ Mutiensi bona confirmat* Lombardiam indè perlustrans, Cremonam adijt, vbi XIV. Kal. Iulias, intercedente Gisla coniuge sua, Ingoni Mutinensi Episcopo Ecclesiæ bona confirmauit. XLVII. *Papienses punit* Et cum totam penè Italiam sub iuga misisset; Papienses (quia recusabant Regale reædificare palatium, quod solo æquauerant) supra modum *c. 12.* aflixit. Fortalitia Adelberti Marchionis, Vvilhelmi diruit; inter quæ, castrum erat nomine *Vrba*, vt scribit Vvippo: XLVIII *in Venetos molitur.* Agros vastauit; vineas succendit; nauigia abstulit; mercimonia vetuit; donec dilatione postposita, iussa complerent. Cogitabat etiam Venetis arma inferre, Aquileiensi Antistite instigante Peppone: sed maioribus curis implicitus, bellum intermisit, (*Petrus Iustinianus lib.* I.) *cap. 14.* & Rauennam se contulit vbi, teste Vvippone, *Quadam die (inquit) miseri Rauennates litem cum exercitu Regis commouebant,* XLIX. *Rauennates vincit.* *& in multitudine confisi, cum de ciuitate expellere conati sunt: & per cuiusdam portæ angustias eos, qui foris erant, prohibebant interioribus succurrere: excitato tumultu bellum vndiq; cæpit ingrauescere. Quidam in domibus hospites suos aggressi sunt: alij in plateis pugnabant: alij portas obsidebant: plures de muris: multi de turribus altis ignauum prælium cum saxis & sudibus commiserunt. E contra Teutonici armis & ingenio reluctantes, factis agminibus ante, & retro, Rauennates circumdabant: & sæuientibus gladijs viam adinuicem facientes, eos, qui fuerant medij, mortuos aut sauciatos, vel fugientes reliquerunt. Quidam comes nomine Eppo, optimus miles de Baioaria, cum Panone ciuitatem exiens, eos qui pontem superstabant, subiugauit: & plurimi eorum per illum solum de ponte præcipitati, in aqua necati sunt. Rex verò Conradus, sicut erat in cubiculo hanc seditionem intelligens, arma corripit, equum poscit, & egressus atrium, vtì vidit Rauennates bello victos ad Ecclesiam confugere, & vndiq; latibula quærere, misertus eorum, quoniam ex vtraq; parte sui erant, exercitum de persequutione ciuium reuocauit, & ipse in palatium se recepit. Mane autem facto Rauennates qui remanserant, in cilicio & nudis pedibus atq; exertis gladijs, vt lex eorum præcipit; victis ciuibus ante Regem venientes, sicut ipse præcepit, omnibus modis satisfaciebant. Ibi Rex Conradus maximam munificentiam in quendam sauciatum Theutonicum more solito ostendit,* L. *Militi gratus.* *cui pes cum magna parte supra talum in pugna penitus abscindebatur, cuius ocreas de coriofactas rex afferri præcipiens vtramq; nummis iussit impleri, & super grabatum sauciati militis iuxta illum poni.*

Inde in montana secedens vltra, Arin fluuium, quia nimio calore fatigabatur, qui tunc temporis multa millia hominum perdidit & animalium, ibi ab Archiepiscopo Mediolanensi vltra duos menses victum recepit regalem. Illinc autumnali decedens tempore, iterum tota peragrata Italia, in confinia peruenit Burgundiæ. Quid ibi egerit? dicam postea. Germanorum

Sal. An. 1026. LI. rum aliò me euocat tumultus. *Francorum enim Rex Robertus ad inuadendam Lotharingiam animum intendit, sed citò ab hoc conatu destitit*. Pariter Dux Gothelo, qui priuato odio incensus grauabat regnum Conradi, regi est conciliatus; *Sigebertus*. LII.

VVELPHI II. ET BRVNONIS EPISC. Aug. dissidium.

LIII. MAiora moliebantur Vvelpho Comes Altorfensis, & Bruno Pontif. Augustanus. Vvelfonum porrò recurrens memoria, eorum impulit altiùs inuestigare natalia; cum Germani Imperatores hostem non habuerint infensiorem Vvelfonum familia, licèt plurimis affinitatis & consanguinitatis catenata vinculis cum Imperatoribus. Plurimi fuere Genealogici, qui Vvelfonum Seriem contexerunt, nec sine laude. *Bucelinum* nouissimum credo, qui gloriosè insudauerit. *Agilolfingicam* dicunt familiam, vel *Agiluulfingam*, vel *Adeluuolfingam*, vel *Adelrulfingam*, & *Adelfingam* ab Adulphio, alij ab Agilulpho siue Hasbaniæ principe S. Bauonis patre; siue Taurinaticum Duce, postea Longobardorum, ope reginæ Theodelindis, Rege; his primus fuit, qui corona ferrea inter Italos redimeretur. *Asserunt* (Sigonius) *coronam ei impositam à Theodelinda regina institutam: auream illam quidem, verùm circulo ferreo interiore intextam, vndè post ferreæ coronæ nomen Italico Longobardorum in Regno enituit*. Tanto progenitore Agilolfingica est gens propagata, in principes, Duces, quos recensere difficile, vsque ad Carolimanni tempora, qui regia deposita purpura, claustralem D. Benedicti assumpsit tunicam, vnà cum Vvarino Agilolfingio Alemanniæ Duce. Fuit iste parens *Vvarini* iunioris, Isenbardi, & Attici, siue Ethiconis. Hic Vvarinus iunior vnà cum Ruthardo patruo suo S. Othmarum Abbatem cœnobij Sangallensis, quin ad Regem Pipinum pergeret, iniurias Monasterij à Ruthardo illatas propulsatum, in itinere intercepit, carceri tradidit, vbi miserè ex hac vita migrauit. Proindè rumore tyrannidis apud populum laborantes, coacti sunt secedere, Vvarinus in Gallias, Ruthardus longè ab aula vitam finiuit. Ex Vvarino, & Ruthardo plurimæ Principum numerantur phalanges; sed quia non nisi ex transuerso Vvelfones tangunt, studio præterimus. Ab Isenbardo Vvarini iunioris fratre, Alemanniæ Principe (quem a residentia Altorfensem, & Rauenspurgensem dicunt, recta linea descendunt *Vvelphi*, aut *Vvelfones*, vtroq; enim modo scribuntur.

LIV. *Velfonũ familia Cæsaribus infesta*

LV. *Isenbardus*

LVI. *Irmentrudes mater 12. gemellorũ.*

Coniugem habuit Irmentrudem sororem germanam Sanctæ Hildægardis Imperatricis, Caroli Magni coniugis, cui pro dote Rauenspurgum & Altorfium cum amplissimis dominijs cesserat. Hæc fortè cum ex arce prædicta descendens, in pauperculam fœminam incidisset, trium eodem partu editorum liberorum parentem, his, & sibi eleemosynam petentem. Expauit indignata Irmentrudes, incredula posse vnam mulierem, illibato thoro tot edere filios. Facescere propterea iussit, increpitans forsan vt adulteram pauperem illam. Ad lacrymas conuersa hæc, post innocentiæ Deum aduocatum testem, inuocauit & iudicem, vt tot gemellorum principem genitricem redderet, quot sunt menses in anno. Audijt qui pauperum preces exaudijt. Peperit elapso anno infantes duodecim, insigni corpusculorum elegantia. Attonita mater, hoc ipso, magis quàm partus doloribus fracta, quia non immeritò se adulterij suspectam Principi viro suo tunc absenti crederet; proin cauta, nè res in præsentium aulicorum notitiam veniret, coniuratis in silentium, quæ consciæ erant; obstetrici crudeliter mandat, vnico seruato, cæteros omnes Scherzio amne mergi, nè adulterij suspicione sua laboraret familia, ipsa interiret. Pergenti obstetrici, sic Prouidentia disponente superna, superuenit Dux Isenbardus splendido stipatus comitatu. Interrogant aulici quid in capite tectum gestaret? Ipsa *Catulos*, seu *Guelphos* ferre respon- LVII. *Guelphorum orig.*

An.Sal. 1062. respondente. Institit Princeps detegere, si quis fortè educendus placeret. Ipsa frustra informes, cæcos dicens, donec Principi redderetur suspecta, & euaginato gladio mortem mulieri intentaret. Tunc supplex rem prodidit, & pulcherrimam sobolem parenti exhibuit. Deo gratias egit Isenbardus. Postea coniurati, qui intererant omnes, atq; ipsa sceleris executrix, impunitate proposita, promissis superadditis, nè coniugi vlla suspicio esse posset, seruatos liberos, imo omnes, præter vnum, quem seruauerat, aquis mersos perijsse. Ita, quasi re bene gesta, obstetrix in aulam reuertitur, nec verbo facto de Principis reditu, qui studio moram nectens, donec de nutricio patre filijs circumspiceret, minimè suspecto, viro probo, sibiq; obnoxio, qui filios enutriret. Ita supra sexennium, tanti Ducis metu, arcanum latuit. Destinatis denique



anno, die, dum Natalis sui, Dux Isenbardus regio splendore memoriam celebrat, inter regias epulas veluti in scenam cogitat exponendos. Stabat cum coniuge Dux, cognatorum, amicorumq; manu circundatus. Prodeunt filij, qui molitoris credebantur, pro dignitate exculti, quid ageretur, ignorante matre. Sciscitatur Dux protinus, quodnam supplicium mereretur, qui tam generosos & numerosos *Guelphos* naufragio destinasset? Expauit mater, recordata piaculum, atq; exanimis cecidit. At maritus iudicis seueritate, quam simulabat, deposita, inter oscula & amplexus ruens, vt sibi ac liberis redderetur, illi criminis veniam coram omnibus dedit, filios declarauit, eum qui domi seruatus, tanquàm cæterorum gemellum, *Guelphum* deinceps voluit appellari. Sunt alij qui *Guelphorum* nomenclaturæ aliam dicant originem. Cæsaris aulam sequebatur Isenbardus, cum ab Imperatricis sorore, coniuge sua, filium summæ totiusq; prouinciæ lætitia, enixa domum occurrere exoratus, vale dicturo

ro

Sal. An. 1026. ro Cæsarem per iocum dixisse: *Quare sic festinas, tantùm Vvelphus tibi natus est*. Excepisse cum plausu Ducem,
LVIII. moxque Cæsarem Patrinum exorasse eius, cui ipse *Vvelphi* nomen imposuisset. Quomodò autem apud Carolum Magnum gratiam captasset Isenbardus, vt S. Hildegardis coniugis suæ sororem in vxorem acciperet, qui sacrilegio S. Othonari notatus, aulicis omnibus erat inuisus? Echehardum Sangallensem Synchronum scriptorem audiamus. *Otij impatiens Carolus, venatum Bisontium vel Vrorum in nemus ire, & Persarum nuncios secum parat educere, qui cum ingentia illa viderent animalia, nimio pauore pulsi in fugam conuersi sunt. Non territur Carolus, extracto gladio vni eorum ceruicem conatur abscindere, sed ictu frustrato galliculam regis fera disrumpit, tibiamq; illius summo licèt cornu perstringens, paulo tardiorem reddidit, & in conuallem casso vulnere irritatus aufugit. Cumque ad obsequium domini sui cuncti Hoßas suas vellent extrahere, ille prohibuit dicens: Sic affectus ad Hildegardem venire debeo. Consequutus feram Isambardus, filius Vvarini persecutoris, Patroni vestri Otthmari, cum propiùs non fuisset accedere, librata lancea inter armum & guttur, cor eius penetrauit, & Imperatori palpitantem consignauit. Quod cum ille, quasi non aduertisset, cadauere socijs relicto, est domum reuersus, aduocataq; Regina ostendit ocreas distruptas, dicens ei: Quid dignus est, qui de hoste hæc infligente, me liberauit? Illaque respondente: Omni bono. Enarrauit Imperator cuncta per ordinem, & immanissimis cornibus in testimonium prolatis ad lacrymas & suspiria, pugnosq; pectoris dominatricem coegit. Quæ cum audißet, quod tunc odibilis, & cunctis honoribus expoliatus Isambardus, Imperatorem de tali aduersario vindicasset, eius pedibus aduoluta, impetrauit ei omnia, quæcumque ei fuerant ablata, sed & ipsa eidem est munera largita*. Tanto beneficio illectus Carolus, lectissimam principem Irmentrudem sororem coniugis suæ desponsauit; quæ duodecim supradictos gemellos peperit; quorum vnus tantumodò Vvelphi nomen retinuit, non ab euentu supra memorato *Bucelinus* putat, sed ab Hunno siue Sunnone LIX. *Vvelphus*
Velipho, cæteri fratrum non vno, eodemque vsi nomine, insignia sumpsere diuersa (auitum tamen plerique retinuerunt) alij in parma & casside Vvelphum seu canem, alij in sola casside vsurpantes. Cænobia in gratiam fundatoris, Guelphum prò insigni sumpserunt. Fuit Vvelphus plurium Regum, ac Cæsarum consanguinitate felicissimus; eius filia *Iuditha* nomine nupsit Ludouico Pio Imper. Caroli M. Filio, de qua in vita Ludouici Pij Suanam concionem LX.
Brunonis Saxoniæ Ducem. Procreauit, & masculos *Conradum* Maiorem Regiæ domus, mox Burgundiæ Ducem, & Comitem Parisiorum. *Rudolphum* primatem regij palatij; Ethiconem tamquam primogenitum, successorem patris in principatibus qui, fratribus sororem Augustam prosequentibus, ipse quæ hæreditario iure per Alemanniam, Alsatiam, Bauariam obtinuerat, fæliciter gubernauit, regali magnificentia. LXI. *Vvelphorum magnificētia* *In tantum enim* (ait Vveingartensis) *ditati, vt diuitijs & honoribus Regibus præstantiores, ipsi quoq; Romano Imperatori homagium facere recusarent, & viribus proprijs confisi, omnes terminos suos, per se magna industria, & fortitudine defenderent. Domum quoque suam regio more ordinarent, vt ita quæque officia in eis, idest, ministeria dapiferi, Pincernæ, Marschalio, Camerarij, Signiferi, per Comites, vel eis æquipollentes regerentur. Præfecerant etiam familiæ suæ, tam maiori quàm minori, vnum de Maioribus Curiæ, quem nominabant aduocatum, qui vice sua pro omnibus suis staret coram Regibus seu Ducibus, vel alijs iudicibus, & in quacumque causa, vel querimonia prò eis responderet. Habebant & aliud quoddam insigne quasi sub priuilegio, vt proscriptos quosque, si ad se confugerent, reciperent, & vsq; ad excusationem, vel condignam satisfactionem, sine sanguinis tamen effusione, conseruarent. Quæ omnia ad honorem videlicet curiæ pertinentia, à successoribus etiam adhuc immutata consistunt*. Nec minus familiæ splendorem auget pietas, & regia liberalitas; qua *ecclesias regales, Constantienses, Augustensem. Trisingensem, Curiensem*,

Sal. An. 1026. *ſem, Campidonenſem, Vtinburenſem, magnis prædijs & multa familia ditauerunt. Quaſdam verò ex integro, a primo fundamento, quæ adhuc ad ſucceßores ſpectant, honorificè conſtruxerunt.*

LXII. Henricus cũ aureo curru. Ethico filium habuit Henricum, cognomento *Ducem cum aureo curru*. Chunonem ſiue Conradum Ducèm Franconiæ à Ludouico Pio Imper. creatum Huius Chunonis filius fuit Conradus I. Imper. Bardonem, Luitgardam coniugem Ludouici Regis Bauariæ. Iutham vxorem Arnulphi Imperatoris. *Henricus* (ſcribit Vveingarttenſis) *cum ad militares annos perueniſſet, & ſuæ voluntatis compos fieret, ignorante patre* ad Ludouicum Regem Bauariæ *ſe contulit, cumque illi ſumma familiaritate ſociaretur, & totius Bauariæ vires, terminos circumeundo & pertranſeundo cognoſceret, tandem conſilio principum, & maximè ipſius Ludouici inſtinctu, homagium ei & ſubiectionem fecit, & in beneficio quatuor millia manſuum,*



in ſuperioribus partibus Bauariæ ab eo ſuſcepit. Quod cum pater eius percepiſſet iratus, nobilitatem ſuam, & libertatem nimis eſſe declinatam (perpende Guelphicæ gentis nobilitatem) *vltra quàm credi poſſit, conſternatus animo dolorem ſuum omnibus ſuis charis expoſuit. Et aſſumptis duodecim ex illis infra montana ad villam, quæ dicitur Ambirgo, regalibus ædificijs, & poſſeſſionibus ditiſſimis relictis, ſeceſſit, & ibi non amodò viſurus filium ſuum, conſenuit.* Cur verò Henricus *Dux cum aureo curru* diceretur? Auentinus refert: *Henricus à ſororis marito* (Ludouico Rege) *quidquid in ſuperiore Bauaria aureo vehiculo à prima luce ad meridiem ambiret, quaſi ludo expoſcit. Ludouicus ratus fratrem coniugis pauperiorem eſſe, quàm vt aureum currum poſſideret, poſtulatis annuit. Mox Henricus plauſtro ruſtico, in ſinu quidem aureum curriculum admodum paruum geſtans, vndè cognomen ei adhæſit, circumuectus eſt à Lyco ad Ambronem, à Gelone*

Sal. An. 1026. *lone flumine ad Alpes Peninas. Arrisit Ludouico Dolus, & quæcumq; hisce finibus continentur, Henrico donauit.* Coniugem habuit Henricus *Hattham* Comitissam ab Ho-
LXIII. henrranh, Andechs, & Diessen, familiæ potentissimæ, e qua plurimi venere præstantissimi principes Meraniæ, Istriæ, Dalmatiæ.

Filios habuit Henricus *Rudolphum*, Ducem Bauariæ, Comitem Altorsensem, LXIV.
S. Conradum Episcopum Constantiensem,
Ethiconem, siue Atticum Ducem Bauariæ Principem Rhetiæ, qui sine legitima prole decessit.

Ex Rudolpho & Secburge Sueuiæ Ducissa, nascitur LXV.



Vvelphus II. magna potentia princeps;
Ethico Ep. Augustanus
Gerbirga coniux Arnulphi cognomento Mali Ducis Bauariæ.

Nec mireris, si Vvelphorum omnes lineæ hic, minimè sint insertæ; nam eas tantùm ponimus, quæ conducunt ad tantæ familiæ notitiam, non vt gloriæ eis debitæ tributum soluam, sed quò clariorem peragam Cæsarum historiam. Velphus itaq; II. vxorem habuit Irmentrudem sororem Kunegundis virginis & coniugis Henrici Sancti, magna propterea apud vtrumque Augustū gratia, & auctoritate legimus in vita Vvelphonis II. apud Bucelinum. Ob hanc tantumodò forte causam Brunoni Augustano Pontifici, & S. Henrici fratri inuisus, quia propensior erga Vvelphonem videretur Henricus. Lacessiuit sepè, & exprobrauit Vvelphonem Bruno; sed iniurias persequutus Vvelpho, Episcopatum & Vrbem obsidione cingendo, forti manu & violenti armorum lenocinio gratiam redemit Brunonis, & tanta necessitudine firmauit, vt mortalis non videretur. Eam tamen disrupit imperij libido, & auaritia humana. Cum designato per Sanctum Henricum Germaniæ Principibus, successore *Conrado* Franconiæ

LX. *Vvelphi II. & Brunonis Augustani dissidia.*

An.Sal. 1062. coniæ Duce; siue præteritum sese ab affine dolens *Vvelpho*, siue Conradum minùs æquum sibi fore suspicatus, arma capit in Brunonem, qui Conradi non tàm partes sequebatur, quàm Henricum Conradi filium tutorio nominè custodiebat, dum Cæsar in componendis imperij motibus, in Italia degeret. Proin Vvelpho infestis de-


Hattha ux. Henrici.


Henricus f. Ethiconis

nuò armis Brunonem aggreditur, & cum longè Conradus abesset, Episcopi ditiones, castra depopulatur. Hisce agitabatur Germania armis, cum inchoante Anno Sal. M.XXVII. Ad Conradum natalia Domini celebrantem in ciuitate *Ipo* venere legati Ru-
LXVII. dolphi regis Burgundiæ, exhibentes illum Romam venturum ad imperialem consecrationem Conradi Regis. Gratum fuit nuncium; vnde cum munèribus legatis remissis, ipse Padum transiens, Romam tendit. *Cōradus Romam pergit* In itinere Lucenses offensos habuit Reginhero Marchione Duce. Sed paululùm moratus, ciuitate & Marchione in ditione acceptis, omni Thuscā breuì subiugatā, ouans Romanā visitat arcem. *Vvippo.* *Lucenses subiugat cap. 15.*

CONRADVS ROMÆ A PONTIFICE CORONATVR An. 1027.

LXVIII. *cap. 16 & Otto Frising. cap. 19.* ANno itaq; Sal. M.XXVII. Romam ingressus Conradus, in die Sancto Paschæ; qui (teste Vvippone) *eo anno VII. Kal. April. terminabatur*, inter duos, Cinitonem Anglorum, & reginæ Giselæ auunculum Rudolphum Burgundiæ, reges, honorificè procedens, a summo Pontifice Ioanne coronatus est & à Romano populo.

Cæsar & Augustus Romano nomine dictus.

Vbi etiam Regina Gisela Imperatricis consecrationem, & nomen ibidem accepit. Verùm, quod supplet Sigonius, licèt apud seniores non reperiatur, monimento dignum recensentes, inserere duximus. Officij gratia cum omnibus Italiæ proceribus Antistes Rauennas Romam conuenerat.

Sal. An. 1026. uenerat. Is Resurrectionis die, quo in Vaticana Basilica, Augustalia insignia Conradus debebat recipere, cum præsens pompæ adesset, absente fortè Mediolanensi, Conradum manu prehendit, vt ipsum Pontifici prò ara stanti offerret. Quo animaduerso Mediolanenses legati, munus id Antistitis sui esse clamarunt, cui iusserat, Italiæ Regem legere, & coronare. Inter principes, & antistites propterea excitato tumultu, tum Conradus, audientibus omnibus; *Non est dubium* (inquit) *Reuerendi Patres, quin quemadmodum Imperatoris inunctio ad Romanum Pontificem spectat, sic Regis Italiæ consecratio tota sit Mediolanensis Antistitis: quare est æquum, vt Mediolanensis antistes, cuius manu in regem Italiæ futurus Imperator inungitur, si adsit, Regem Pontifici offerat, quem ad imperium prouehat vt ex eius auctoritate possit imperare, qui eiusdem ordinatione didicit, & cæpit regnare.* Annuente verò Pontifice, Mediolanensis est vocatus. Cum autem iusta de causa abesse diceretur, iussit Pontifex, vt Ardericus Vercellensis Episcopus seruatas Metropolitano suo vices impleret: atque ita ab Arderico Conradus oblatus aureum diadema suscepit.

LXIX. *Cōtentio inter Mediolanēses & Rauennates de præsentatione Imperatoris.*

LXX.

His ita peractis (scribit Vippo) *Imperator duorum Regum medius ad cubiculum suum honorificè ductus est.* Cum Paschales dies sunt Romanorum, & Teutonicorum seditione polluti. Contendebant duo pro corio bouis, cumq; se inuicem pugnis cæderent, commotus est exercitus Imperialis. Conuenere ex vtraq; parte Teutonici, & Romani; primo in conflictu cecidit Berengarius Lutoldi Comitis filius Alemannus, natalibus, & bellicis facinoribus clarus, & charus Imperatori, quem iuxta tumulum Cæsaris Ottonis humari mandauit. Romani diù resistentes, victi fugerunt, & centeni ceciderunt. Postera die Romani, qui seditionem mouerant, ante Imperatorem venientes, nudatis pedibus, liberi nudo gladio, serui circa collum vimineo torque quasi ad suspensionem parati, vt Imperator iussit, satisfaciebant.

Romanorum & Germanorum cædes.

LXXI. *Berēgarius.*

LXXII. *Priuilegium ecclesiæ Patauinæ.*

Non multò post in Lombardiam Conradus rediјt. Extant enim diplomata, quibus ille v. Non. Maij Rauennæ sanciuit bona Patauinæ Ecclesiæ, & *IX. Kal. Iunias* Veronæ *An.* 1027. *Imperij verò sui primo*, vt in diplomate scriptum esse testatur *Sigonius*. Eo tempore latronem quendam, (*tyrannum* dicit Vvippo) nobilem genere, moribus turpem, *Thaßelgart* nomine, dum captum Imperator audiret, cucurrit; vt ferè centum miliaria Latina die nocteque pertransiret, timens, ne iterum euaderet. Eum cum imperator vidisset, dixisse fertur: *Nonne est hic ille leo, qui deuorauit bestias Italiæ? per S. Crucem Domini, talis leo non comedet amplius de pane meo.* Quo dicto statim suspendio peremit.

LXXIII.

In Apuliam postea procedens, Beneuentum, Capuam, cæterasq; illius regionis vrbes, vi vel amore deditas, Normannis distribuit, vt aduersùs Græcorum versutias defenderent.

LXXIV. *Normãno Apulia donat.*

VVELFFO AVGVSTAM OCCVPAT. ERNESTVS PERIVRVS DEFICIT.

IN Italia morante Conrado, apud Teutonicos quamplurimi aduersus eum seditiosi eruperant. Inter eos supradictus Vvelffo arma corripuerat in Brunonem Augustanum Pontificem, vineas succendens, oppida diruens, homines in captiuitatem trahens: *ad extremum ipsam Augustam irrumpens, ærarium Episcopi despoliauit* (scribit Vvippo) *& totam ciuitatem vastauit: quod postea, cogente Imperatore, totum restituit, & Episcopo emendauit.* Adiungit Bucelinus, Vvelphone populante Augustã, Brunonem maturè se admodum cladi præripuisse. *Tum Fruxinensem, vulgò Frisingensem Episcopum Engelbertum Comitem à Mosburg cum Cæsareanis copijs Brunoni opē laturum in fugam vertit, totumq; eius Episcopatum hostiliter peraudit, cum ipso denique Cæsare in campo Hertfeld armis congreditur, donec compositis postea rebus, pax diù desiderata Germaniæ redderetur. Inde dulce sectatus otium, Cæsari amicus, charus omnibus, ad multam ætatem, vitam traduxit.* Historiam hanc, quam Bucelinus ex Anonymo Vveingarttensi deducere profitetur, suspectam redargnunt tum Vvippo dicens *cogente Imperatore Vvelpho totum restituit, & Episcopo emendauit.* Tum Chronica Augustensis,

LXXV. *cap.19.*

Histor. Agilolf. cap 14. in vita V. velffon. II

Sal. An. 1026. gustensis, in qua legitur sub An. Sal. 1027. *Vvelff Comes & alij ad deditionem, venientes custodiæ deputantur*. Postea sub Anno Sal. 1030. scribit *Vvelff obijt*. Vnde Vvelphonis obitus nutat in incerto.

Cum Vvelphone conspirauerant Chuno
LXXVI. Dux Vvormatiensis, patruelis Imperatoris; fidus Imperatori (ait *Vvippo*) haud erat, sed interim quietus coniuratorum expecta-
cap. 19. bat euentum. Fridericus Dux Lotharingorũ, vitricus prædicti Chunonis Imperatori inimicus, fato præmaturo concessit. Erne-
LXXVII. stus supererat Dux Alemaniæ Conradi Imper. priuignus, nuper ab eo muneribus & honoribus donatus. Is consilio comitis Venrenharij (vt scribit *Otto Trising.*) Alsatiam vastat, castella Comitis Hugonis, qui erat consanguineus Imperatoris populatur; deinde iuuenum collecto exercitu, Burgundiam inuadit, & vltra castrum *Solo durum*, insulam quandam aggere & vallo firmare cepit: sed Rodulphus Rex Burgundionum veritus hostem Imperatoris recipere, ab incœpto illum prohibuit. Inde reuersus supra Turicum, quoddam castrum muniuit, & Angiensem Ecclesiam nec non Abbatiam S. Galli distrahendo, non modicum patriæ intulit damnum. *Lib. 6. c. 29.*

CONRADVS GERMANIAM REPETENS ERNESTVM RELEGAT.

Vvippo cap. 20. HIsce euocatus Conradus post Italiæ firmatam pacem, Alemaniam repetit; & Augustæ Vindelicorum consilio habito, ad oppidum quod *Vlma* dicitur veniens, colloquium publicè condictum illic habuit. Eò venire Ernestus renuit, armatorum multitudine confisus. Ad quos post memoratum promissæ fidei Sacramentum, hortabatur, *ne illum desererent, ne honorem suum perderent, non decere eos immemores fore, in historijs patrum semper Alemannos bonæ fidei, & stabilitatis in dominos testimonium habere: & si sibi fidi forent, illis præmia, posteris eorum gloriam & honorem esse futurum. Talia dicenti duo comites Fridericus, & Anselmus prò cæteris respondebant. Nolumus inficiari quin vobis fidem firmiter promitteremus contra omnes præter eum, qui nos vobis dedit: si serui essemus Regis, & Imperatoris nostri, & ab eo iuri vestro mancipati, non nobis liceret à vobis separari. Nunc verò cum liberi simul, & libertatis nostræ summum defensorem, interea Regem & Imperatorem nostrum habeamus; vbi illum deserimus, libertatem amittimus, quam nemo bonus, vt ait quidam, nisi cum vita simul amittit. Quod cum ita sit, quicquid honesti & iusti à nobis exquiritis, in hoc parere volumus vobis: si autem contra hoc vultis, illuc reuertemur liberaliter, vnde ad vos venimus conditionaliter. His auditis Dux, cum se intellexisset à suis dimitti, sine omni pactione Imperatori se reddidit: quem Cæsar in Saxoniam exulare fecit super quandam rupem, quæ* LXXVIII. *Gibichenſteim dicitur, vt ibi castigatus, à rebellione vlterius desineret.*

CONRADI IMP. CVM REGE BVRGVNDIÆ COLLOQVIVM.

LXXIX. REbellibus Alemanniæ domitis, Basileam venit Imper. illi occurrente Rodulpho Burgundiæ Rege extra vrbem iuxta vicum qui *Mittenha* dicitur. Ibi intermedia Gisela Imperatrice pacem confirmant, Burgundiæ regno Imperatori tradito, quemadmodum & Henrico Sancto datum fuerat. Porrò Rex ampliatus donis in Burgundiam reuertitur: Imperator per Rhenum in Franciam veniens, Chunonem patruelem suum, priùs rebellem, in deditionem acceptum aliquantisper libera custodia corripuit, arces eius dissipauit, tandem in gratiam restituit. Et cum paulò post Dux Histrianorum seu Carintanorum Adelbero quia reus maiestatis cum filijs suis exularet, ducatum eius iste Chuno ab Imperatore suscepit: quem ducatum pater eiusdem Chunonis dudum habuisse perhibetur. Ita Dux Chuno quousque vixit, fidus permansit. LXXX. *Chunonis punit.*

CONRADVS HENRICVM FILIVM MANDAT REGEM CONSECRARI.

LXXXI. ANno Dom. MXXIIX. Indictione XI. *Imper. Conradus Henricum filium magni ingenij, & bonæ indolis puerum, ætate XI. Annorum, principibus regni cum tota mul-* *Vvippo c. 23.*

Sal. An. 1020. *titudine populi id probantibus, à Peligrino Archiepiscopo Colonniensi in regalem apicem, Aquisgrani sublimari facit. In Dominica Paschæ consecratus & coronatus, paschalem lætitiam triplicauit. Nam dum in superioribus annis duas coronas, idest patris, & matris suæ mundus veneraretur, nunc tertia addita*

Aurea spes pacis, quam Rex cum Cæsare fecit.

LXXXII *Pandulfus Capuæ Princeps* Pacata Germaniâ, Italia denuò concitatur à Pandulfo Capuæ quondam principe, qui rogante Guaimarico Salerni principe cognato suo, è vinculis à Conrado dimissus, in Campaniam redierat (Sal. An. 1027. vt legitur apud Sigonium) *atque Apulis, Græcis, & Normannis in auxilium aduocatis, Capuam, quam Pandulfus Teanensis beneficio Henrici tenebat, premere instituit obsidione. Teanensis verò à Catapano in fidem receptus Neapolim incolumis ad Sergium magistrum militum, ac tandem exacto Sergio, Neapoli à Pandulfo occupata, Romam euasit, vbi exul obijt. Hisce elatus Pandulfus in contumeliam Imperatoris monasterio Cassinati omnia detrimenta intulit, quæ potuit. Nam & Theobaldum Abbatem ad se euocatum propè in custodia habuit, & eius loco Basilium quendam Monachis præpositum dedit, qui ad ceteram insolentiam monasterium multis possessionibus, & sacrarium multis pretiosis ornamentis nudauit: & post aliquot annos, mortuo Theobaldo, Basilium Abbatem substituit; qui in eadem aduersùs Monachos superbia perstitit.*

SCLAVOS CONRADVS DOMAT BRVNONIS OBITVS Sal. An. 1029.

LXXXIII. ANnum Sal. 1029. Vvippo memorabilem dicit, sola morte Brunonis Pontificis Augustani, dum, cum Imperatore in Baioaria Ratisponæ Pascha celebraret. Cuius corpus Imperatrix, prosequuta cum Rege Henrico filio ad Augustam sedem sepeliri fecerunt. *Nobilis fuit iste Episcopus, nam frater Henrici Sancti, & filius materteræ Giselæ Imperatricis, soror verò eiusdem Episcopi nupta Stephano Hungarorum Regi, causa fuit Christianitatis, primùm in gente Pannonica*, vt ait Vvippo. Legimus tamen apud *Sigebertum*, quòd hoc anno. *Conradus Imperator rebellantibus Sclauis, ad eos debellandos proficiscitur.* Adiungit, *Hoc etiam anno idem Conradus Imper. rebellantibus Hungaris ad eos debellandos proficiscitur.* Sed fallitur, nam testimonio Vvipponis in Hungaros, Conradus arma corripuit solùm anno sequenti, 1030.

Verius duco edictum *de Banno forestorū* hoc anno latum fuisse, vt legimus apud Goldastum, quia datum dicitur Ratisponæ.

De Banno Forestorum.

LXXXIV C*Hunradus, clementia diuina fauente, Romanorum Imperator Aug. In syluis, campis, fluminibus, & paludibus forestatis & banni nostri districtu circumuallatis, ea ratione bannum facimus, vt nemo vlterius in eisdem absque Domini, suorumq; hæredum licentia, potestatem habeat venandi, sagittandi, retia, aut laqueos ponendi, aut vllo ingenio feras decipiendi, quæ meritò sub iure banni continentur. Oudalricus Cancellar. vice Aribonis Archicapellani recognouit. Dat. Ratisponæ III. Cal. April. Ind. XII. An. Dom. Incar. M. XXIX. Anno autem Regni nostri v. Imperij verò secundo.*

ERNESTVS DVCATVM REDIMIT, SED PROTINVS AMITTIT. Sal. An. 1030

LXXXV. ANno Sal. M.XXX. Conrado apud Ingelnheym Pascha celebrante, Duci Ernesto iam à custodia soluto, veniam supplicanti, ea conditione promittitur, & ducatus exhibetur, si Vvehelonem militem suum, qui cum satellitibus suis regnum turbauerat, vt hostem persequeretur, & id se facturum Sacramento firmaret. Quod cum recusaret Ernestus, hostis publicus Imperatoris proclamatur, vndè penitus amisso ducatu, paucis militibus stipatus indè recessit. Imperator verò ducatum Alemanniæ Hermanno fratri iuniori eiusdem Ernesti concessit, eumque Vvarmano Constantiensi

Epi-

Sal. An. 1030. Episcopo commendauit. Ernestum postea cũ perduellibus communi principum consilio, ab Episcopis excommunicari fecit, eorũq; bona publicari, patiente nec contradicente Gisela Imperatrice matre: sed iure exigente, omnibus fideiubẽte percussoribus securitatẽ.

CONRADVS MOVET IN HVNGAROS.
Sal. An. 1030.

XXXVI c. 16. Eodem tempore (vt scribit Vvippo) dissensiones ortæ sunt inter Pannones, & Baioarios, *culpa tamen Baioariorum factæ sunt: ita vt Stephanus Rex Vngarorum multas incursiones & prædas in regno Noricorum, idest Baioariorum faceret: vndè commotus Imperator Conradus cum grandi exercitu super Vngaros venit. Rex autem Stephanus minimè sufficiens aduersus Imperatorem, orationibus & ieiunijs in vniuerso regno suo indictis, præsidiũ domini tantummodò flagitabat. Imperator tam munitum regnum fluuijs & syluis intrare non valens, multis tamen prædationibus, incendijs circa terminos regni iniuriam suam satis vlciscens, reuersus est: volens tempore opportuniori incœpta peragere. Sed filius suus Rex Henricus adhuc puerulus Eigelberto Trisingensi Episcopo creditus, legatione Stephani regis pacem rogantis accepta, vnico consilio principum regni, patre nesciente, gratiam reconciliationis annuit: iustè & sapienter agens, qui regem iniustè iniuriatum, vltrò petentem gratiam, recepit in amicitiam.*

ERNESTVS PERIT *Sal. An.* 1031.

XXCVII. Interea dum inter Alemannos & Hungaros simultas gliscceret; Ernestus dignitate priuatus, non habens, vndè Conrado resisteret, assumpto Vvehelone milite suo, cum alijs paucis perrexit in Franciam Latinam ad Odonem propinquum suum (Mater namque Odonis, & Mater Giselæ Imperatricis, sorores fuerant) sed nollet vel non auderet Odo Conradi arma experiri, nil solatij contra Imperatorem Ernestus retulit. Reuersus itaq; in Alemanniam, in eremum, quæ *Nigra sylua* dicitur, se recepit, miserabili præda vitam agens. A militia tandem Cæsaris dum vndique coarctaretur à fautoribus Imperatoris cursores omnes Ernesti in pascuis reperti, sublati sunt. Dux verò perditis equis, in quibus confidebat, quò se verteret, trepidabat. Collectis, qui supererant sylua egreditur, secum cogitans, meliùs esse honestè mori, quàm turpiter viuere. Cumq; peruenisset in saltus syluarum, *Bara* dictos: vidit castra deserta, quæ priori nocte occupauerant hostes, sibi parari percepit insidias. Nam Manegoldus Comes, miles Imperatoris, grandi reditu ex Augensi Abbatia ab Imperatore donatus & Vvarmano Constantiensi Episcopo, qui tunc vice Ducis Heremanni Alemanniam gubernabat, præsidio locatus fuerat, nè regionem popularetur Ernestus, eum à tergo insequebatur; in insidias cum peruenisset, ita coniuncti sunt, vt se inuicem affari possent. Excedebat autem Ducem Manegoldus numero militum,

Nec mora congressi pugnabant acriter omnes

(ait Vvippo) turmas Ducis excitabat vindicta libertatis amissæ, & vnà cum patria, bona omnia, liberos, deosq; penates. Phalanges verò Imperatorias gloria, præmium Ernestus cum nemini parceret, neminem sibi parcentem inuenit, & à plurimis vulneratus, postremò interfectus, occubuit. Cum eo cecidit Vvecilo Comes miles Ducis, cuius causa Ernestus properauit ad mortem. Ceciderunt etiam præter turbam Adelbertus & Ivverin viri nobiles. Ex aduerso perijt Comes Manegoldus, & cum eo plurimi. Ernesti corpus Constantiam delatum, indulgente Episcopo, licèt excomunicatum in Ecclesia S. Mariæ sepultum est. Manegoldi cadauer in Augia est humatum.

Accidit hoc bellum semper miserabile multum

XV. Kal. Sept. Imperator habita notitia, dixisse fertur.

Rarò canes rabidi fœturam multiplicabunt.

OBIT

Sal. An. 1033. *OBIT RODVLPHVS REX BVRGVNDIÆ. Odo regnum eius inuadit Sal. An.* 1032.

XXCVIII Anno Dom. 1032. (vt scribit *Vvippo*) Rodulphus Rex Burgundiæ, Giselæ Imperatricis auunculus Henrico nepoti, Conradi Imperatoris filio moriens testamento regnum reliquit. Qua re comperta Cælticæ, Comes Odo Francigena, Rodulphi sororius, regnum illud ad se pertinere contendens, Burgundiam cum militum lecta manu ad se traducere nititur. Regnum cum dimittere nollet, nec se regem facere auderet, vocitabat semper gaudere tantùm *se regis esse magistrum*. Ob id Conradus Polonico bello dimisso, diebus Natalitijs nouas copias comparauit, vt Burgundiam redimeret. Sed hyeme ingrauescente in hyberna militem duxit. Quid Imperator in
cap. 29. Sclauonia ageret. Scribit Vvippo. Duos reliquerat filios *Bolislaus* Dux Bolanorum, *Misiconem*, & *Ottonem*. Dominandi cupi-
XXCIX. do, quæ consortem non patitur, Misiconē impulit, vt Ottonem persequeretur fratrē, & in Russiam expelleret. Expulsus Otto ab Imperatore rogauit, in patriam restitui. Annuit Imperator; à quo fatigatus Misico, in Boemiam fugit ad Vdalricum Ducem, qui, vt sibi iustè iratum Imperatorem placaret, occiso enim fratre suo Iacomaro, noua moliebatur; & vnà cum Misicone Imperij iugum rigida ceruice nitebatur excutere, sacrilegio hospitalis fidei, & amici proditione Conrado per litteras significauit; se ei Misiconem proditurum, solius pacis pretio. Abhorruit Imperator perfidiæ scelus, & protinùs Misiconem periculi, in quo versabatur, commonuit. Præclarè pronuntians *se nolle inimicum emere ab inimico. Germanos solere virtute cum hostibus, non fraude certare, nihilq; acriùs, quàm perfidiam vlcisci, sceleribus, non nomini hostium irasci: oportere armatum esse, quem oderint*. Hac integritate Imperatoris Misico ad Conradum profectus, ipsi supplex factus, veniā petijt, & impetrauit cum tertia parte Poloniæ, quam inter fratres Cæsar diuisit. Hæc omnia, *Vvippone* teste, sub Anno Sal. 1032. non sub An. 1028. vt notauit Soldastus. *Sic imminuta potestate, minor facta est temeritas. Defuncto Misicone, Casimirus filius eius fideliter seruiebat hucusque Imperatoribus nostris*. Vvippo. cap. 29.

CONRADVS ET HENRICVS BVRGVNDIAM PETVNT. Sal. An. 1033.

XC. Anno Domini M. XXXIII. In Argentina ciuitate Seruatoris celebrato Natali, Conradus vnà cum Henrico filio per Solodorum Burgundiam ingressus, ad Paterniacum Monasterium venit, vbi in Purificatione S. Mariæ, à maioribus & minoribus regni Burgundiæ Rex coronatur. Hyemis verò asperitate rigente, statiua habuit ad castrum Turcicum. Ibi Vidua Regina Burgundiæ, Comes Hupertus, & alij Burgundiones per Italiam iter agentes, vt Odonis effugerent insidias, Conrado occurrentes, fidei præstito iuramento, mirificè donati redierunt. Proxima porrò æstate prædia, & fortalitia Odonis (licèt in regno Henrici Francorum Regis) populando ad deditionem compulit. Moritur hoc anno
CXI. Fredericus Dux Mosellanorum, & *quia mares filios non habebat, quibus competeret ducatus: Gothelo Dux, impetrato ab Imperatore etiam Mosellanorum, ducatu, in Lotharingia, potentiùs principatur*. Ita Sigebertus, cuius Chronologiam in plurimis falsam præcipuè quoad historiam Odonis reddarguere fas est, Vvipponis auctoritate Conrado contemporanei.

Sequenti anno, fuit Sal. 1034. Ratisponæ Paschate celebrato, rebellem adhuc & Vvippum c. 32.
tumultuantem Odonem Conradus inuadit, XCII.
suppetias cum Italis ferente Heriberto Mediol. Antistite, ductu Huperti Comitis de Burgundia. Augustus veniens ad Geneuensem ciuitatem, Geroldum principem regionis illius, & Archiep. Lugdunensem subegit. Castrum *Murat* cepit: propugnatores captiuos duxit: omnesque regni eius principes dare obsides compulit. Redijt postea per Alsatiam ad Imperatricem, quæ Argentinæ eum expectabat, sed XCIII.
nimis tristis ob mortem filiæ Mathildæ, iam Henrico Francorum Regi desponsatæ; quæ Vvormatiæ sepelitur.

HEN-

HENRICVS CONRADI FILIVS SCLAVOS SVBIVGAT CHRISTIANOS.

XCIV. BVrgundiæ motibus, dum implicaretur Conradus; filius eius Henricus Rex licèt in puerilibus annis (ſcribit Vvippo) *non ſegniùs Reipub. conſuluit in Bohemia, & in*
c. 33. *cæteris regionibus Sclauorum: vbi & Vdalricum Ducem Bohemiæ, reliquosq; Cæſari aduerſantes ſtrenuè ſubiugauit, & redeunti patri occurrens, de duplici victoria duplex gaudium populis effecerat. Deinde collectis copijs de Saxonia ſuper eos, qui Lutizi (al: Lintizi) vocantur, quique olim ſemichriſtiani, nunc per Apoſtaticam nequitiam, omninò ſunt pagani, Imperator venit: ibique conflictum implacabilem mirabiliter diremit. Inter*
XCV. *Saxones enim & Paganos fiebant ea tempeſtate multæ diſſenſiones, & incurſiones: cumq; Cæſar veniret, cœpit quærere, ex qua parte pax, quæ diù inuiolata inter eos fuerat, priùs corrumperetur; dicebant pagani à Saxonibus primitùs pacem confundi, idq; per duellum, ſi Cæſar præciperet, probari. E contra Saxones ad refellendos Paganos ſimiliter ſingulare certamen, quamuis iniuſtè contenderent, Imperatori ſpondebant. Imperator, conſulentibus principibus ſuis, licèt non ſatis cautè ageret, hanc rem duello dijudicari inter eos permiſit. Statim duo pugiles congreſſi ſunt, vterque à ſuis electus: Chriſtianus in ſola fide, quæ ſine operibus iuſtitiæ, mortua eſt, confidens, & non diligenter attendens, quòd Deus qui veritas eſt, omnia in verò iudicio diſponit, qui ſolem ſuum oriri ſuper bonos & malos facit: qui pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos, audacter pugnare cœpit. Paganus autem ſolam conſcientiam veritatis, pro qua dimicabat, præ oculis habens, acriter reſiſtebat. Poſtremò Chriſtianus à Pagano vulneratus, cecidit. Ex qua re Pagani in tantam elationem, & audaciam venerunt, vt niſi Imperator adeſſet, continuò irruerent ſuper Chriſtianos. Sed Imperator ad compeſcendas incurſiones eorum, conſtruxit caſtrum Vvirbinam, in quo præſidia militum locabat, & Principes Saxoniæ, vt vnanimiter reſiſterent Paganis, Sacramento, & Imperiali iuſſione conſtrigebant, deinde reuerſus eſt in Franciam. Sequenti anno idem caſtrum dolo à Paganis ereptum eſt, & plures noſtrorum, qui in eo erant, occiſi ſunt. Hinc commotus Imperator, iterum cum copijs vſque Albim fluuium venit. Sed cum Pagani tranſitum prohiberent, Imperator per aliud vadum fluuij, partem exercitus latenter tranſmiſit; & ita fugatis hoſtibus, ipſe per ripam, liberam regionem ingrediens, immenſis deuaſtationibus, & incendijs, vbiq; etiā in locis inexpugnabilibus, ſic humiliauit eos, vt cenſum ab antiquis Imper. propoſitum, & iam auctum, Conrado Imperatori poſteà per-* XCVI.
ſoluerent. Multùm enim laborauit Imperat. Conradus prius, & tum in gente Sclauorum. Stabat in paludibus vſq; femora pugnans ipſe, & exhortans milites, vt pugnarent: & victis paganis, nimis acriter trucidabat eos pro quadam ſuperſtitione illorum nefandiſſima. Nam fertur, vt quodam tempore effigiem ligneam Crucifixi D. N. I. C. ſcelerato ludibrio habuiſſent Pagani, & in eam ſpuerent, atque colaphis cæderent, ad extremum oculos eruebant, manus & pedes truncabant. Hæc vlciſcens Imperator de captis Paganis maximam multitudinem prò vna effigie Chriſti, ſimili modo truncauit, & varia morte deleuit. Idcirco Cæſar vltor *fidei vocatur, & Romanis principibus Tito & Veſpaſiano comparatur, qui in vltionem Domini triginta Iudæos pro vno numo, commutauerāt cum Iudæi Chriſtum pro totidem denarijs vendiderint. Reuerſus Imperator, quicquid obſtaculi in regno inuenit, imperioſè diſiecit. Eodem anno Adalbero Dux Carantanorum Imperatoris gratiam perdens, ducatum amiſit, & in exilium miſſus eſt.* Hoc eodem anno apud *Hermannū* legimus, quod Cōradus *Ex caſtro Limpurgo inter Nemetes & Vāgiones ſito, monaſterium fecit, quod in honorē S. Crucis, & D. Io: Euangeliſtæ dedicari iuſſit.*

ITALORVM CONIVRATIO *Sal. An.* 1035.

XCVIII. DIſcordiam qui ignorat, ad Italos ſe conuertat. Dum dominus quieſcit, murmurat ſeruus. Et neſcia pacis Italia, ſi foris non habeat, Domi inuenit bellum. Coniurauerant omnes Valuaſores Italiæ, & gregarij milites aduerſus dominos ſuos, ne pre-

An. Sal. 1035. premerentur inuiti, etiamsi noxij, dicentes. *Si Imperator venire recusat; nos ipsi iura nostra faciemus.* Hoc cum nuntiaretur Conrado, dixisse fertur. *Si Italia modo esurit legem, concedente Deo benè legibus hanc satiabo.* Præuidentes hoc Italorum Principes prius consilijs satagentes reuocare concordiam, cum frustra agerent, arma mouere; sed à minoribus victi, panico timore correpti fugerunt; inter quos *Episcopus Astensis indigna statione perijt,* ait Vvippo. Sigonius verò rem paulò diuersam narrat. *Imperij summa* (inquit) in Oriente cum peruenisset ad Michaelem Paphlagonem, *Lombardi, siuè integræ libertatis studio inflammati, siue immodico Conradi incitati imperio, dum Conradus nouo Liutico bello in Saxoniæ finibus detinetur, noua defectionum consilia inierunt, atq; Hereberto Archiep. patiente, aut certè non prohibente, missis nuncijs inter se conirarunt, se non passuros, quemquam regnare, qui aliud, quàm quod ipsis luberet, sibi imponeret. Inter hos autem eluxit Cremonensium facinus. Hi Landulfum Episcopum consilijs aduersarium nacti per iracundiam inuaserut, eoq; vrbe depulso, bona expilarunt, atq; oppidum eius arce, duplici muro, & turribus septem munitum euerterunt, & custodes, qui ibi cum quibusdam canonicis erant, venales habuerunt, eosq; fortunis omnibus spoliarunt. Vrbe verò vetere à fundamentis eruta maiorem alteram, vt Conrado resisterent, condiderunt: ac postero anno Hubaldum Episcopum, qui mortuo Landulfo, successerat multis contumelijs affectum, possessionem inire bonorũ Ecclesiæ vetuerunt.* Non ignorabat Conradus Italorum mala, sed grauioribus obstrictus curis protrahebat occurrere.

NVPTIÆ HENRICI, ET CHVNELINDIS ANGLORVM REGIS FILIÆ

c. 35. *Anno Domini MXXXVI. (licèt 1035. scribat Sigebertus) Henricus Rex filius Imperatoris, Cnutonis Regis Anglorum filiã*
XCIX. *nomine Chunelindem prò regina consecratam, regalibus nuptijs in coniugium duxit.* Ita Vvippo, cui consentiunt *Contractus*, & *Chronica Augustensis*.

Legimus hoc Anno ex collatione Goldasti, legem à Conrado latam.

DE MERCATORVM PACE.

Chonradus diuina fauente clementia, Romanorum Imperator Augustus. In syluis, campis, fluminibus, & paludibus forestatis, & Banni nostri districtu circumuallatis, ea ratione bannum facimus, vt nemo C.
vlterius in eisdem absque Domini suorũq; hæredum licentia, potestatem habeat venandi, sagittandi, retia, aut laqueos ponendi, aut vllo ingenio feras decipiendi, quæ merito sub iure banni continentur.

Oudalricus Cancellarius vice Aribonis Archicapellani recognouit. Dat. Ratisponæ III. Cal. Aprilis, Indictione XII. Anno Dom. incarnat. 1029. Anno autem Regni nostri V. Imp. II.

IN ITALOS CONRADVS DESCENDIT.

Eodem anno (scribit Vvippo) cum Henrico Rege filio, Conradus armatus in
CI. Italiam descendit. Et Veronæ Christi celebrato Natali Sal. An. 1037. *Brixiam & Cremonam processit* (scribit Sigonius) *atque in singulis seuerissimas de coniuratis quæstiones exercuit. Extat eius decretum, quo propter iniurias Landulfo, & Hubaldo Episcopis illatas, ad eorum contumaciam comprimẽdam & tanti mali consuetudinem extirpandam, prædia, omnia ciuium, qui coniurauerãt, in vrbe, suburbio, agroue per quinque millia passuum in circuitu sita, Ecclesiæ Cremonensi adiecit; prohibens, nè Dux, Marchio, Comes, & Sculdasio eam possessionem prohibere, aut vlla ratione turbare possit. Inde Mediolanum profectus, omnes coniurationis conuictos fortunis, bonisq; suis nudatos Ciuitatibus Mediolano, Laude, Como, Crema, Cremona, Brixiaq; deiecit, atque in Germaniam relegauit. Herebertum autem Archiepiscopum iure Episcopi Laudensibus dandi nuper concesso priuauit.* Qua ex re magnus in Ciuitate tumultus est ortus. *Itaque Conradus, cum se propterea vulgo lacerari asperis nobilium, popularium que conuicijs, intelligeret, Medio-* CII. Archiep. Mediol. mulctatur.
lano

Sal. An. 1620. *lano egressus Papiam processit, ibique pauperibus, & viduis foro de more indicto, Hereberti nomen à nobili quodam delatum recipit, atque occasionem lædendi nactus ipsum coram se adesse iussit, neque verò Herebertus regis detrectauit imperium, imo Episcopis Cremonensi, Vercellensi, & Placentino stipatus accessit, verùm ad diem se in iudicio sistere, aut respondere neglexit. Quocirca Conradus noua Hereberti contumacia magis exacerbatus ipsum cum Episcopis comprehendi, ac Placentiam diuersas in custodias mitti, iussit. Popponi verò patriarchæ custodia Hereberti permissa, ipse Rauennam alius negotij caussa concessit. Hoc Nuncio accepto Mediolanenses nobiles iuxta, ac populares æstuare dolore, ac*
CIII. Eliprãdus *rationem antistitis, ac principis sui liberandi, Eliprando Vicecomite, in primis auctore, inire. Quæ consilia dum maturiùs agitantur, Herebertus repente custodia elabitur, lentas Germanorum vigilias, quos vino de industria abbas S. Xysti ab Hereberto consecratus obruerat, astutè ludificatus. Conradus, Paschate Rauennæ celebrato, vbi Herebertum euasisse, atque à Mediolanensibus receptum esse cognouit, vsque adeo indignatione exarsit, vt continuò Mediolanum versus contenderit, atque exercitu coacto, repentè Landrianum castrum occuparit, & sex vrbis portas militum corona circumfusas obsederit. Mediolanenses his oppressi malis haudquaquam animis defecerunt, sed portas, murosque vrbis diligentissimè custodiuerunt, ac se ad omnem belli procellam fortiter sustinendam confirmauerunt.*
CIV. Multas Conradi multis è partibus oppugnationes ludificati, egredientes vrbe crebris cum Germanis prælijs confixerunt. Ex quibus memorabile illud a quibusdam refertur, in quo BauarumConradi nepotem, omnium Germanorum ferocissimum, Eliprãdus Platus Vicecomes Mediolanẽsis ingẽtis naturæ, *ac roboris vir, singulari certamine in conspectu Imperatoris prostrauit.* Hic est *Eliprandus*, seu *Ruitprandus* Angleriæ Comes, quẽ ex Gisla secunda vxore progenuit Facius Platus, ex qua Platum de Platis post obitum Dorellæ primæ vxoris, susceperat,
Plati. vt diximus *in lib.* 13. *cap.* 2. Ab hoc Eliprãdo, seu Ruitprando, *Vicecomitum, vt aiunt, familia fluxit, post tota Italia genere, & virtute clarissima, quem Vicecomitem dictum esse, quod Archiepiscopi Vicecomes esset, inuenio* Sigonius, Concordat Elogium, quod Angleriæ comitibus, præcipuè Heliprando exarauit Philippus Bergom. *in Chron.* Anno 1022.

Mediolanensium Principum initium.

Helyprandus quidam Facij Angleriæ comarchi filius, hoc anno, patre ipso rebus humanis exempto, ex totius senatus populique consensu, Mediolanensium regni habenas suscipiens, regnauit annis triginta: vir quidem eo consilio atque virtute insignitus, vt in toto Cisalpinæ Galliæ vrbium eidem par non reperiretur. Qui cum maxime in singulari certamine oblectaretur, fortissimos etiam propugnatores sæpenumero deuincebat. Quem cum Conradus Augustus, post multa facinora ab eo strenuè gesta, aliquando intuitus fuißet, ipsũ ingenio dexteraque plurimùm valere adiudicauit, & à Stephano supradicto Panonum rege aliquando interrogatus, qualem fore Helyprandum Mediolanensem putaretur? Vellem, inquit, tam ferax scientia rei militaris & virtute corporis seculum haberemus, vt aliquos Helyprando non ex iniuria præferre possemus. Hic igitur Helyprandus, vt ex quibusdam habemus historijs, cum Mediolano multisque alijs Lõbardiæ vrbibus imperaret, ac tum rei militaris scientia, tumq; regni magnitudine alijs præferretur, effecit (vt ita dixerim) vt totius orbis reges in se vno, oculos conuerterent. Propter quod & Conradus Cæsar eidem bellum implacabile indixit, eo quòd vrbem ab imperij obedientia alienauerit. Et propterea egit, vt omnes confines regulos in eum concitarentur. Veniens itaque Conradus Cæsar cum exercitu Mediolanum, postquam diu vrbem obsedißet, tandem Bauerium quendam Theutonicum necessarium suum miræ magnitudinis & fortitudinis virum, quem quasi Achillem, aut Hectorem omnes Helyprandi copias profugaturum existimabant, contra hunc Helyprandum ex Alemania accersiuit. Cum hoc viro vastissimo, tandem Helyprandus hic, communi decreto, singulari certamine extra Meliolanum certamen assumpsit, quem & post longa, diraque certamina Helyprandus iste per medias pectoris crates perforauit. Quo quidem vulnere, cum ex equo Theutonicus decidißet, Helyprandus confestim ipsum ruentem intercepit, ac suo proprio ipsum iugulauit gladio. Post CV.

Sal. An. 1030. *cuius ruinam Conradus imperator, mox die secunda tristis factus, cum lachrymis è Mediolanensium finibus cum omni exercitu abscessit. Soluta vrbis obsidione, Helyprandus contra confines Regulos, quos cumConrado sensisse nouit, arma mouit. Sed omnibus veniam petentibus, ipse verterat, animo magno eos benignè suscepit, & deinceps cum ingenti sua gloria in pace quieuit. Tandem vero Conrado Cæsare mortuo, cum Helyprandus contra Henricum Imperatorem eius successorem in Germaniam profectus etiam febribus agitatus, è vita migrauit. Quo mortuo, cum maximis omnium lachrymis humatus est, & pater patriæ appellatus est: quem, matres vt moris erat, per annum planxerunt.*

CVI. Nec mirum Eliprandum Platum Secundo genitum Facij, Vicecomitatum Mediolanensem occupasse, viuente Plato de Platis Primogenito; nam Vicecomitatus Mediol. non debebatur Platis iure hæreditario, sed libera & voluntaria dispositione Archiep. Mediol. vel temporum sequenti curriculo, ex populi & Senatus acclamatione, vt scribit *Pilippus Bergom. in Chron.* cum Vicecomes Mediolani, tum temporis Archiepiscopi Vicecomes esset, & non dominus supremus, sed ab alieno penderet arbitrio, vnde tanti non erat, vt Comitatibus Valistarij, Taurexanæ &c. anteponeretur, qui à Plato primogenito possidebantur, vt diximus in lib. 13. c. 2. Angleria porrò vndè dicta sit? Philippum Bergom. consule. Comites isti vt plurimum leguntur Ecclesiæ partes sequuti, vel religione ducti, vnde Plato de Platis Ecclesiam erexit, Xenodochia fundauit. *Crescentio teste. c. 13. & Locato histor. Placent.* vel ardore vindictæ aduersus Imperatores Germanos, à quibus Longobardorum Reges, proaui horum comitum, spoliati fuere Italico Imperio. CVII.

PARMENSIVM SEDITIO
Sal. An. 1038.

CVIII. Currebat Annus Sal. 1037. quùm lectis copijs hyberno tempore Parmam venit Imper. Vbi domini celebrato Natali, inchoante anno Dom. 1038. ipsa die Natiuitatis Parmenses concitato tumultu necem Conradi dapifero attulerunt. Qua re Conradus incensus, gladio & igne ciues aggreditur. Vrbs variè oppugnatur, deinde magna ex parte comburitur. Deinde à Monachis Cassinensibus accitus, qui assiduis Pandulphi principis afflictati iniurijs, ad eum orantes venerant, vt monasterium ab interitu, quem ei Pandulphus intentabat, vin-
CIX. dicaret, venit; Romam orandi gratia peregrinante Imperatrice Gisela, quæ postea ad Imperatorem reuersa, vnà cum eo Cassinum venit. *Cuius non expectato aduentu,* (vt scribit Sigonius) *Pandulphus cum Basilio Abbate quem ipse præfecerat, in arcem S. Agathæ se recepit. Conradus pridie Pentecostes vrbem ingressus, postridie apud Capuam veterem castra fecit, atq; 12. Monachis, quos acciuerat, postulantibus Richerium Abbatem Leonensem, cuius fideli tum opera vtebatur, concessit Abbatem, in primis suffragante Monachorum petitioni Augusta: &*
CX. *Pandulpho pertinaciam retinente, primoribus*
Guaimarius. *Capuanorum adhibitis, Guaimario Principi Salernitano Capuanum principatū attribuit: & Athenulphum Archiep. à Pandulpho in vincula coniectum exemit, atq; inde Beneuentum se contulit. Pandulphus relicto in arce filio, Constantinopolim auxilium imploratum, sed frustra contendit. Conradus Beneuenti, rogatu Gislæ coniugis, Henrici filij, & Adeloi Episcopi iura, ac prædia Monachorum Cassinatium confirmauit. Inde per Adriatici maris oram reuertens, oborta graui ex Cæli corruptione in exercitu pestilentia, mense Iulio non solùm milites plurimos, sed etiam ex principibus nonnullos amisit. Hermannum Ducem, Augustæ filium* (v. Kal. Aug. defunctum Tridenti posteà sepultum, vt scribit Vvippo.) *Chunigundem nurum* (xv. Kalen. Aug. mortuam, cuius corpus aromatibus conditum, in præpositura Lutburg, sepultū est. Ex hac, filiola sola superfuit, quam pater Christo despònsatam, Abbatissam consecrari fecit; vt ait Vvippo) *Cononem* CXI.
Francorum ducem, itemq; alios, vndè mæroris ac tristitiæ plenus in Germaniam transijt. Eo verò profecto Herebertus Antistes erectus magnis delectibus habitis, Ambrosiū, omnesq; eius fautores bello instituit persequi. Itaque, cum nihil prætermitteret, quod ad maximum gerendum bellum vsui esset, vexillum CXII.

xillum impositum in curru excogitauit. Is fuit currus ingens rotis grandioribus atq; axibus firmioribus fultus, purpurea pariter vndique veste constratus, in quo contabulatio quadratæ turris instar locabatur. In medio verò eximia proceritate malus excitatus erat, multis à fastigio rudentibus ipsi contabulationi ad nautici mali similitudinem alligatus. In summo crux aurea, infra crucem antenna magna suspensa, vnde vexillum explicabatur. Hunc autem currum excellentis formæ boues, candida veste instrati trahebant. Cura eius clarissimo, & genere & virtute viro committebatur, qui vt venerabilior esset, insigni lorica, ense, & aureo baltheo, & publico stipendio donabatur; vt munitior cohorte militum lectissimorum sepiebatur. Cum eo verò aderant etiam sacerdotes cum diuinæ rei pausa, tum vt essent, qui letifero vulnere laborantibus sacra, si opus esset, Christiano ritu subministrarent. Præterea sex tubicines cum totidem militaribus equis, quibus ciuitas tentoria & stipendia procurabat. Cum hoc ergo vexillo, quo quasi ad sacram aram acie pulsi refugerent, atq; indè ferociores in hostē procurrerent, Herebertus primus ad bellū est progressus.

CONRADVS HENRICO FILIO BVRGVNDIAM TRADIT. *Sal. An.* 1038.

CXIII. *Stephanus Rex Hung moritur.* EOdem Anno moriens Hungarorum Rex Stephanus, Petro ex sorore nepoti regnum legauit. Imperator verò per Baioariam Burgundiam properans, ibi Principū colloquio habito, quarta die filio suo Henrico, rogantibus Regni primatibus, Burgundiæ regnum tradidit, eiq; fidelitatem denuò iurare fecit. Hunc Episcopi in regiam *Soloduri* capellam deducentes, canticis Deum laudabant, clamante populo, quod *pax pacē generaret, si Rex cum Cæsare regnaret.* Reuersus Imperator per Basileam, Orientalem Franciam, Saxoniam, Frisiam.

Pacē firmādo, legem faciendo reuisit. Vvippo.

OBITVS CONRADI IMPERATORIS. *Sal. An.* 1039.

CXIV. SAl. Anno 1039. diem Sanctum Pentecostes in Frisia apud Traiectum Conradus agens, post celebratam Missam, cum ad mensam vnà cum filio & Imperatrice coronatus, procederet, mediocri dolore corripitur. *Verùm ne tantæ diei perturbaret lætitiam, dolorem dissimulauit,* (ait Vvippo) *Sequenti die, cum morbus lethalis vehe-*
cap. vl. *menter insisteret, Imperatricem cum filio rege ad prandium exire iubet de cubiculo. Interea Imperator finem sibi imminere sentiens, sicut in vita sanus, in actu semper constans, & strenuus fuit, ita in extremis nihil segnioris fidei permansit: & vocatis Episcopis, corpus & sanguinem Domini, & crucem sanctam cum reliquijs sanctorum àpportari fecerat: & erigens se cum lachrymis valde affectuosis, in confessione pura & oratione interna, Sanctorum communionem ad peccatorum remissionē accipiens, Imperatrici & filio Regi Henrico per fida monita vale dicens, ex hac vita migrauit* XI. *Nonas Iunij, feria* II. *Ind.* VII. *Viscera Imperatoris ad Traiectum condita*
CXV. *sunt, & Rex locum sepulturæ donis & prædijs ampliauit. Reliquum corpus ab Imperatrice & filio Rege, vt optimè excogitari poterat, inuolutum & reconditum vsq; Agrippinam Coloniam vectum, per cuncta cœnobia illius ciuitatis, atq; Moguntiæ seu Vvormatiæ, siuè illorum quæ in medio fuerant, omni populo sequente & orante deportatum, incredibili oratione & magnis eleemosinis prò redemptionè animæ factis, tricesima octaua, quæ obdormiuit die, in Spira Ciuitate, quam ipse Imperator, sicut & postea filius multum sublimauit, honorificè sepultum est. Nam gratiam Conrado Imper. Deus addidit, quod non vidimus, neq; audiuimus tantas lamentationes vniuersorum, tot orationes, tales eleemosinas alicui Imperatorum corpore insepulto factas, & sicut percepimus, referente Episcopo Henrico Lausanensi cum cæteris Burgundionibus, qui illum de obitu vsque sepulturam prosecuti sunt, filius Cæsaris Henricus Rex ad omnes introitus Ecclesiarum, & ad extremum ad sepulturam humeros suos corpori patris vltra modum humili deuotione supposuit: & non solum quod filius patri in charitate perfecta, sed quod seruus Domino in timore sancto debet; hoc totum Rex patri defuncto studiosissimè exhibuit.*

Inscriptiones Mausolei.

Conradus II. Imper. obijt Anno Domini 1039. *Pridie Non. Iulij.*

Sal. An. 1026.

II.... Filius *hic*, Pater *hic*, Auus *hic*, Proauus *iacet isthic*,
Hic proaui coniux, hic Henrici Senioris.

III.... Inſcriptio Sup. tumulum.

Pannonias domuit Conradus, terruit armis,
Inſubres, leges condidit, inde obijt....... Vrſinus Velius.

IV.

Signa Pharetratos mouit Cōradus in Hūnos,
A quibus infeſto Marte petitus erat.
Verſaq; pugnaces Heduos dare terga coegit.
Qui patrijs exul ſedibus actus erat.
Sæpè triumphatos affecit clade Polonos:
Sæpe Boemorum cæde repleuit humum
Vda paludoſis habitatur terra Sicambris
Martia vulgatum Geldria nomen habet,
Æger in hac obijt ſupremo funere mortem,
Imperium nato ſuſcipiente ſuo.
Rhenus vbi Nemetū veterē præter fluit vrbē,
Conditus in Diuæ Virginis æde iacet. Georgius Sabinus.

Conradi II. Imper. Symbolum
Omnium mores, tuos inprimis obſerua.

MVNDVS IN FABVLIS.
CAPVT TERTIVM.

1. *Amneſtia publicatur in Parnaſſo.*
2. *Imperij maieſtas in quo conſiſtat?*
3. *Indulgentia Regum propria.*
4. *Regum gratiæ ſuſpectæ.*
5. *Miniſtri capiuntur vt piſces, & canes.*
6. *Catonis vitia & virtutes.*
7. *Seneca laudatur, & vituperatur.*
8. *Cicero laudatur, & vituperatur.*
9. *M. Brutū Cæſar laudat.* 10. *vituperatur.*
11. *Lucius Brutus vindex libertatis Rom.* 12. *immanis ſpectat filiorum necem.*
12. *Phariſæorum aſtus accuſantium adulteram non adulterum.*
13. *Neronis fratricidium quomodo detectū?*
14. *Dæmon petit cum hominibus reconciliari, & non auditur.*
16. *En. Piſo tres occidi mandat innocentes.* 17. *quo prætextu.*
18. *Iracundiæ mala.* 19. *Aulicorum vitia.*
20. *Epictetus vituperatur.*
21. *Oues facilius quàm canes lupū agnoſcūt.*
22. *Omnia in fabulis.*
22. *Fidelitas à Parnaſſo recedit.* 26. *cur inter canes tantum repertas*
25 *Amicitia à cordibus fugit humanis*
27. *Principis officium.*

I. APollinem quondam (fabulantur) Inferorum ſibi conciliaturum amorem (præteritorum criminum decretà amneſtia) *hominis* expoſuiſſe titulum, veluti brauium, quod vel brutales etiam redimerent, dumodò toto vitæ curriculo vnū inter geſta reponerent, quod minimè declinaret à recto, licèt brutorum paſcuis, conſociati, Summi Opificis deformaſsēt Imaginē. Hoc audito, muſſitauit Sapientum ordo, in caſſum ducens, dediſſe ſanguinem, vt famam gloriæ aucuparentur inanem; ſi & tyrannis daretur dei vindicare imaginem, quam expoſuère ſub haſta, prodita patria, violato iure, natura ſubuerſa. Senſit Apollo murmur, & accerſitum Senecam percunctari à politicis iuſſit, *vndè ſubditi Regem à tyranno ſecernerent?* Perquiſitis ſententijs, alij Maieſtate, Immunitate cuncta ſupercilio mouere, legibus non ſtare, ſuperiorem non recognoſcere: alia alij cum dicerent, *ego ad clementiam prouoco* ait Seneca. *Quid enim intereſt inter tyrannum, & Regem? Speties ipſa fortunæ, ac licentia par eſt, niſi quod tyranni voluptate ſæuiunt, reges non niſi ex neceſſitate. Clementia èſt quæ magnum inter regem, tyrannumq; ponit diſcrimen. Vterque vallatur armis; ſed alter arma habet, quibus vtitur in munimentum pacis, alter vt magno timore magna odia compeſcat.* II. De Clement. l. 1. c. 12.

Quid

Sal. An. 1033. *Quid itaque* (subrisit Apollo) *vobis indulgentia displicet? si ea est Regum diadema, & sola Regem facit. Ministri fides rigorem*
III. *non exigit ad regiminis normam, & malefactorum vindictam, sed regnantis gratiam vt comparatione* deterrima ac vestrum odio, sibi animos populorum conciliet. Quid minùs agunt Reges, quàm benefitia profiteri, & largitiones diligere: namque & istæ veluti iuglantes, foris licet videantur virescere, tabescunt intus.

IV. Veruntamen cum vobis rigor arrideat, deligantur censores, vitæ integerrimi, scelerisq; puri: quos morum probitas, non populorum suffragia principes egerit. Sint illis honestum & iustum non in legibus, sed in animo.

Palluit quisquis & contremuit; Censuræq; virga proposita innotuit, non Zelo iustitiæ displicuisse decretum, sed seuerioris notæ viros censuram reformidasse, ne vulnera refricarent. Sunt enim veluti pisces ministri, inter quos sub iudice adhuc, an fæminas mares excedant? cuiusque tamen
V. generis, hamo trahuntur omnes. Sunt veluti canes, in fures latrant; ni cibum porrigas.

Senatorum itaque sortitis nominibus, cũ Magnus Cato extraheretur ab vrna, respirauit Senatus, autumans sub Clarissimo Romanæ Reipublicæ patre, omni vacaturum, labe literatorum cætum. Sed vnde vnius
VI. Catonis toga, tantorum poterit circumligare plagas, & operire vulnera? *Catonis* vulgato nomine, in iudicem excipere, cuique dedit Apollo. Grauis fuit hæc libertas, quibus in Catonem cogitare nefas erat. In partibus Catonis fuit Seneca, cuius intererat, ne procederet inquisitio. Laudare
a lib. de Trãquil. animi. incæpit, [a] & diuinam dicere sortem quæ virtutis viuam dedisset imaginem. Cum Seneca licet Lactantius plauderet, Romanæ vocans sapientiæ principem, & nemini datum, tantum non colere virum; obiecit Cæsar; *cæterorum iniustum fore censorem, priusquàm seipsum componeret. Explanaret prius, quo iure L. Metello lasciuientem obtulisset coniugem? nec solo consensu, sed lenocinijs, vxoris adulterium sollicitasset, ne amici iacturam faceret. Quid enim Metello mortuo, Martiam iterum recepisti? auara & inhonesta haud latet liberalitas tua. In escam iuuentutis, scortum proiecisti, pauperem dimisisti, vt diuitem reciperes. Alienis inhiando, vxorem amico, amici gazas tibi desponsasti, amicitia obtegente cupiditatem. Apollinis Maiestas, quæ spetie non fallitur, inter nos iudicet, an iure postulauerim, tu verò censor deligaris?* Iniucundus Cæsaris sermo, cũ Aristocraticos omnes ferire crederetur, VII.
tantũ incutijt timorem, vt sorte reiecta ad scrutinium confugerent. *Cunctis votis deligitur Seneca, vno contradicente Suilio.* Insimulabat eum *contra, quàm philosopharetur, egisse. Cum enim tyrannidem improbasset, tyranni præceptor fuit: cumq; insultasset ijs, qui cum principibus versarentur, ipse à palatio non nisi moriens recessit. Assentatores detestatus, ipse reginas coluit, & libertos; plurimorumq; laudationes composuit. Diuites reprehendit, ille cuius facultates fuere aureorũ tricies centenna millia: licèt humili frontispicio, in casa rusticana fingeret habitare, quæ tamen intus inferior non erat,* Domo Aurea *Neronis. Qua sapientia dicat, aut quibus Philosophorum præceptis intra quadriennium regiæ amicitiæ ter millies sestertium parauerit? quique luxum aliorum damnabat, quingentos tripodas haberet de ligno cedrino pedibus eburneis? Qua lege Neronem (dicat) ad matricidium perduxerit? nec me fugit impij speties consilij, vt noui sceleris attrocitate Deos, hominesque sollicitaret, vt quàm celerimè tyrannum perderent. Perdidisset enim Agrippina Neronem; sed ne pereundum Neroni esset, Agrippinam præueniri consuluit: postquàm fastidiret Agrippinæ thorum: & Neronis thronum ambitiosus appeteret. Vos prouoco testes omni exceptione maiores, Dionem & Tacitum: aut vestros corrigite annales, aut meas comprobate querelas.* Erubuit Seneca; verùm dissimulatione rumoris ridens, talenta seruauit, neq; gloriam in consilio impiorum amisit; delatori obsequente nemine, non suspicione calumniæ, sed participatione facinoris.

Ad Ciceronem tunc est conuersus Senatus; & exordiente Plinio, *Tu primus omnium* VIII.
patriæ parens appellate innocentiæ succurre cadenti, Heroum sustine gloriam. Quis iste pater patriæ? (Brutus obloquitur) *oh viri immortales proditorem patriæ patrem appellatis? Ecquandò Cæsar sub iugo Romanam traxisset Rempublicam, ni Tullius comitia*

Cæsari

Sal. An. 1026. *Cæsari conciliasset, & reclamante Senatu fasces consulares obtulisset? vt in consulatu Cæsaris collega foret, autumans ob Cæsaris iuuentam, se solum Rempublicam administraturum? oh ambitio, oh impudentia, hac senẽ decepit iunior, & populi perdidit libertatem.*

IX. Ita declamante Bruto, cum nemo auderet causam Ciceronis agere ipsum Brutum in censorem Apollo delegit. In Cæsarem conticuere repente; trepidante Senatu, nè ad arma concurrerent. Quum primus omniũ Cæsar Brutum laudauit (adeò potens virtus vt hostibus ipsis veneranda,) ferueſcentem in Cæsare vindictam ardore, motu, rubore, rutilantibus oculis passio prodiderat, sed maioris affectionis grauata pondere Reipublicæ publico cessit amori, quæ nolentem Cæsarem traxit, vt hosti plauderet. Plaudente Cæsare, nemo credebatur extare delator; quum Plutarchus à laude exorsus, declinauit in questum. Romanæ non minus libertatis accusabat vindicem, quàm oppressorem; quia extincto Cæsare, Antonium virum contumeliosum, & Monarchiã fouentem, præterea Cæsari vires addentem ex vsu, ac rei militaris peritia, contradicẽte Senatu, populo conciliauerit, & à nece protexerit. Secundo iterum captus errore, quod in gratiam Antonij, testamentum Cæsaris palam esse consenserit recitandum. Sic parcens Antonio, causa fuerit statuendi cospirationi grauem, & inexpugnabilem hostem dum amicitiæ violentia, vel Reipublicæ inScitia Antonium seruauit. Vnde post libertatem iustitia remissam, intempestiua clementia tyrannidem reuocauit.

X.

Reiecto itaq; M. Bruto, Lucius Brutus est nominatus; ille, qui bonis auibus Romanã sortitus libertatem, à Regum vindicauit tyrannide, & conseruauit. Brutus ille, qui Romuli supergressus gloriam, maiora molitus creditur in recuperanda libertate, & Repub. constituenda, quam ille in vrbe condenda. Lucij Bruti audito nomine, letitiæ plausum dedere omnes Aristocratici; cumq; ei nullus videretur æmulus, quasi cum Brutis simultates vnus profiteretur Plutarchus, & hunc absq; crimine præterire passus non est. Filiorum obiecit necem inani potius patratam gloria, quàm zelo iustitiæ: quum tyrannorum socios conuictos filios, lictori tradidit; vbi cum alij oculos auerterent, nec tantam atrocitatem aspicere, aut tolerare possent, pater immotos oculos tenuit; nec misericordia quicquam de tristitia vultus & seueritate remisit, sed filiorum supplicij spectatorem se præbuit, quoad lictores securi caput à ceruicibus abstulerunt. Bruti animum sedatũ præbuit vel virtutis celsitudo; vel magnitudo calamitatis sensum doloris eripuit: quorum neutrum neq; parum, neq; humani est ingeni, sed aut diuinitatis cuiusdam, aut immanitatis. Postremam præfero, cum non tam humanitate, quàm paternitate posthabita, exultat feritas spetie iustitiæ. Imò plusquam feritas; nam Bruta quamuis inhumana amore repugnante paterno, nequeunt absq; lacrymis filiorum cedere fato, & funera ducere. Quid imperare, & inclementi audacia inter filiorum supplicia oculos immotos patrem dirigere? Habeant marmora hosce rectores, non cætus humani; quibus non tam filiorum, quàm pietatis funera sunt opimæ victimæ. Iustitiam, quæ publica priuatis vult anteferenda bonis, non insimulo; immanitatem acuso, quà spetie iustitiæ, rigoris gloriam accusamur inanem. Si carnifici natura negat absque luctu criminosos percutere; & percussi sanguine miscentur lacrymæ percutientis; vnde placidis oculis, & quasi lætum aspectum genitor in infamem & turpem filiorum suorum conijcit mortem. Vel mentitur natura, à nullo amorem vinci paternum; vel fabula est, Brutum sine tristitia necem filiorum tolerasse. Censorum itaq; desperata electione, mandauit Apollo edictum exponi, vt post triduum quisquis præteritorum flagitaret veniam, coram eo exponeret gesta, quibus fideret immortalitatem rẽdimere; exultauit iniquitas, sperans nullam superni etiam ingenij aciem reperiri, quæ inferum dolo falli non possit.

XI.

XII. *Pharisei queruntur aduersus Sacros scriptores à quibus fugitantur vt maligni.* Conueniente itaque improborum frequentia, venere tumidi Pharisæorum Principes, dicentes. *En coram vobis, Formosus Apollo, illusa innocentia, & pressa iustitia. Si legum obseruantiam exigere culpa est, nobis debetur pœna. Namque vi Mosaicæ legis ab eo postulantes adulteram lapidari, qui dicitur via, veritas, & vita, irridemur, sibillamur, vt malignantes fugimur, & increpamur. Si vnum, præteritorum omnium culpam euacuat, eandem proferimus accusationem,*

Sal. An. 1026 *tionem, vt quam vulgus ad pœnam prouocat, tu à culpa reuoces. Si qui foret reatus, non alius, quàm coram Christo, Moysis memorasse præceptum, quod iam venerat soluere, non adimplere*. His auditis, exardens ira Lyranus irrupit. *Pharisæorum est petitio, ergo suspecta. Vos ex ore vestro redarguam. Cur sine adultero profertis adulteram? lapidibus fœminam petitis, quùm adulter præteritur immunis? ego palam faciam quæ phylacterijs obtegitis. Adulteram arguitis, quia vobis denegat adulteria. Adulteram non adulterum postulatis, vt possitis muscitare in plebe, adulterum stare inter Christi discipulos. Adulteram in medio adducitis, vt mulieris aspectu iudicem illiciatis; quasi formosæ mulieri resistere nequeat diuinitas ipsa. Adulter se pretio largitionis subduxit. Adulteram prodidit paupertas, nec eam nudauit pharisæorum religio, sed egestatis miseria. Tantum facinus quod vertant in gloriam, mirum non est. Pharisæorum est actio, ergo suspecta.*

Rubore suffusi, nec vrgere audentes, cachinnis & fustibus excoriātur cum exploderentur, lamentabantur, quia in Parnasso sola synagoga deesset. Laruati saltem, & nigro admitterentur pileo, vt mos erat in aulis principum. His auditis, sciscitatur Apollo *quanti Christianorum habitum comparassent? non fuit emptio*, (dixit Hebræus) *sed permutatio. Nigrum recipimus, rubrum dedimus; postquàm ab ipsis cæpit venundari sanguis Christi*. Succensus Apollo cum mandasset lictoribus vestes reuidere magnatum, eosq; recensere, qui rubrum gestarēt pileum; non est inuentus, cui saltem rubrū non esset capitium. Apollo tunc accersito Archicancellario, iussit exarari decretum, & inter quatuor mundi plagas bucinari. *Cauerent homines, nec vestibus fiderent externis, quia Iudæi & Christiani vestibus commutatis, incederent personati*.

Hebræi Parnasso pulsi.

XIII. Pharisæis eiectis intromititur Nero; Britannici fratris cadauer ferens in humeris, questubus & lacrymis cæpit Tacitum increpare, quia in 13. *Anal*. scripsisset, à Nerone Augustum Claudiorum sanguinem in Britannico *stupro priùs* postea *veneno pollutum*. En cadauer (inquit Nero) & ante Apollinem, Britannici ossa deposuit. *Excoriat* (inquit) *introspicite viscera. Iura namq; reum ipsum, si inauditum, proclamant innocentem*. Respondere politici: Nero vel negas, vel facinus excusas? Si neges, vnde probetur, Iuristæ dabunt. Excuses potiùs, fas enim inuenire patronum, si est insociabile regnum. Ex aduerso Iuristæ per acta & probata iudicium exigebant: Imo satis factum credebatur, super genas rubescente colore. Veruntamen subridens Apollo, ne inter tenebras scelera Regalia exultarent immunia, iussit occisi lauari corpus. Cum abstergeretur, detersum est tentorium, & delinitus gypsus, quo liuores tegebantur & maculæ, quas venenum excitauerat. Inde ad Reges conuersus, *Talia* (inquit) *sunt opera vestra. Humanis perlucent oculis, imber si decidat, venenata tument, & vestrum gesta in fabulis incrustantur.*

Nero se in Tacitū defendit.

Excluso Nerone, pileatorum, ingreditur turba. Talari, nigra, seuera induti veste, pietatem præferebant. Eorum principi neglectæ iacebant comæ, cuculla sordida, gracilenta macies, demissa ceruix, cingulum ferreum, *Angelus tenebrarum eccè adsum* scriptum erat in phylacteria. *Quid quæreret*, sciscitanti Apollini, mitissima oratione respondit: *Cum hominibus pacem*. Vrgente Apolline, non dari homini, patri fidere mendacij, sed toties circumuento pax ipsa fore suspecta. Ait Dæmon: *Aliàs dixisse verum mei & iactura, sit futuræ veritatis præludium. Nonne Philippis iter agenti Paulo occurrens, subsequutus clamaui*: Isti homines serui Dei excelsi sunt, qui annuntiant vobis viam salutis? *licet non tam clamantis, quàm veritatis iniuria, pænitenti Regi negarentur fœdera pacis. Hominum amicitiam petit demoniorum princeps, & tenebrarum potestas, ne eorum sanguine meæ inebrientur phalanges. Iam hostilibus ditatus spolijs, & clarus triumphis, hoc vnum superest, parcere subiectis, post humiliatos superbos. Illis itaque ius esto regale. Regnicolæ mei, vestri erunt serui, in curribus catenate vestris, filias addecimate, agros possidete, gregem mactate, hoc vnum date, pacem.* XIV.

Diabolus petit pacē ab homine.

XV. *Act. 16.*

Subridens Apollo Chrysostomum consuluit, *Quid tibi videtur de pietate Diaboli? Diaboli nō esset pietas*, inquit Chrijsostomus, *ni impia esset. In ore mendacij suspecta veritas*

An. Sal. 1035. *tas nec in reum, iurat, quàm vt aduersùs innocentem periuret. Seruum Dei vocauit Paulum oppido, vt sibi per Apostolum conciliata fide in eundem fideles concitaret Apostolum. Commilitones suos nobis exhibet in obsequium. Vtinam tanti non eßent. Si diabolum suum quilibet habet, quid iterum offert? Exhibet quod intus habemus. Demon pacem habeat, si ad valles Auernas, suos reuocet. Cur in inuitos beneficia proijcit? & gloriæ studet inimicorum? dolosa est oratio. Adulando conciliat: laudando titilat: & ad vanam incitat gloriam. Hæc sola adulatio supererat. Veritatis testimonio, eidem insidiari veritati, vt post Mundum, Cælos etiam in fabulis irrideret.*

XVI. *Cn. Piso. de iustitia gloriatur.* Præcipiti Satana in tartara misso, Cn. Piso coram iudice sistit. Rumore iustitiæ tumidus, se legum ostentabat vindicem, quasi iustitiam fulciret Pisonis constantia. Clausis oculis, ne personam respiceret; sine manibus, ne ad munera extenderet, aram iactabatur in tribunali erexisse: Deos ipsos ad iustitiam prouocasse. Inferi, Superi cum eum à vitijs integrum resonarent. Quis eius auderet insimulare fortitudinem, vituperare constantiã, irridere iustitia? Homo licet,
XVII. at non sicut cæteri homines, raptores, iniqui, adulteri, me innocentem dico, memetipsum absoluens, non ambage testium, sed claritate conscientiæ.

A multis te vitijs integrum dicerem (Seneca) *ni prò constantia tibi rigor placeret.*
De ira. *Memento quum iratus duci iussisti eum, qui ex commeatu sine commilitone redierat, quasi interfecisset, quem non exhibebat, roganti tẽpus aliquod ad conquirendum, non dedisti: dãnatus cum extra vallum ductus, iam ceruicẽ porrigeret, subito apparuit ille commilito, qui occisus videbatur; tunc Centurio supplicio præpositus, condere gladium speculatorem iubet: damnatum ad te reduxit, tibi redditurus innocentiam, nam militem fortuna reddiderat. Igenti concursu deducuntur, complexi alter alterum, cum magno gaudio castrorum, commilitones. Furens tu conscendisti tribunal, vtrumq; duci iussisti, & eum militem qui non occiderat, & eum, qui non perierat. Quid hoc indignius? quia vnus innocens apparuerant, duo peribant: tu Piso & tertium adiecisti. Nam ipsum Centurionem, qui damnatum reduxerat, duci iussisti. Constituti sunt in eodem illo loco perituri tres, ob vnius innocentiam. O quam solers est iracundia, ad fingendas causas furoris. Te* (inquit) *duci iubeo, quia damnatus es: te quia causam damnationis commilitoni fuisti: te, quia iussus occidere, Imperatori non paruisti. Excogitasti, quemadmodum tria crimina faceres, quia nullum inueneras.*

Habet (subiunxit Apollo) iracundia hoc mali, non vult regi. Irascitur veritati ipsi, XVIII.
si contra voluntatem suam apparuerit. Passionis impetu, non rationis modulamine iudex vibrat gladium suum. Iustitiæ purpura teguntur cadauera, ambitioni vel tirannidi imolata. Iudiciorum ordo, veritatis potius est velamen, quàm testimonium. Curia, iudicum officina, vbi humano sanguine, & rerum iactura nugæ comparantur curialium. Temetipsum Piso ne præter eas; si in te innocentia gemino veritatis fulcita testimonio calumniam non effugit, & tragica historia iustitiam mundanam arguit Fabulis inuolutam; fallere Diuinam ne XIX.
credas, *Ad Fabulas conuertentur*, in aulicos sermo dirigitur, quos *homines* numquam dicam, etsi ipsi, *Dij* appellari superbiant.

Irriso Pisone, venit *Epictetus* Princeps XX.
Philosophorum. Exordiri cum vellet merita sua, obuium habuit speculatorem, qui ad oculos eleuatis conspicillis, cœpit rimari à planta pedum ad verticem capitis Epictetum. Cum lustrasset, exclamare cœpit, *Epictetus*
cauete pecudes lupum, cauete. Mirabantur *philoso-*
Principes, mimi arrogantiam, & in eum *phus vt lupus de-*
aperto Marte vrgebat Philosophorũ cetus, *tegitur.*
ni iniuste cæsum, si inauditum, proclamaret Apollo. Ad se itaq; acersitum interrogat, cur eruditissimum Philosophum clarum doctrinà, audax & insolens lupum insimulasset, quem morum probitas dicebat agnum? respondit mimus, lupus faciliùs cognoscitur ab ouibus, quàm à canibus. Vtri suspecti pecudibus, propter inducias non *lupus.*
semel compositas inter canes & Lupos in
damnum pecudum. Literatorum turba XXI.
canum vsurpat officium, vt aduersùs tyrannos populi gregem custodiant. Bucellà tamen panis similes vinciri canes, Maiestatem tuam non latet. Ego in numero pecudum, lupum cognosco à longè venientem. Et quem fœderati vel non agnoscunt, vel agnoscere nolunt, eà vobis diploide vestitũ aperiam.

An.Sal. 1062. aperiam. Venit in vestimentis ouium, intus autem est lupus rapacissimus. Cum hoc diceret, tunicam diploidem, qua Epictetus induebatur, eleuauit; erat ista ex pellibus caprinis, subsuta verò pellibus lyncis, sed ita consuta, vt nec pilum lyncis extrinsecùs appareret. Epictetus tunc rubore suffusus, & ad pedes Apollinis prouolutus, humilis rogabat veniam, dicens humana sequutum
XXII. vestigia, *vt eos deciperet, qui gaudent decipi.* Oh vana sapientia (redarguit Apollo) & fallax Philosophia; vndè fugere pudor, iustitia, sanctitas, postquam sophismatibus Mundum posuistis in Fabulis. Abite generatio adultera, vos namque lumen obtenebrastis naturæ, & nefarijs contubenijs lupos canibus copulastis. Talari licèt induamini veste, adhuc excenduntur vngues, nec philosophiæ pallium cooperit latrocinia. Abite procul, *vox namque*
XXIII. *Iacob, manus autem sunt Esau*. Cruciabatur Apollo, in ipso Parnassi Senatu non esse, quem *hominem* diceret. Vbique fraus, non cura iuris, non pietas, non religio, Omnia in Fabulis. Fidelitatem vocari iubet, in
XXIV. eam verba facturus. Ædem Fidelitatis festinantes accurrunt nuncij, nec Domi inuentam, cum quærerent inter cognatos & vicinos, non inuenerunt. Contristatus Apollo, tabellionibus inquiri mandauit. Se excusabant omnes, quia eis fuissent semper inuisa vestigia. Dixit Plinius, insequimini canem, cuius in Semitis Fidelitas innotescet. Non aberrauit, nam Atheonis in stabulo Fidelitas iacebat Regalis. Ad eam protinùs Legatis missis, vt redeuntem prosequerentur, in cassum orabant. *Renunciate* (inquit Fidelitas) *Apollini, Cælo pulsam, locum dedisse fraudi, hosti meo implacabilis, vicit tandem, & me ex hominum cordibus deturbauit. Fidelitas Deo, & Principi, quæ olim nonnisi sanguine poterat exarari, vna dicitur constans, & obstinata barbaries*. Loco, tempori, patriam, fidem accomodare, mentis acumen dicitur, non dolus. Vicit Leonem Vulpes; vnde nescit regnare, qui nescit simula-
XXV. re. Hoc cum Amicitia resciret, ne Fidelitatis absentia, & ipsa sub Fraudis manu caderet hostili, hominum corda fugit: qui vinculo fidei soluti, perfidi, barbari in eo sunt adducti discrimine, vt honestum dicant, quod vtile. Tantis consulturus incommodis Apollo, comitia Generis vocauit humani, vbi cum subditos exprobraret, dixerunt isti *non imperij fastu, vel libidine regni, sed desperatione coacta exauctorasse Fidelitatem, quia in odium subditorum eam Principes retorquerent. Ea cum pietas debe-* XXVI.
ret esse violenta, vt meritis præmia rependeret, mancipatam trahebant, & seruilem, exigebant, quæ erat ex liberæ voluntatis obsequio. Proindè vinculis exsolutis, ad libertatem proclamasse; vt inde dignoscerent Principes à populi voluntate regna consurgere. Passus quidem erat sibi imperare, non tamen in regnum, sed in officium. Vsque dum Prin- XXVII.
ceps abstinuit experiri quantum posset, aduersùs eos per quos cœperat posse; nulli cuiquam fuit animus in iniuriam, aut causa: cum bene imperanti benè pareretur; nihilq; Rex maius minari malè parentibus posset, quàm vt abiret è regno. Sed postquàm surrepentibus vitijs, in tyrannidem versa sunt regna, populorũ corda vsurpauit Perfidia, & paria venali certarunt crimina campo. Hisce agitabantur comitia querelis; cum sedula Musarum industria, sequentibus conditionibus inter Principes & subditos renouata sunt fœdera. XXVIII.


Fidelitas profuga. *Instabulo iacet.* *Seneca ep. 90.*

Primò, vt in præcordia *Fidelitatem* subditi reuocarent, veluti *Dominam de iure, & de facto*.

Secundò, quod Principes à cordibus suis *Auaritiam*, & *Immanitatem* ablegarent, re- XXIX.
uocantes *liberalitatem*, & *Clementiam*. Principum officium esset: Ne quid deesset suis, prudentia prouidere: Fortitudine arcere pericula: Beneficentia augere, & ornare subiectos. Liberalitas & Clementia vincula essent, quibus in cordibus subditorum catenarentur Fides, & Obsequium. Natura nãq; comparatum est, vt pecudes licèt pastoribus obsequentes, lanios odio habeant: & Canes XXX.
à natura dati in fidelitatis exemplum, cauda adulentur oppidò, sed in dominum etiam latrent, à quo non frustis, sed fuste tractantur? Hæc sunt Humani Generis fœdera. An seruanda? maiorem suspicor plausum abeũti, quàm redeunti Fidelitati. Nec vltra Fabulas fas esse Amicitiæ, & Fidelitati, sperare de cordibus humanis, hieroglyphicum suadet Conradi Imperatoris.

In sequenti pagina sculpta exhibentur numismata omnium Cæsarum, qui in hoc opere exarantur.


Nummus Argenteus Conradi Imp




Signum Conradi Imper.




Moneta Argentea Henrici. IV. Imper:




Signum Henrici. IV. Imper:



Argentea Moneta Conradi Ceasaris. Filij Imperatoris Henricum. IV.



Moneta Aurea Lotarii Imper. Iunioris.




Aureum Numisma Henrici Nigri Imper.




Signum Henrici III. Imper.




Moneta Aurea Rudolphi quem elegerut Principes aduerhus Henricum. IV.




Aurea Moneta Henrici. V. Imper:



Signum Henrici. V. Imper.



Signum Lotarii Imper.



LIBER XVII.

CAPVT PRIMVM.

HENRICVS III. NIGER.

OCCIDENTIS IMPERATOR XVII.

1. *Aba Rex Hungarorum legatos Cæsaris violat.*
2. *Legati Sacrosancti, nec aliorum criminum pœnam luunt.*
3. *Henrici III. Imper. hieroglyphicum, allusio* 4. *puer, eligitur successor patris.* 5. *pacē donat Stephano Hungarorum Regi, patre inscio.* 6. *Fert in humeris cadauer patris.* 7. *cur dictus NIGER. Petrum Hungariæ Regem restituit in solium.* 8. *Vratislaum Bohemiæ domat, parcit.* 9. *corona redimitur* ob ciues seruatos. 12. *Papam eligit.* 14. *simoniā odit.* 15. *vincitur ab Hungaris, vincit.* 16. *fidem Christi in Hungaria remittit.* 17. *moritur præsente Papa.* 18. *buciella panis præfocatur.* 19. *Viaticum sacrum sumit.*
11. *Petrus Hungarorum Rex confugit ad Henricum Imp.*
15. *Andreas Rex Hungarorum vincit, & vincitur ab Henrico III. Imp.*

I. EXtincto Stephano Hungarorū Rege, successerat Petrus cognomento *Alemannus*, ex sorore Henrici Imp. nepos. Hic cum multa insolentiùs ageret, regno pulsus est, & *Aba* à proceribus Regni Rex salutatus: qui extemplò legatos ad Henricum III. Imp. misit, exploratum, pacem ne, an bellū
II. mallet? *Certè* (respondit Henricus) *nisi lacessitus certabo*. Misitq; sanciendæ pacis causa legatos in Hungariam, sed *Aba* eos cōtra ius Gentium violauit. Is tandem bis prælio victus, cum supplices misisset ad Imperatorem legatos; mussitabant aulici, an Abæ legati essent pari dolo, & pœna tractandi? acris fuit disceptatio; præualuit tamen sententia, legatos alieno non teneri crimine; eorum ius sacrosanctum esse, & semper immunes. *Legati sancti.*

ALLVSIO AD HIEROGLYPHICVM.

I.

QVanti Oratorū faciendum nomē, & omē;
Hac nos Henricus Tertius arte docet.
Ceperat Hungariæ Legatos splendidus aula,
Atque animi dederat signa benigna sui.
Illi perfidiæ versa vice signa dederunt,
Et patuit turpis proditionis opus.
In ius de læsa mox Maiestate vocati;
Fassi se tanti criminis esse reos.
Perrexere tamen fidei se nomine tutos;
Publica Legatis, quæ comes esse solet.
Omnibus aduersis, Henricus censuit vnus,
Nulli hominum sanctam fas violare fidē.
Ite, *inquit, maneo vindictæ criminis insons;*
Si pecco, ignoscens, est ea culpa minor.
P. Franc. à S. Augustino Macedo
Lector Patauin.

II.

CVr Niger Hēricus? cur Is nō dicitur Albus;
Albam professus, Corde, vel Ore; Fidem?
Iris vt effulget; cum cingunt Nubila Phœbū:
Regia sic rutilat Pax, vbi Bella nocent.
Rex Aba, cum Pacem petijt; tūc Bella parauit:
Nuncia, quæ recipit, Fœdera rupta facit.
Audet, Bis Victus, Legatos mittere supplex;
Victor tunc poterat Parque referre Pari.
Conuentus Procerum Ratio non vna probauit;
Lædere Lædentem poscit Is, Ille negat.
Magnanimus Cæsar, Pius est, nō Vltor in armis;
Hos inter Medius, talia Dicta dedit.
Cæsar, nempè hominū, nō Diuū iura reformat:
Ius Legatorum, Sactio Sancta Dei est.
M. Anton. Moles Neapol.
S. Th. D.

III.

LEgati Enrico, specie qui iussa referrent;
Hunniadum fraudes, insidiasque parant.
Mox capitale nefas operosa penditur vrna
Concilij, an merita crimina morte luant;
Publica Legatos tamen hic vult iura tueri;
Frangentique negat, frangere velle fidem.
Io: Fran. Franzinus S. Th. D.


Divini Iu
ris Lega
tio est.
Ius Lega
torum Sa
crosanc
tum.
Legati non
Semper Sanc
ti.

Sal. An. 1017.

HENRICVS. III. NIGER, OCCIDENTIS IMPERATOR XVII.

Nasci Reges , non fieri.
Si dubitas , HENRICVM profero , IV. *Puer eligitur in successorem à patre.*
Rex erat , & nesciebat .
Cum Rex deligitur, Tutori sacro committitur.
Regni namq; Tutela , Ecclesia .
Primum facinus , Pax fuit . V. *S. Stephano Hungarorum Regi pacem donat, inscio patre.*
Quam inscio patre , donauit Innocentiæ :
Plus timens hostium hostias , quàm copias.
Publicis patriam posthabuit potestatem .
Ingratum nè dicas , III.
Si potiùs obediendum Deo , quàm hominibus .
Gratum manes resonant ;
Quum nè Germanis pius deesset Æneas , VI. *super humeros fert patris cadauer ad sepulchrum.*
Mortuum fert patrem in humeris .
Nil in pueritia sortitus humile,
Præter staturam , & ætatem ,
A triumphis bella exorditur .
N I G R I Nomen , animi non derogauit candori , VII. Niger *dictus ex capillo.*
Sed velut nubem in splendorem Maiestatis tetendit ,
Natus in castris , magistra Pallade ,
Imperatoriam Maiestatem
Armauit literis , decorauit armis .
Felicissimum ducens Imperium , in quo
Vel Philosophi regunt , vel philosophantur Reges
1027. Consors assumptus Imperij , *Inscio & bellà gerente patre, pacem dat Henricus Stephano Hungarorũ Regi.*
Vincens pietate parentem ,
Sanctitatem *Stephani* Hungarorum Regis
Venerabilem obtulit filius inuito patri .
Præesse nolens , nisi & prodesset , *Petrum Hungariæ Regem solio deturbatum remittit.*
Nimia pietate peccauit :
Cum tyrannum seruauit ,
Petrum Hungariæ Regem .
Triennio D. Stephanum Hungaria luxit ,
1040. Quia totum Petri Imperium luctus fuit subditorum .
Quid egerit ? attende lacrymas Hungarorum
Viuente Petro .
Moram faciente Morte naturali ,
Ciuilem euocant ,
A solio excutientes in exilium .
Reperit tamen patronum scelus
Iniquitas æquitatem ,
Rex Cæsarem , Petrus Henricum,
Cum ille præteritam , vgeret fortunam,
Timeret iste futuram .
Perduellis Bohemia VIII. *Vratislaus Bohemus ab Imperatore deficit vsurpata Polonia.*
Nesciens à Deo dari Reges .
Ducatum perdidit , cum regnum quæsiuit .
Tributum , homini dedit Deus ,

Cum

Cum illa negauit , Cæsar coegit .
Vlcisci Potens , malluit
Exigere animos, quàm colligere aurum :
Subiectis parcens , cum debellasset superbos ,
Ea est redemptus corona ,

IX.

Ob ciues Seruatos .
Sic militem donis , annona populum , cunctos otio,
Non pellexit , sed sociauit :
Vt verè pastor ,
Ferret in humeris Principatum .
Vratislaus ,

X.
Vratislao parcit.

Qui Dux venerat, Rex abijt;
Et primus in patria
Duces extinxit , Reges induxit ; 1041.
Modum attendite :
Humi nudus prosternitur, vitam eflagitans .
Qui totum Orbem reboabat , gladio concidere ,
Vanitas Vanitatum
Euanesceret , nisi de Regibus triumpharet .

XI.
Hungarorum Rex Petrus solio pulsus per Abam, ad Hẽricum confugit.

Hungarorum Rex supererat *Aba* ;
Excusserat iste tyrannum , non tyrannidem.
Amari incapax , timeri voluit ,
Quasi bruta regeret :
Si inter Belluarum , hominumq; Rectores
Solus mediat timor , vel amor . 104.
Congressus cum Henrico prò vita , & vitta ,

XII.

Vtramque seruare nequiens,
Reiecit Petro coronam , Henrico triumphum :

Descendit , *quia cum claues arripit Cæsar ecclesiæ,* descendit, *non* ascendit. *Romam pergit, vbi Antipapæ dilaniabant Ecclesiã.*

Pacata terra, in Cælum descendit Ecclesiæ ;
Et nè tres fures , vel furiæ Quirinalem ascenderent, 1046.
Intrusit quartum ,
Si fur est , qui ingreditur, non per portam, sed per fenestram.
Commota est moles Ecclesiæ ,

XIII.
Datur illi potestas eligendi Pontificẽ pretextu quod in ecclesia grassaretur Simonia.

Cum prò Petro
Clementem inclementer, Sanctum, sed non sanctè,
Lapidem posuit offensionis , & petram scandali .
Henricum excusat Simon ,
A quo Ecclesia vendita vniuersa ,
Solo poterat Petro redimi Henrici gladio .
Aurum , non aulam time Curia :
Liberi namque sunt filij ,
Ni pretij participatione patiantur venundari .
In Simonem, non in Henricum
Queritur Petrus :
A quo vænijt Spiritus Sanctus ,
Vel Cæsar distribuit , ne Simon venderet

XIV.
Cum pro fistula argentea puer vendidisset Episcopatũ vir factus reuocauit. & baculũ pastorale in manibus Christi reposuit.

Semel ille vendidit, sed puer erat ;
Factus vir , euacuauit , quæ erant pueri ,
Auroq; redemptum , quod vendiderat
Pedum, Christi appendit pedibus :
Vt infulam simoniaca labe pollutam ,
Purissimo Christi purificaret contactu ;

Nec

Sal. An. 1017. Nec hominis, Sed Dei manu dicerentur promoti.
Sic Petro Cæli clauibus restitutis,
In Hungaros arma contulit,
Qui Christum proscripserant. XV. *Bis vincitur ab Andrea Hungarorum Rege.*
Ad Posonium, & Iaurinum,
HENRICO III. Andreas bis maior,
1050. Donec potuit, Idola protexit. *Hungaros vincit.*
Coactus tandem ad Stephani Sacramenta redire;
Patriam reparauit ab aris.
Sic fidem perfidia collapsam,
Quam Henricus Secundus erexerat, Tertius remisit.
Rependit Dominus pacem æternam, XIV. *In complexu Victoris II. animam eflauit, cum ei mortem prædixisset Archiep. Colon.*
Quam Episcopo fideiubente promisit,
Pontifice soluente, donauit.
Morienti adfuit Victor II.
Cum clauibus Cœlorum
Cuius in ore, vt in sinu Abrahæ, vitam eflauit,
1056. Osculo pacis.
Satanam, in itinere insidiatorem habuit XVII. *Obuium Satanam Henricus habens, manu S. Laurentij liberatur.*
Et quia subtùs terram Petri non possunt claues,
Sanctorum obiecit *Suffragia*.
Moritur buccella panis præfocatus: XVIII.
(*Hæc mortis semita, per iugulum Orbem ingredi*)
Maiori forsan gulæ piaculo, quàm homo:
Qui *Lignum Vitæ* gustauit semel:
Mors humano delinita sanguine,
Nec Christi potuit, iam debacchata, satiari cruore.
Guttur petit Henrici,
Nè iste suos euocare posset in subsidium. XIX. *Viaticum S.S. Eucharistiæ sumit.*
Vir tamen fortis
Non fugiens è vita, sed exiens,
Aduersùs mortem,
Viaticum sumpserat de *Ligno Vitæ*.

CATENA HISTORICA.

CAPVT SECVNDVM.

1. *Henricus. III. cur* Niger *dictus.* 2. *duas vxores habuit.* 5. *non electione sed successione Imperator* 6. *Electionem habuit Romani Pontificis. Virtutes, Vitia.* 7. *Episcopos iudicat.* 12. *coronari petit Rex Italiæ.* 15. *in Bohemos expeditionem parat.* 16. *fallitur ab Vratislao Bohæmo* 17. *Episcopos Italiæ in gratiam recipit.* 18. *cladem recipit à Bohæmis.* 19. *vindictam sumit.* 20. *ei Bohæmi, in deditionem dantur.* 22. *gratus erga milites; Luitpoldum muneribus donat.* 24. *parcit Vratislao.* 25. *Petrum Hungarorum Regem licèt hostem, ad se confugientem, solio deturbatum restituit.* 29. *vincit Hungaros.* 30. *Bauariam Henrico nepoti cōmitit.* 31. *Abæ bellum indicit.* 32. *Agnam vxorem ducit.* 33. *Vngariam Aquilonarem subiugat.* 39. *ad pacem vrget Regni primates.* 43. *histriones ludificat.* 40. *legem fert in veneficos.* 49. *Abam Hungarorum Regem vincit.* 50. *Burgundis reconciliatur.* 56. *mortale subit periculum.* 58. *Petro Hungariam restituit.* 11. 59. *Giselæ reginæ cineres in Bathauiam defert.* 60. *Episcopatus distribuit.* 61. *ægrot.* 65. *muneribus donatur à Regulis Bohemiæ & Poloniæ.*

Idola

Sal. An. 1040. *Idola restituat. 84. legatos mittit ad Henricum Imperatorem. effigies*

67. *S. Gerardus martyr. 67. Zaunico martyr.*
68. *Egbertus Erueldensis.*
69. *Herandus vir eruditus*
70. *Gratianus an Antipapa?*
71. *Suidegerus in Pontificem datus ab Henrico III. nomine Clem. II. 89. obit.*
72. *Hildebrandus, postea Gregor. VII. Gratianum sequitur.*
78. *Henricus. III. Imper. corpus S. Vidonis Spiram asportat. 79. Parmensibus dat Episcopum 142. eius mortis causa.*
79. *Parmensium, & Mediolanensium bellū.*
81. *Vvelfus Vvelfi filius Dux Carentani: effigies. 136. molitur in Cæsarem. 137. insidias aperit.*
82. *Balduinus de Flandria molitur in Henricū III. 95. excōmunicatur. 98. paciscitur cum Henrico. 107. deficit iterum. 128. fugit.*
83. *Theoderici de Phladirtinga effigies. 85. Henrico III. Imp. resistit. 95. excommunicatur. 96. occiditur. 97. mortis causa.*
89. *Benedictus Sedem Romanam repetit.*
90. *Damasus II. obit, à quo electus.*
90. *Haruicus Bambergen. Episcop.*
91. *Otto de Schuueinfunt Dux Sueuiæ.*
93. *Agnes Imper. filiam parit.*
94. *Gerardus de Alsatia Dux Mosellanus.*
95. *Henricus VII. Dux Boiorum: effigies.*
95. *Leo IX. electus ab Henrico III. Imper. excommunicat Godefridum, Balduinum, Theodericum. 116. accitur à Petro Hungariæ Rege ad componendam pacem cum Imper. 122. in Normannos militem, & synodum congregat. 123. in bello captus obit. 96. &*
100. *Conradus Dux Boiorum; effigies. 117. iniustus. 124. ducatu mouetur. 126. ad Hungaros fugit 95. effigies. 136. à Bauaris reuocatur: obit.*
101. *Hunnoburgium instauratur à Boijs.*
102. *Gæbhardus patruus Henrici. 111. 117. 135. molitur.*
106. *Hūfridus Rauennæ Archiep. veneno perit.*
109. *Nitgerus Episcop. Fruxin. fratricida.*
110. *Bonifacius Italiæ Marchio. 112. vbi sepultus.*
111. *Beatrix filia Conradi imper. vxor Bonifacij. 129. nubit Godefrido. 138. captiua tenetur.*
130. *Balduinus Flandrensis Antuerpiam obsidet.*
131. *Victor II. Papa ab Imper. Henrico electus. 133. Synodum congregat 142. adstat Imper. morienti.*
126. *Henricus. 4. eligitur Dux Bauariæ. Inuisus Principibus. 137. filiam Marchionis Othonis sibi desponsat. 105. successor declaratur.*
138. *Hannus Colon. Archiep. mortem Imper. prædicit.*
112. *Fridericus Beatrix, Mathildes, filij Bonifacij.*
114. *Nizo Ep. Frisingensis.*
140. *Henrici Regis Franciæ effigies.*
125. *Hazelinus Ep. Babinberg.*
127. *Gebhardo tutori Henrici IV. Pontificatus prædicitur. effigies.*

Henrici. III. Natalia.

I. HEnricus III. cognomento *Niger*, dictus quia nigresceret illi Barba *Gotfrido* teste:

Henricum dixere Nigrum, barba nigricante.

Nascitur Sal. An. 1017. nam mortuus legitur apud *Herman. Cont.* Sal. An. 1057. anno ætatis suæ XXXIX. Patrem habuit *Conradum Salicum*, & matrem *Giselam* Herimanni Ducis filiam.

Vxores Henrici III.

II. DVas habuit Hēricus. I. *Chunelinda* fuit: Cnittonis Anglorum Regis filia, quam ei pater desponsauit Sal. An. 1026. licèt nuptiæ Sal. An. 1036. celebratæ sint. Perijt hæc, in Italia Sal. An. 1038. peste ingrauescente, *nulla relictà prole*, scribit *Christian. Matthias* sed fallitur; nam Vvippone teste, *filiolam reliquit, quàm postea pater Christo desponsans, in Abbatissam consecrari fecit.* II. Agnes fuit, filia Vvilhelmi Pictauiensis principis. Quam Moguntiæ Reginam vngi faciens, apud Ingelenheim regalem villam, sibi copulauit. Sal. An. 1043 *Herman. Cont.* III.

Henrici III. Liberi.

EX Chunelinda primà vxore vnam suscepit, cuius nomen ignoratur. Ex Agnete duas feminas. Prima nascitur An.

Sal. An. 1030. 1045. apud Tribura, vt ex *Herman. Cont.* Secunda in Rauennati territorio An. 1047. ex eod. *Herman.* Tulit etiam ex eadẽ Agnete Masculos duos; Henricum IV. Imper. II. & Conradum.

Imperij Occupatio.

V. CОnrado Imperatore mortuo, nullum apud seniores conuentum legimus, vel nouam coronationem, vt filius Henricus regnaret. Superabundauit paterna electio, quà Sal. An. 1028. Indictione XI. successorem Conradus designauit, vt notat *Krantzius*; (*4. Saxon. c. 39.*) vel 1027. vt ait *Sigebertus*; vel 1026 vt veriùs scribit *Vvippo*.

Virtutes & Vitia Henrici.

VI. ADeò digladiantur, vt quod horum præcedat, lateat. Electionem ab eo vsurpatam Pontificum insimulant, quamtamen minimè quæsiuit, sed oblatam ad deprimendas præpotentium turbas, non bis à Cardinalium colleggio rogatus, accepit. Vel si quæsiuit, maiorum priuilegia retinuit, quæ Romani Pontifices erga benemeritos Cæsares grati retulerant. A Cæsare datos si recenseas Pontifices, scientia & moribus fuerunt clarissimi, quibus similes exoptat Ecclesia.

VII. Quòd Episcopos iudicare præsumeret, vt Vvigderum Rauennæ Episcopum, & alios; temporum indulge calamitati. Ferè namq; Ecclesiastici omnes, Simoniacà labe polluti, iudices non admittebantur in propriâ causâ.

VIII. Quòd Beatricem illustrem Bonifacij viduam, Godefrido Duci, se inconsulto nuptam, in Germaniam, captiuam duxerit, Arcana sunt imperij, nè Godefridus animi seditiosi, & impatientis, Italorum viribus arma in Imperatorem repararet, vt repetitis vicibus, ante fecerat; Quis itaq; permolestum fædifragi non haberet connubium, ex eo præuidens sibi insidias parari?

IX. Quòd denique in Annonẽ Coloniensem Pontificem simultates exercuerit, humanũ fuit: vt Angelica fuit emendatio, nam instante Annone sacerdotum etiam verberibus se submisit, purpuram sumere formidans, priusquàm peccatorum suorum confessionem sacerdoti exoluisset.

X. Iustis Conrado peractis, totius Imperij summam suscepit Henricus, qui iam vnà cum viuo patre socius regni regebat habenas. Porro de Italia solicitus, ad Herebertũ Mediolanensem misit Antistitem, coronam in præsens, amicitiam in perpetuum postulatum: vt scribit *Sigonius* Quorum vtrumq; XI. cum se daturum promisisset, continuò arma reuocauit. Licèt per multos annos Italiæ vacare nequierit, Boemico & Hungarico bello XII. impeditus.

Mortuo namque Conrado, nouum principem (*Auentinus*) gens efferata Vgri atq; Boiemi flocci faciunt, imperata detrectant, parere recusant. (*Hũgarorum defectio.*) Petrus Vgrorum Rex, cui (*5. Annal. p. 408.*) peculiariter Diuus Stephanus moriens commendauerat *Gisalam Reginam*, huic prædia, dotem, vi aufert. XIII. (*Gisala relegatur*) Aulam prohibet; & nè maiestatis aspectus, sacram Stephani reuocaret memoriam, ab vrbe relegat, principum ac populorum accessu prohibito. Proceres, Pontifices increpantes, non audit; spernit, mulctat, calumniatur, deponit. Omnia habet venalia; Cælum ipsum exponit sub hasta, nec sine assentatorum plausu: hostes regum, domestici. Vnus illi XIV. Consiliarius Buda fumi venditor. (*Buda fumi venditor.*) Porrò scelerum amica Societas, Regulum Bohemiæ Vratislaum Petri auxiliaribus fretum copijs, à iugo reuocabat imposito, & Cæsaris spreta amicitia, solita abnuens pensitare tributa; XV. Cesari fœderatos infestat Polonos, regio titulo vsurpato Poloniæ. Henricus verò Kalen. Ianuarij Reginoburgij contractis copijs, XVI. in Bohæmiam, Boijs conterminam expeditionem meditatur. (*Vratislai dediditis.*) Vratislaus vbi hoc resciuit, vt belli discrimen effugeret, legatos, filiumque *Spitigneum* Reginoburgium ad Cæsarem mittit, vt specie obsidionis, & legationis dolo Cæsarem falleret, XVII. mandata se facturum pollicendo, se in Boiariam è vestigio venturum. Credulus Cæsar, diem illi dicit, Reginoburgij hyemat. Primò Vere Augustam Rhetorum petit, legatis Italorum ius dicit. Deindè in Ingelheim Paschalibus conuentum agit, Italiæ pœnitentes episcopos ab exilio Ecclesijs restituit; inde Reginoburgium tendit, quò cum Vratislaus præsto haud esset, sed sacrilega legatione eluderet; Cæsar copiarum partem præmittit ad occupandos Hercyneos saltus, per quos in Bohemiam penetrare statuerat. Viã namq; publicam hostis insedebat. (*Cæsarianos cædũt Bohemi*) Cæsarianis syluam ingressis, repentè ex insidijs erum-

Sal. An. 1040. erumpunt Bohemi, irruunt, nostros cædunt, in fugam vertunt. Cæsarianorum euasere XVIII. pauci. Cum Vvernhero & Reginhardo signiferis, plerique occumbunt X. Kal. Septẽb. Capti, intercedente D. Gunthero, vita donantur, & prò vno Vratislai filio, quem obsidem tenebat Cæsar, omnes redemit.

Tanto vulnere accepto, Galingstadij proceres cogit, consilium habet de inimicorũ vindicta. Bohemorum Legati, qui de pace acturi venerant, concilio iubentur excedere. XIX. Fœdus Vratislai cum Hũgaris. Vnde Vratislaus cognito hostili Cæsaris ani-



mo, accito auxilio Petri Hungarorum Regis, aditus omnes, & percognita Hercyniæ itinera, fossa, vallo præcludit: truncis arborum transuersis obstruit, fruticibus obserit, custodem ponit exercitum. Henricus verò, vbi Hercyniæ aditus interclusos offendit, iuxta hostem castra locat, & diuinis præmissis supplicationibus, postquàm complures dies statiua habet, sed frustra irrumpere tentans, locorum peritos, & gnaros viarum conquirit, quorum ductu, ipse silenti, & expedito agmine Hercyniam circuit, vbi nulli erant custodes, & quà minimè rebatur Bohemus hostem irrepere posse. Locauerat priùs maiorem exercitus partem ad castrorum custodiam, vt castrorum specie manente, inimicos falleret. Plures ex industriâ ardebant ignes, milites acriùs solitò

Sal. An. 1040. irruptionem fingebant, qua Bohemi crederent in castris stare Cæsarem. Sic cum per arduas semitas in planos Bohemiæ campos illæso milite Cæsar euasisset incolumis, à tergo in hostem irruit; dum à fronte vrgebant Cæsariani, audito fremitu in hostilibus castris. Sic vndique fatigati Bohemi, cæsi, fugati victoriam, cruentam tamen, aggressoribus cedunt; quia desperatio ad virtutem barbaros excitauerat: ducentes meliùs vnà cum hoste pugnando, procumbere; quàm solos inglorios & sine vindicta decedere. Cæsariani superatis hostibus, copias iungunt, & duos supra quadraginta dies, ferro, igne depopulantur; agros vrũt, vicos incendunt, cuncta luctu complent & incendijs. Ipse verò Vratislaus Bohemiæ regulus se Pragæ continebat. Interim Luitpoldus filius Alberti, Austriaci limitis præfecti, collecta Orientalium Boiorum manu, vrbem in confinio Boiariæ, & Bohemiæ, patri suo præreptam dolo, obsidet, vi expugnat, filium Præsidis capit, captiuum abducit, opima onustus pecudum, hominumq; præda. Cæteri Boij accolæ Hercyniæ syluæ successu horum erecti, & ipsi per Hercynium nemus Bohemiam irrumpunt, & ingenti animalium & hominum captiuitate referti, domum reuertuntur incolumes. Bohemi tandem tot perdomiti cladibus, vbi agros miserantur vastatos, filios captiuos, vrbes succensas, patrijs opibus spoliatos, vt finem calamitati imponerent, *Seucrum Pragensem Episcopum*, aliosq; proceres supplices ad Cæsarem mittunt, *vt de regno, bonis, hominibus ad libitum disponat. Obsides eligat; Regulum, si renitentem Cæsaris mandatis, catenis tradituri promittunt.* Quod cum Vratislaus ex nuncijs accepisset, rebus omnibus diffisus, suorum anteuertens insidias, celeri legatione præcurrit. *Ab Henrico vitam solumodò sibi & liberis rogans, reliqua cedit.* Promissa omnia iureiurando firmat: Spitogneo, Ottone, Vratislao, Conrado filijs suis, pro pignore datis. Vltrò etiam Cæsari oblato iure vindicandi periurium obsidum morte. Continuò Hercynium saltum aperiri securibus, dolabris arborum ramos amputari, vallum exscindere, frutices eradicari, aggeres diuelli, fossas compleri, itinera truncis purgari iubet; vt sepultà proditionis memorià, triumphantis more domum reuerteretur victor exercitus. Placuit conditio Cæsari; & ouans, præda onustas reducit phalanges. Reginoburgium diuertenti, Albertus & Luitpoldus Orientalis Boiariæ obuiant præfecti. Bohemi Præsidis captiuum exhibent filium, gesta memorant, mutua principes congratulatione lætantur. Cæsar quemq; laudat, cuiusque facinora repetit, Heroum nomina resonat, præmia distribuit. Inter cætera peculiare munus, Luitpoldo offert; equum regis Bohemiæ, ephippium, & phaleras aureas; Vigesimo deinde die, vbi constitutum erat, Vratislaus cum plerisq; optimatibus, nec vacuus muneribus venit. Cæsaris in senatu, curuli sella, cultu regio sedentis pedibus lacrymabundus accidit, adoperto capite, calceis pedibus detractis, corpus humi prosternit, supplex orat præteritorum veniam, Bohemiam cum signo reddit, regium Poloniæ nomen, quod vsurpauerat, abiurat. *O Vanitas, quid in regali solio tumescis? attendite Reges, respicite principes, nudum regem humi prostratum. Vitam eflagitat, qui Orbem totum reboabat gladio concidere.* Victi, & tantam miseriam miserantes Pontifices, dynastæ, per Christi obsecrant clementiam, vt confitenti scelus, ignoscat. Annuit Cæsar, & sociali planctu, dum Vratislaus fortunam luget præteritam, Cæsar timet futuram. Iussus surgere, Vratislaus solemne renouat Sacramentum, & semissem tributi quod pactus fuerat, indulgente Cæsare, domum reuertitur.

[Margin notes, left column: *Cæduntur Bohemi.* — XX. — *Bohæmi supplices.* — XXI. — *Obsides Vratislai.*]

[Margin notes, right column: XXII. *Luitpoldus donatur munerib.* — *Vratislausnudus posternitur.* XXIII. — XXIV. — *Vratislao Henricus parcit.*]

HENRICVS IMPER. PETRVM HVNGARIÆ REGEM solio deturbatum, remittit.

XXV. SAl. An. 1040. dum Bohemiam popularetur Henricus, Petrus Poloniæ tyrannus, veriùs quàm Rex, licet sæpius à senioribus monitus, resipiscere recusat. *Inde Vgri authoribus Phiscone, Stoitzlao, & Pezilone, gentis optimatibus coniurant, Regem adeunt* (verba sunt Auentini) *Budam intimum Petri, tantorum flagitiorum consultorem ad necem deposcunt. Atque dum is ad Regis fidem confugit, Regis opem implorat, vi abstractus, in frusta minutatim conciditur, duobus filijs eius oculi eruuntur. Petrus cum tumultu isto, tum conscientia scelerum perterritus, ratus se vbiq; terrarum tutiorem, quàm* apud

[Margin note: *Annal 5.*]

Sal. An. 1042. *apud suos fore, ad Boios confines Vgris, quamquam sibi infestos, quòd Boiemis suppetias tulisset, cum paucis aufugit, benigneq; ab Alberto Orientalis limitis duce, acceptus, Reginoburgium ad Cæsarem deducitur. Verùm primum sicuti Reipublicæ hostis, non solum aditu prohibitus, sed in vincula quoque coniectus est. Adnitente tamen Alberto, cui soror illius nupta erat, & plerisque aulicis fauentibus, miserantibus regiam calamitatem, in conspectu Henrici admittitur. Moxq; principis pedibus flens procumbit, fortunam deplorat suam: veniam delicti, simul vitam precatur. Cæsar memor rerum humanarùm inopi gratiam facit: eundem bono animo esse iubet, auxilium pollicetur.*

EXPEDITIO HENRICI III. IN ABAM HVNGARIÆ REGEM Sal. An. 1042.

XXVI. *Aba Rex Hungarorum.* HVngari, cum tyranni patronum sciuerunt Cæsarem, *Vvonem quendam* (*hunc alij Abantem alij Ottonem vocant*) *regem salutant* (ab Herman. Cont. Auentinus *l. 5. Annal. Boior.* desumpsit) *vti mos gentis est, solenni ritu renunciant, omniaq; acta Petri rescindunt.* Ouo quoque cum audisset, Petrum ad Cæsarem profugisse, ab eoque receptum esse, legatos



illò ad explorandam erga se voluntatem regis Teutonici, proficisci iubet: illiq; admissi satis proteruè superba legatione defunguntur: *Domine* (inquiunt) Ouo Rex noster tecum ne bellum, an pacem habiturus sit, sciscitatur. Ambæ conditiones in te sitæ sunt: vtramuis acceperis, à te certior fieri postulat. *Abæ legati.*

Admodum paucis Cæsar hisce respondit, Idipsum quod percontamini, penes vos, & in arbitrio vestro est. Non soleo arma, nisi lacessitus capere: quoad per hostes, inimicosq; licet, quietem, & ocium amplector, pietatem colo: si neque me, neque meos iniuria affeceritis; prior Crabrones non irritabo, neq; aleam iactabo. Quòd si nos priores læseritis, quid armis, Christo propitio, possimus, haud dubiè sentietis. Huiuscemodi itaq; dictis, placuit legatos ad Vgros proficisci cum Ouonis Oratoribus. Qui vbi in Pannoniam cum mandatis peruenere, rex Vgrus virus, quod animo occulebat, tandem effundere decreuit: Boiariã, quam Austriam, quòd ad Orientem vergat, *Aba inuadit Bauariã* voca-

Sal. An. 1053. vocamus, inuadere statuit. Ne autem rumor ante facinus emanaret, cōsilium suum proderetur, velocitate, qua celeritatem famæ antecederet, ratus opus esse, omnes copias, equites vniuersos clanculum contrahit, doloque omnes mercatores, hospites, externos, & legatos accersit, contra
Aba legatos violat. ius gentium in vincula conijcit, diligentissimaque custodia obseruari iubet. Dum Boij de pace agi credunt, Boiariæ regnum, triplici agmine aggreditur. Pars Charinos
XXVII petit, ipse Australem Danubij ripam, alteram Dux eius sibi deposcit. Ambo ludis Februarijs, quibus plus æquo, Baccho, Cereri, imo etiam Veneri, contra fas, & placita religionis nostræ indulgemus: Sexagesimæ die, nocte silenti per latibula, & syluas, peritis locorum ductoribus ad condictum locum, Træsomam amnem prorepunt.
cæduntur Boij. Quò cum crepusculo ante lucis ortum peruenissent, Ouo nostros somno vi-
XXVIII. noque sepultos, sub tecto in cubilibus stertentes, nec quicquam mali suspicantes, inopinatos, imparatosq; subitò inuadit, resistentes cædit, ædificia incendit, pecora, homines abigit, multi mortales capti. Qui correptis armis se defendere parabant, à multitudine hostium oppressi sunt, à primo diluculo vsque ad occasum Solis, cuncta longè, lateq; incendijs, cædibus complentur. Rex Vgrus circa Tulnam vrbem Boiorum in armis pernoctat, postridie incolumi
cæduntur Hungari exercitu, cum ingenti præda, & captiuorū numero in Vngariam reuertitur. *Nec vmquàm aliàs de Baioaria; prædam Vngaria cæpit. At in Aquilonari ripa aduersa fortuna Vgris fuit. Dux ipse cum suis ad ostia Frasomæ, nemine omninò aduertente, euasisset, nondum orto sole, nostros imparatos, nil tale sperantes adortus fuisset, cunctaq; depopulatus ingenti vi captiuorum, iumentorum, pe-*
XXIX. *cudum, potitus esset: tamen Albertus & Luitpoldus duces limitis, subitò correptis armis, raptim collecto equite, superis vocantibus, Vgros qui se diuiserant, prædæ intentos, palantes, ac ouantes carptim inuadunt, cædunt, proterunt: captiui viri, fæminæ, pueri, puellæ, vbi nostrum agmen agnoscere, & ipsi resistunt, lanceis, cultris, sudibus, sagittis, quidquid ira subministrabat, Vgros appetunt, incessunt: nec in hostem grassari desinunt, donec ea pars ad internecionem deleta, omnis excussa præda, omnes captiui liberati sunt. Dumq; victores gratias Deo agunt, alia manus hostium, quæ in insidijs hactenus delituerat, dèmum prodit. Quos vbi nostri, licèt fessi post tergum vident, Superos cæleste auxilium vocant, fortiter irruentes Vgros excipiunt: duces nostri in confertissimos hostes incurrunt, aciem perrumpunt, ordines turbant, Vgros propellunt, in fugam conjciunt. Fugientes ad Marum amnem persequuntur, in flumen præcipites agunt, & submergunt, perpaucos hostium fuga seruauit. Dux Vgrus equo flumen tranat, regiq; suo exhibitus, ob rem malè gestam ducatu mouetur, oculisque priuatur. Qui Charinos inuaserant, à Godefrido eius limitis Præfecto, à Vvelphonis ducis, & Lycariorum Boiariæ dynastæ copijs, iuxta Petanionem Vrbem Noricorum cæsi, prostrati sunt: perpaucis fuga elapsis, præda captiui omnes recepti. Hisce diebus nimirum in Quinquagesima Cæsar Basileæ summum* XXX. Henricus Dux Bauariæ.
Boiariæ principatum in tutelam Henrico nepoti ex fratre Henrico D. Chunigundæ Augustæ, ex Lotharingia Mosellana oriundo, committit. Paschalibus in Colonia Agrippin. conuentus agit, bellum Ouoni indicit. *Inde Quin-* XXXI.
quagenalibus Vvurtzburgium se confert. Brunonem vrbis Episcopum, cognatum suum, cum viris & fæminis ad Vvilhelmum Narbonnensis Prouinciæ præfectum legat, eius filiam Hagnam vxorem sibi expetit. Interim XXXII.
contractis copijs aduersus Vgros. V. Idus Augusti apud Altaich inferius fuit. Consilio Vratislai Boiemorum Regali (*quod Australe latus, paludibus, syluis, amnibus septum erat, incolas omnes Vuo vicis incensis,* XXXIII.
trans Arrabonem transtulerat) Aquilonarem Vngariam (nam eam Danubius interfluit) terrestri, naualique exercitu adgreditur, Hunnoburgium obsidet. Ciues desperata salute, iniecta ædificijs flamma, noctu aufugiunt. Cæsar mænibus dirutis, ac solo æquatis, ad Presburg, quod Romana lingua Pisonium vocatur, castra admouet, vrbem oppugnat: oppidani deditionem faciunt. *Idem cæteri omnes eius tractus incolæ vsque ad Granum flumen, missa legatione factitant, Nouem oppida se Cæsari permisere: Ouo bis ad Granum amnem cum nostris congressus, bis superatus, trans flumen est repulsus, maxima clade affectus, vnus nostratium duntaxat perijt. Cæ-* XXXIV.
sar Petrum, quem adduxerat, prouinciæ armis

Sal. An. 1043. *mis partæ imponere voluit: prouinciales pertinacissimè refragantur: mori se malle, quàm hunc rectorem pati, confidentissimè asseuerant. Filio igitur fratris D. Stephani, qui initio belli ad Boiemos aufugerat, ea regio, consensu incolarum committitur, præsidio Boiorum, Boiemorumq; valido, nempè duobus millibus hominum munitur.*

XXXV.

HENRICVS CVM ABA VNGARORVM PACISCITVR. Sal. An. 1043.

Aueut. XXXVI. DImisso exercitu Cæsar Occidentalem petit Boiariam. Goslariæ deindè in Saxonia concilium regni conuocat, ibique hiemat. Pontificatum Archstadiensem Gebhardo tradit. Præsto ibi fuere Vratislaus Bohemus, & Roxolanorum, Polonorumq; legati cum amplissimis donis, & absentiam principum suorum excusantes. Gisela (Giselæ obitus.) tum Augusta Cæsaris mater obijt, XVI. kal. Martias, & apud Nemetum Augustam, hodie *Spiram* sepelitur iuxta coniugem suum

XXXVII. Conradum Imperatorem vt scribit *Herman. Cont. Cæsar* (continuat Auentinus) *Paschalibus in Leodiensi agro, regem Occidentalis Franciæ, quam eius tempestatis scriptores nostri Caroliam vocant, appellat. Inde Quinquagenales ferias in Saxonia Badoburnæ concelebrat. Huc Vuo, nuncio malæ pugnæ, perterritus legatos mittit, veniam orat, amicitiam postulat: auri montes, se captiuos omnes redditurum, prò his quos restituere non posset, precium persoluturum pollicetur. Verùm cum Cæsarem iureiurando fidem dare, pacta confirmare postulant, infecto negocio intra præscriptum tempus excedere Boiaria, domum redire iubentur. Cæsar cum exercitu vestigia nunciorum insequitur. Cum fines*

XXXVIII. *hostium nemine prohibente intraßet, delectus agit, exercitum lustrat; dumq; Meridionalem Vngariam inuadere, munimentum (quod ripæ Rabinißæ ad arcendos nostros Ouo imposuerat) confectis iam machinis, postridie expugnare parat. Ouo missis nuncijs pacem supplex petit, partem regni ab ostijs & fontibus Mari fluminis ad fines Charionum, & quidquid intra amnes Litham, Phiscamque continetur, quæ pars quondam D. Stephano amicitiæ causa tradita erat, Cæsari reddit: insuper se quadringenta auri talenta Teutonica, totidem serica pallia mulctæ nomine tributurum, & tanto auri pondere, damnum à se datum compensaturum, captiuos omnes Gisalæ Reginæ quæcumq; Petrus ademerit, restituturum pollicetur: Pezilonem ducem, cum septem alijs optimatibus, in quos animaduertendi more maiorum, si pactis non staret, & postridie Kal. Decembris verba promissa factis non comprobaret, ius foret, obsidem tradit. Vnum postremò orat, vt timori suo concedatur, nè in conspectum Cæsaris venire cogatur. Cæsar consilio habito, conditiones accipit, Henricum Ducem Boiorum, & Vratislaum Bohemiæ rectorem; ad Ouonē concedere iubet: coram quibus praeeunte sacrificulo, Ouo Sacramentum dicit: pacta iurisiurandi religione sancit.* Priusquàm hæc firmarentur, non defuerunt in aula Cæsaris, qui venientes Abæ legatos retinere vellent, in vindictam legatorum, quos temerato iure, Aba violauerat. Præualuit tamen sententia eorum, qui incolumes dicebant legatos, quorum ius Sacrosanctum nullo erat delicto pensandum, ea in aula, quæ Barbaris erat æquitatis exemplum.

Agnes Henrico Imp. nubit An. 1043.

IN amicitiam accepto Aba Vngarorum Rege; prouincia verò Alberto, eiusque filio Luitpoldo commissa, vt scribit *Auentinus*; in Sueuiam se confert. Constantiæ conuentum agit Ecclesiasticum: *vbi primò omnes Sueuiæ principes, memoresque personas, cunctis inimicitijs destructis* (vt ait Hermannus) *pacificari fecit, & pacem hactenus inauditam, tàm in hac, quàm in alijs regni sui prouincijs, regia censura per edictum confirmauit.* Quod ex *Goldasto* transcribere placuit. Annal. 5. XXXIX.

Henrici III. Constitutiones
1. De Veneficijs.

XL. *DEcet Imperialem solertiam Reipublicæ curam agere, & sic sollicitetur erga præsentia, quatenus ea quoque diligenter prouideat, quæ posteris sunt vtilia, atque profuturas. Id autem Satis competenter agitur, cum bonis virtutis premium, impijs at digna vltio sibi ad vindictam, alijs ad exemplum, recompensatur. Sed quoniam omnia, quæ habet humanum genus, excedit de eius salute,*

tanto

An. Sal. 1062. *tantò præcipuè curandum est, quantò manifestiùs constat, quòd omnipotens quoque Deus, pro redemptione eius Vnigenitum tuum ab æterna Sede Diuinitatis tuæ in terram misit. Quapropter quoniam plerumque (proh dolor) veneficio, ac diuerso genere furtiuæ mortis perire audiuimus: super hoc dum in Regno vniuersali conuentu Longobardorum sederemus, huiusmodi legem, Episcoporum, Marchionum, Comitum, aliorumque consensu, & auctoritate probari sancimus.*

2. *Quicunque veneficio, seu quolibet modo furtiuè aliquem peremerit, vel consentiens fuerit, mortis sententiam incurrat, omniumque suarum rerum mobilium, & immobilium facultatem ammittat; ita tamen, vt pretium X. librarum auri pro legitimo Vvidrigild propinquis parentibus perempti præmium detur: reliqua rursus medietas eius propinquis, altera autem medietas ad Fiscum accedat*

3. *Si quis verò prædicti criminis, aut de facto, aut de consensu accusatus negare voluerit, aut per duellum, si liber est; si verò seruus, per iudicium defendat se; aut similem sententiam incurrat.*

4. *Ad hoc autem volumus, nostraque imperiali auctoritate sancimus, vt quicumque hominibus prædicti reatus noxijs refugium, aut subsidium aliquod præbuerit, omnis possessio eius in publicum perueniat: ipse verò in nostram, omniumq; nostrorum indignationem incurrat.*

II. De Episcoporum subrogatione ab Imperatore facienda.

XLI. *HEnricus Romanorum Imperator Augustus. Cum Herebertus Episcopus Sanctæ Mutinensis Ecclesiæ, & ciues eius, nostra adita Clementia, exposuerint, ipsorum olim nobilissimam, atque antiquissimam vrbem Mutinam prope desertam esse, ex eaque re nobis, & nostræ Reip. maximum detrimentum accedere, petierintq; vt eam nos ipsi reædificare, munire, atque augere concederemus, quò nostris, & sanctæ Ecclesiæ hostibus firmioribus resistere viribus possent. Ob eam rem nos iustis eorum precibus obsequentes cum id eis permittimus, tum verò etiam vsum aquæ amnium Siclæ, & Scultemnæ, Episcopo, & Ciuitati concedimus, potestatemque aluei excauandi ad merces in Padum Venetias, & Rauennam deferendas, largimur. Quin etiam Ecclesiæ, & Ciuibus omnes rectas consuetudines conseruamus, quas antiquitùs habuerunt, modo ne Episcopi mutatio, aut alio modo, nisi per nostram manum subrogatio fiat, nisi à Romano Pontifice legitimè abdicetur.*

Firmata Germanorum pace, Vesontionem Burgundiæ vrbem, Sequanorumque Cæsar petit, obuiam sponsæ procedit, reginam apud Mogontiacum vngi faciens, regalibus sibi nuptijs apud Ingelenheim copulauit. Interfuere frequentes Pontifices, Episcopi, duces tetrarchæ, dynastæ: ciues Italiæ, Germaniæ, Galliæ. *Ibi infinitam histrionum & ioculatorum multitudinem, ad laudis suæ cumulum, vacuam & inanem sine cibo & muneribus merentem abire permisit.* Dicens, *Panis filiorum non est mittendus canibus.* Nuptiarum tandem lætitia, ita sublunarium exigente cursu, Luitpoldi filij Adalberti Marchionis, qui belli fulmen, terrorq; fuerat Vngarorum, immatura morte turbatur, & Treueris à patruo Archiepiscopo Poppone sepelitur. ita *Auent. ex Herman. Cont.*

XLII. XLIII. *Hericus histriones i[n]c[lu]dit.* XLIV.

HENRICVS III. IMPER. ABAM REGEM VNGARORVM FVGAT: Petrum in solium remittit. Sal. An. 1044.

XLV. PAschalia apud Nermagum agente Imperatore, Gozzilo, siue Gothelo, Dux Lothariensium moriens, consensu Cæsaris, Gozziloni filio ducatum reliquit. Go-
XLVI. tefridus verò alter Gotheli filius, cum ducatum à Rege impetrare non posset in præiudicium fratris, *iusiurandum, fidemq; postponens, rebellare pio regi præsumpsit*, vt scribit *Her. Cont.* Interea Aba, qui iam regni
XLVII. partem Henrico reddiderat, mentitus reliqua promissa, nec omnes reddidit captiuos, neq; condicto die pecuniam soluit. Sed Bernulphi, ac Macthuni fretus insidijs, qui obscuris orti natalibus, cum nec auri splendore, nec auctoritate Nitgeri Episcopi Fruxinensis fratris, prefecturas haud potuissent vsurpare nobilium, ad Vngaros defecère, merito proditionis sperantes, quod obscura negabat natiuitas. Abam itaque XLVIII.
hortantur, vt pactorum simulata obseruantia,

tia,

Sal. An. 1044. tia, Henricum pacis fiducia cum paucis aduenientem circumueniat: occidat: Boiariam inuadat, ipsos Reginoburgiū tradituros. Sin ille veniat, nihilominus arma inferat, opes suas, vitam offerunt. Acceptis literis Aba, ipsos collaudat, præmijs onerat, alteri Ducatum, alteri Præfecturam Boiorum promittit, si sequantur incœpta. Interim domestica seditio omnia turbat. Nam Vngarorum primates, alij Abæ inuidentes imperio, alij Petri miserentes exilium; alij ægrè patientes, ciuium iactura Abam in Cæsarem peierare, mussitabant in aula. Aba verò homo ferox & agrestis, querentes non audit, nobiles spernit, suspectos obtruncat, inter agricolas aulica distribuit officia. In Abam itaque conspirant primates. Sed à conscio coniuratione detecta, Lorico coniurationis princeps cum socijs fugam capessit ad Cæsarem, vno amisso filio, quem Aba immissis percussoribus obtruncauit. Aditum itaq; Henricum Imper. Abæ perfidiam, tyrannidem exponunt. Inde rogant vt Petrus solio restituatur, Aba meritas soluat pœnas. Cæsar verò vt Abam sua vinceret arte, ciuium dissimulato clamore, in Boiariam paucis duntaxat Boijs, & Bohemis pergit comitatus, quasi limitem Boiariæ Austriacum lustraturus; Aba pariter vt vafer erat, *Ludnichonem* ducem suum, cum Hannone à secretis, alijsque primoribus, cum auri maximo pondere, vires & animum Cæsaris exploratum legat. Inopiā excusat, quia integra pecuniæ *summa superiori anno haud potuisset emungi. Inde Loriconem & transfugas iure gentium repetit: eosdem mendaces, prædones, turbarum auctores, accusat, primosq; qui Petrum expulerint, Vngaros aduersùs Cæsarem concitarint. Postulat tandem se in colloquium admitti.* Cæsar acceptis muneribus dolum dolo rependit, legatos benignè appellat, verbis pacem nunciat, interim bellum parat asperrimum. Aba rursus spetie legationis speculatores legat, pacem orat, diem indici petit colloquio, vt pacta opere compleat. Annuit Cæsar, sed officij spetie Vngarorū legatos retinet: quasi venandi gratia Hunnoburgium se confert; Ibi septem dies moratus, cum Aba, nec legati apparerent, Cæsar Pezelinum, quem obsidem tenebat, cum Hannone Abæ scriba remittit, & triduò cum responsis redire iubet. Illi vbi ad Abā peruenere, paucitatem Cæsarianorum referunt; facile perpaucis interfectis, Cæsarē interfici posse, docent. Idem literis Bernulphus & Machthumus aulæ forices aperiunt. Aba itaque quàm maximis collectis copijs officij specie in Cæsarē pergit. Cæsar verò, quem fraus minimè Vngarorum latebat, cum Boiorum, & Bohemorum acie in Meridionalem Vngariam procedit. Vnius diei itinere distabant exercitus. Quum Aba contra ac ratus erat, non imparatum Cæsarem offendens, fretus suorum multitudine, posse paucos Cæsarianos obruere, missis nuncijs, statuit die tertio, designato campo, cum Cæsare aperto Marte confligere. Pugnæ locum, ordinem, castra, diem ab vno Auentino, qui diligenti penicillo cuncta descripsit, depromere placuit. *Cæsar* (inquit) *instructos ordines ad locum pugnæ destinatum deducit, sed neminem hostium vsquam offendit. Accerssitis, consultisque locorum gnaris, vlteriora Pannoniæ inuadere statuit. Oedenburgio (Sempronium litterati vocant) iter facit: cumque ad Rabanissam flumen peruenißet, ab interiore Vngaria, locis palustribus, per quos amnis defluit, arcetur. Cæterum Vgris profugis deducentibus, tota nocte, recta via, Meridiem versus ascendit, donec vadum, pontemque inuenit, moxque præsidio, quod ibi Ouo locarat pulso, paludes simul, ac flumen impunè transit: nemine resistente ad Arrabonem aliud flumen, oppidum eiusdem cognominis, quod Scaurinum Romani vocarunt, peruenit. Iamque qui in principijs erant, amnem superant, altera ripa potiebantur. Quæ sibi subitò latissimam planiciem (vbi quondam deserta Boiorum fuere) armatis, quasi sylua succreuisset, oppletam, consertamque cernunt. Nihilò segnius cæteri amnem superant, socijs se coniungunt, absq; cunctatione aciem instruunt. Cæsar posteaquam videt acerrimorum hostium multitudine se clausum, à tergo flumen obstare, neque fugæ vllam spem esse, confisus causa, & arte militari, suos spem in Deum optimum maximum duntaxat collocare, Christumque adprecatus, signo dato, cohortes paulatim incedere iubet. Idem facit hostium exercitus: iam eò ventum erat, vt à ferentarijs præliū committi posset: & non longiùs hostes aberant quàm quò telum adijci posset. Cum repentè,* XLIX.

Cæsar occultè mouet in Abam.

Sal. An. 1044. siuè illud diuinum munus, siue casus fuit, obductæ cælo nubes, condidere solem. Mox ventus excitato puluere, ora, oculos hostium opplet. Deinceps turbo, quo nihil vehementius cum ingenti fragore erumpit, primos quosque Vgrorum prosternens, contactos amburens, pariter & consternens: largum quoque post hàc imbrem procellæ excudunt. Ingens aduersùs æstum, pulueremque præcipue fugientes persequentibus auxilium. Nam ea loca plana, omninò sicca, adusta, proindè puluerulenta sunt: quibus etiam nostro æuo illàc iter est; aduersus vim pulueris specillis ocularijs, thecisque vitreis vti solent. Cæsar cælesti beneficio (ita nostri quos intactos ea tempestas præteribat, interpretabantur) animatus, Vgros diuina ira attonitos, metu perculsos inuadit, cædit, sternit, terga vertere cogit. Ouo postquam suos partim fusos, partim fugam capeßere, seque cum paucis relictum videt, & ipse fortunæ cedit. Nostri fugientes more pecudum inultos trucidant, triginta millia passuum insequuntur: sacrificuli, Episcopi capti, hasta regia aurea reperta. Hanno scriba interceptus est, in cuius crumenula à Zona serica pendente epistola Bernulphi, & Mardthuni inuenta, & à plerisque lecta Cæsari tandem offertur. Quam cùm ipse legisset, Bernulphum, & Marchthunum, fidei, quam violarent, meritas pœnas soluere, crucifigique imperat. Deindè castra fecit, receptuique canit. Boij, atque Boiemi, vbi satiati cæde sunt, ad castra reuertuntur: eodemque in loco Cæsar laneis duntaxat indutus, item cæteri milites, equitesque corpora in solum proijciunt, signum cæleste adorant, Christo domino, Deoque nostro grates agunt, honorem habent. Et quoniam tàm læta, atque incruenta victoria contigit (quippe centum duntaxat ac octo desiderauit) obliuionem omnium rerum, more Christiano, decernit. Quidquid hactenus aduersus se à quocunque peccatum sit, abolendum censet: omnibus inimicis, qui pœnas meruere ignoscit. Ingens hæc victoria fuit, Anno Sal. M, XLIII. quarto Nonas Iulij, Isque dies in fastos relatus, adhuc festus est., quem vulgus superstitiosum inter atros computat. Sed conferto prælio, tum verò cerneres homines, equos, sagittas, arcus, hastas, enses, vestes, iacula, tela, cætera instrumenta militiæ humi paßim strata iacere. Cæsar ob fœtorem cadauerum triduo diuerso itinere exercitum victorem circumduxit, Albamq; regiam Vngariæ caput sedemq; regni (quamobrem Teutones Stuelweißenburg. vocant) cum victricibus signis intrat. Certatim Episcopi, Proceres, Ciues, populusque Vgrorum ad Cæsarem coeunt, ob tam insignem victoriam gratulantur: Cæsaremque in templum Deiparæ Virginis deducunt, in regio solio collocant, regem consalutant; in verba eius iurant. Cæsar Vgros Boiorum iure donat, conuocatoque consilio, Petrum cum popularibus in gratiam redigit, proceres illi Sacramentum dicere, eundem precario regnare iubet, Boiorum, Boiemorumque copias eidem præsidij causa permittit. Hisce peractis in Occidentalem Boiariam reuertitur. Reginoburgijque supplicatione decretà, per omnia vrbis templa, (quæ complura sunt) sacrificia Deo facit, sacerdotes, Monachi, Virgines, populus, frequentes salutatum superos iuère. At Ouo, cum abiisse Cæsarem certior factus est, vires reparat, eos qui fuga sibi consuluerant, & adhuc palantes vagabantur, colligit. Contra Petrus cum Boiemis, atque Boijs Ouonem persecuturus, prius ad eum cum mãdatis amicos legat, veniam dat, gratiamque facit, obtestatur per Christum eiusq; religionē, vt resipiscat, secum in concordiam, in gratiam redeat, se ducatum, quem superioribus annis tenuerit, concedere, modo regis nomen inane abdicet. Omnia largiturum, quæ petiuerit, præter diadema, & sceptrum regni insignia promittit. Ouo, siue auidus Imperij, siue quòd se Petro committere non audebat, aleam belli se denuo tentaturum respondit, apertoque Marte dimicaturum: Numen Cæli haud dubiè, pugnæ euentu quinam verus rex sit, declaraturum. Porrò socij Ouonis rursus cum Boiemis, atque Boijs victoribus, cum quibus ante malè pugnassent, confligere recusant, fortunaq; superioris prælij deterriti, superos vltra lacessere detrectant. Ab Ouone igitur, qui æquissimas conditiones abnuebat, ad Petrum deficiunt. Ille à suis desertus, in vicum quendam fugam capeßit. Verum villa de Cælo tacta, vix euasit, fugamq; trans Tibiscum tendit. Dum in quoddam templum confugit, incolæ qui ab eo captiui illuc translati fuerant, eundem capiunt, in vincula conijciunt, vinctum cathenis ad Petrum deducunt. Ipse dicto die, cõmuni sententia Vgrorũ, & Boiorũ cõdemnatus, suppliciũ capite luit. *Aba laqueo tollitur.*

GODE-

Sal. An. 1044.

GODEFRIDI TVMVLTVS. An. 1044.

HIsce fatigabatur Vngaria, dum in Burgundia Comes Ludouicus, Reginoldum principem, reginæ Agnetis auunculum, sed Henrico inimicum Regi, castrum Burgundionum *Monspiligardæ* dictum, obsidentem, cum paucis prælio superat, plerisq; hostium occisis, cæteros fugat, obsidionem soluit. Accurrit & Cæsar, fines adens Burgundiæ, Soloduri Reginaldo, & Geroldo Burgundionum primatibus reconciliatur. Vbi hæc Godefridus accepit, rursus precibus, nuncijs, muneribus Cæsarem fatigat: vtrumq; possessurus ducatum; Cæsar verò tantum scelus abhorruit, nolens iniusta exhæredatione fratris, alterius saturare libidinem. Godefridus bis exclusus, cum Rege Caroliorum, quos Occidentales Francos dicunt, fœdus init. Ciues per triennium in verbo suo contra quoscumq; iurare adigit. Hoc cum Cæsari nunciaretur, conuentum principum cogit, Godefridum eccersit, coram cœtu molimina pandit. Negantem, & dissimulantem, testibus redarguit; vnde à Senatu Godefridus inferiori abdicatur Lotharingiâ, filium obsidem dare cogitur, ipse libera retinetur custodia. Sic dum vtriq; inhiat principatui, ab vtroq; excidit. Breui tamen tempore, Cæsaris prouolutus pedibus, veniam consequitur, non filij libertatem, qui paucis post diebus ex hac vita migrauit. Godefridus tunc liberis orbus, iure fortunam nouo prouocās certamine, inferioris Germaniæ præsides ciues, sacerdotes, agricolas deficere suadet, resistentes, lacessit, opprimit. Cæsar verò hyeme ingrauescente Augustam Nemetum ad hybernandum petit. Ianuario postea (Sal. An. 1045.) inferiorem Germaniam, Brabantiam, & finitima loca cum exercitu intrat; *Beggalemum* castellum Godefridi, munimenta expugnat, solo æquat, regione pellit: Coactus tandem annonæ penuriâ, ibi valido relicto præsidio, in superiorē reuertitur Germaniā, ita *Contractus Herm. & Auct.*

L. LI.

HENRICVS IMP. MAGNA POMPA A PETRO Vngarorum Rege suscipitur. An. 1045

LII. FRaxini in Boiaria commorantem Imperatorem Legati adeunt Petri Vngarorum Regis, referentes actum *iri de Vngarico regno, ni presto perduelles Principi & Deo comprimat*. Hisce solicitus Cæsar Bambergam, inde Goslariam procedit, vbi Paschali hebdomada Otto Palatinus Comes,
LIII. Imperatoris Ottonis III. ex sorore nepos, Dux Alemanniæ constituitur. Ebbo Neoburgensis fit Pontifex. Balduini filio præfectura contermina, pro qua Gotefridus certabat, in tutelam committitur. Boiariam postea pergit, Reginoburgij naues intrat, Bathauiam deuectus, Christi celebrat triūphum. Post, secunda Danubij aqua, Orientalem petit Boiariam. *Est oppidum Austriæ*
Annal. (scribit Auentinus) *Greinon vocant, iuxta,*
5. p. 417. *supra id præruptæ rupes surgunt, saxeæ moles cubant ac prominent, per quas Danubius vasto impetu, ingenti fremitu qui procul auditur spumabundus fertur: crebri fluctus hinc proram, hinc latera pulsant: modo cunarum, nunc huc, nunc illuc nauigia succutiunt, vectoresq; humido imbre aspergunt. Teutones hunc locum infamem perniciosumque nauigantibus à strepitu aquarum* Strudelon *nuncupant, tum pœnostonos, à patiendo dicebatur. Nam si in illas nauis impegerit cautes, illiditur. Vbi hanc perniciem euaseris, aliud continuò malum periculosius cohærens illi, te excipit. In rapidissimos vertices, quibus intorta, nauis obliqua, & gubernaculi impatiens agitur, incidis. Verticosum barathrum aquam contorquet, hiatu maximo haurit atque absorbet, nisi remis pro viribus incumbatur, naues attrahit, atque subuertit: sed pertinacibus remigibus euerberatum veluti nauigium, classicis eripientibus cedit. Ergo nautæ ingenti certamine concitant remos, quantaque vis humana esse potest, fluctus qui in se vehuntur, euerberant, vndas findunt, gurgitibus nauem eripiunt. Circum circa habitāt remiges horū locorum ab ineunte ætate periti, hi nauigantes conducunt, his gubernatoribus hæc pericula incolumes euadunt. Cæsarem tùm illac nauigantem Bruno Vvirtzburgensis* LIV.
Episcopus cognatus eius alia naue comitabatur, dūq; saxo cuidam eminentiori allabitur, LV.
atra Æthiopis imago, satis nimis apertè, ferale (vt exitus probauit) signum, ibidem constitit, Brunonem appellat, Heus, heus Episcope, malus sum (inquit) genius, meus

Sal. An. 1053. *es, & quouis gentium proficiscare, meus eris, nil quidem in præsentiarum agere aduersus te habeo, breui tamen iterum me videbis. Cunctis abominantibus pestilens spiritus ab Episcopo signo immortali appetitus, adiuratusque carminibus sacris, sub oculis omnium euanuit. Atque hoc saxum adhuc monstrari solet, cui imposita turris lapidea, absque tignis, & tecto cognomen ita sortita, adhuc retinet. Vnde haud procul (decem opinor millia passuum) Cæsar & comites eius in viso Bosenburg (vbi & nos sæpè diuertimus) appellant: Ibidem Cæsarem Richlita vidua (cuius maritus Adalbero ab Ebersperg, primæ Boiariæ castelli, nunc templum est, dynasta, superiore quadragesima decesserat) magnificè hospitio, & conuiuio excipit, oratque vt Bosenburg, & prædia, quæ hisce locis maritus precariò possederit, Vuelphoni tertio nepoti suo ex fratre tradat. Cæsar cœnaculum conscendit, dum coram Brunone Episcopo, & Alemanno præside Eberspergensi, atq; Richlita*
LVI. *extendens dextram, postulatis annuit, repentè contignatio collabitur. Henricus in alueum Solijbalnearij absque pauperie cecidit: Bruno, Alemannus, Richlita margine, tabellisque lignei labri grauiter allisi, paucis post diebus hoc casu extinguitur.*

Richlitæ casus. LVII. Origo Histor. Agilolfingica. c. 384. Porrò nè historiæ iactura, antiquitatem percurramus, vndè venerit ista *Richlita*, perpende. *Rudolphi* (scribit Bucelinus) *& Ithæ Oeningensis filia, soror germana Guelphonis II. & Henrici Bauariæ Ducis*. Hæc gentili Agilolfingicæ gentis principi nupta fuit Adalberoni Comiti de Sempt. & Ebersperg apud Monacos S. Benedicti meritissimo, *qui præcipuus fundator Monasterij Eberspergensis extitit. Hic Cum liberis careret, arcem suam Ebersperg patribus cessit Benedictinis, euocataq; duodecim Monachorum ex Archistereio Tegernseensi colonia, vnà cum Abbate loci primo Elingero, approbante Henrico III. Imper. auitum castrum ijsdem cessit, & amplissimas possessiones liberrima donatione S. Benedicto deuouit, ac ipsius alumnis tradidit, aliaq; inter Pessenhusanam ditionem & in Austria inferiore Posenpoigensem & Ipsensensem ijsdem dono dedit. Restituit idem à fundamentis Monast. Benedicto Buranum ab Vngaris exustum; Vita excessit religiosiss. princeps An 1045. 27. Martij, in eodem monasterio sepultus, cui non diu Richildis superfuit, vlciscente, vt videtur, Numine mulieris inconstantiam, quod non aliter amantissimi, pientissimique mariti vltimam voluntatem attenderet. Placuerant summopere viduæ Principi dominia illa inferioris Austriæ à marito Monachis Testamento relicta, ita vt magis Principi congruere, quàm viris religiosis longo inprimis terrarum tractu ab his seiuncta viderentur. Proin occasione vsa cum non multò post mariti obitum Henricus. III. Aug. iter, seu expeditionem in Vngariam suscepisset, ipsa cognatum Cæsarem in arcem Posenpoijg solemniter inuitauit, & splendidè habitum, muliebri eloquentia ita denique persuasit, vt omnino dictiones illas Vuelphoni Richildis ex fratre nepoti tradere annueret. Proin cum idipsum præstare in præsentia Brunonis Herbipolensis Episcopi, & ipsius, cuius intererat, Eberspergensis Abbatis Alemanni, vellet, & iam Guelphoni Duci in signum collati iuris virgam auream porrecturus esset, triclinium siue Sala, vt vocant, illa repentè collabitur, absque noxa quidem ipsius Henrici Cæsaris, & Guelphonis Ducis, Richilde tamen Principe, nec non Brunone Episcopo, atque Altmanno Abbate: eo casu ita collisis, vt non diù deinceps superessent; Richilde eodem anno extincta 12. Iunij, & iuxta maritum in Eberspergensi cœnobio tumulata. Ita Ibissæ & Porsenboigæ aliaq; dominia penes Monasterium Eberspergense manserunt, donec An. Christi 1180. à Conrado Abbate, siue ob incommoditatem tam prolixi itineris, siue alijs ex causis ducibus Austriæ permutatione facta traderentur.* Periculi causam Auentinus an dolosè subticuerit, iudicet lector. Placet fragmentum veteris genealogiæ Comitum de Sempt. & Ebersperg, ex *Auentino* transcribere. pag. 418.

Sighar-

Sal. An. 1040. Sighardus, Comes de Serpte atque Ebersperg, ex familia Agilolfingica oriundus, quem Arnulphus Imper. Sanguine, & cognatione proximum appellat An. 888. Occubuit bello Vngarico sub Ludouico Arnulphi filio An. 907. Condidit arcem Ebersperg. Contra Vngarorum incursiones cum vxore Gott'na Fruxini humatus est.

Ratholdus ab Ebersperg Sempt Comes, ab Arnulpho cognato Bauariæ Duce, Marchio & Capitaneus Carinthiæ creatus. Vita excessit. Sal. An. 939. Vxor Angilmunda. Sepulti sunt Salisburgij in æde D. Amandi.

Eberardus bello Vngarico interfuit Sal. An. 955. cælebs obiit 971.	Adalbero bello Vngarico interfuit Sal. An 955. obiit 972. post multa beneficia ab Ottone M. recepta vxor Luitgarda....	Vvilbyrga condidit templum S. Sebastiani in Ebersperg.

Adalbero Iun. vxor Alberadis claruit. 990.	Vdalscalkus cum fratre Adalberone kueback Virginum fundat.	Vlricum: qui adest Othoni II. contra rebelles 980. obiit. 1019. Vxor Richarda filia Marquardi March. Carinthiæ	S. Hadmuth vxor secunda Marquardi prædicti Carinthiæ Ducis.

Adalbero familiæ vltimus obiit 1045. Fundator Monasterii Ebersperg Vxor Richildes Guelphica Dux Bauar.	Eberhardus Vxor Adheleides è Ducibus Saxoniæ fundant monasterium Geisenfeldense.	Vvilpirga & tres aliæ filiæ.

Post hæc Cæsar (ait *Herman. Cont.*) in
LVIII. Vngariam nauigat, Albamque Regiam petit. Vbi Quinquagenalibus excipitur. Ipso die festo Petrus, aduocata concione, Vngariæ regnum cum hasta aurata reddit, fasces regni ad pedes Cæsaris deponit cum maximo auri pondere. Regio inde luxu conuiuium initur. Cæsar verò ob inimicorum perfidiam epulatur armatus: septem ibi dies commoratur. Abiturus, cunctos accersiri iubet, quos ducebat idoneos, eorum habet consilium. Ita more maiorum ex concilij decreto Petro regnum committit. Vngaros Sacramenta renouare iubet, eos non alium,
LIX. præter Petrum, & filium eius recepturos. Quorum post fata, in Cæsarum foret potestate. Porrò inde remeans, secum reliquias Gisalæ reginæ vxoris D. Stephani tulit, & Bathauiæ in templo sacrarum virginum adorandas exposuit. Mortuo tum Berengero, qui & *Penno* dicitur, Episcopo, Engelbertum vxoris suæ sacellanum Bathauis
LX. designat Episcopum. Inde Francofordiam se confert, vbi grauissima ægritudine decubuit, adeo vt desperata eius salute, Henricus Hetzilini filius ab Ottone Sueuorum duce, patrueli suo; & Henrico Boiorum Regulo, Imperator designaretur futurus. Spem
LXI. tamen elusit Cæsaris valetudo: *quo etiam tempore Agnes Regina filiam Regi peperit*, vt scribit *Herman. Cont.* & Gotefridus spe destitutus, ad deditionem veniens, custodiæ traditus fuerat. Planè itaque confirmatus Cæsar, natalem domini Goslariæ celebrat.
LXII. (*Sal. An.* 1046.) dum Egehardus Marchio subitò moriens Regem scribit hæredem. Paschali postea celebrato festo apud Traiectum Frisiæ vrbem, subsequutis diebus nauali expeditione in *Pladirtingam*, fretum traijciens, pagum quendam, quem sibi Marchio Theodoricus vsurpauerat, eripit: Vnde idem Marchio causam rebellionis sumpsit. Quinquagenalia postea Aquisgrani faciens, ibi Gotefrido è custodia dimisso, & in terram sibi corpus abijcienti, non solùm ignoscit, sed Lotharingiam, quam viuo patre obtinuerat, misertus reddidit. Mosellanum ducatum Gozziloni fratri Gotefridi ob ignauiam ademptum, Friderico Hērici, Boiorum ducis germano, committit. *Gotefridus Lotharingia donatur.*
Hisce diebus Vvigderum, qui Rauennæ Episcopatum iam biennio ineptè & crudeliter nondum consecratus tenebat, ad se vocatum pontificatu priuauit. Tanta poterat Rex hominum, vt quasi Phœbi diceretur sacerdos. Conuentu peracto, Mersburgium vltima die Iunij petit: ibi apparent cum tributo, & muneribus Vratislaus Bohemiæ, Pomeranorum Zemitzlo, Cathonarus Polonorum regulus, Inde Kalendas Iulij vrbem pergit Moesiam. Vbi peracto conuentu, Septembri Augustam Rhetiæ adit. LXIII. *Episcopū deponit* LXIV.

Romanorum, atque Hungarorum Tumulus. An. 1046. LV.

IN pristinam Hungari relapsi perfidiam, Petro Rege exoculato, & cum sua coniuge deportato, Andream quendam hac lege sibi in Regem delegerant, vt nouū Crucifixi cultum exploderet, veterem & auitam religionem restituat. Andreas imperij auidus, omnia iurat. Fit Senatus Consultum, LXVI. *Andreas Rex Hūgarorū. tres Antipapæ.*

Sal. An. 1046. sultum, Christus exibilatur. Dij gentium reuocantur. Templa incenduntur, sacerdotes, monachi, episcopi, tribus exceptis, inter quos D. Gerardus, qui Christi fidem
LXVII. abiurare recusant, trucidantur. Vnus quoq; principum *Zaunico* nomine purpurā martyrio decorauit. Eodem tempore certior factus Henricus. Italos, tricipiti bestia sedē Petri dilaniante, diuexari; indoluit vtrumq;
LXVIII. Henricus; sed de Ecclesia Dei magis solicitus, Hungarorum iniuria dissimulata, copias in Bauaria cogit, Tigurinis EgbertumHerueldensem inuitis magistrum imponit: He-
LXIX. randum virum eruditum, quem ingratis Monachis præfecerat præsulem, s cum ducens; in Italia descensurus armatus, iubet copias Italorum conueuire Roncalijs. Conuenerant quidem iusto numero, sed cum triduò, vltra præscriptum tempus, expectassent, conniuente Vuelfone, velut Sacramento solutæ, discesserunt à signis, ad quæ non potuerunt, neq; minis, neq; promissis reduci. Insuper ausus Vuelfo, Regium fiscum *Repetundarum* appellare, gnarus sub iusto principe causam vt plurimum stare contra Fiscum, cum sub iniusto soleat esse
LXX. prò Fisco, mille auri marcas reposcebat, quas exactores extorserant, & in damnum populi Veronensis, Cæsaris ærario intulerant. Henricus causa cognita, aurum iussit extemplò reddi. Vel si anonymo Vueingartensi fides est, *Cum Imperator Veronensibus ciuibus exactionem inferens, mille marcas ab eis extorsisset, ipse ex improuiso superueniens, tanta eum, suosq; seueritate* (Veronensibus præerat Marchionis titulo) *& contumelia afflixit, vt vix Imperator, pecunia ex integro reddita, securitatem exeundi obtineret.* Ea Vuelfonis confidentia non odium, sed gratiam Cæsaris conciliauit; nam anno sequenti Carantanis eum Cæsar ducem dedit. Inde Ticini celebrata synodo, Placentiam veniens Gratianum, quem expulsis prioribus, Romani, Papam statuerant, nomine Gregorij Sexti, ad se venientem honorificè suscepit: sicque cunctis prosperè *cedentibus, iuxta natalem Domini non longè ab vrbe Roma apud Sutrium, synodo item acta, causa erroneorum Pontificum diligentius ventilata, Gratianum Papam conuictum, baculo pastorali priuauit.* Pseudopontifices qui essent, licet sacris in annalibus perquire-

Vvelfo Fiscum repetundarū accusat.

Gratianus vt Papa honoratur ab Hērico.

Vel pacis voto ritè electus lubēs renūciauit.

re disponam, non omittam ab alijs enarrata breuiter recensere. *Tribus ibi inuasoribus* l.6.c.32. (scribit Otto Frising.) *quorum vnus Benedictus dicebatur, sedem illam simul occupantibus, atq; ad maioris miseriæ cumulum, diuisis simul cum redditibus, patriarchis, vno ad sanctum Petrum, altero ad Sanctam* LXXI. *Mariam Maiorem, tertio idest Benedicto in Palatio Lateranensi sedente, flagitiosam, & turpem vitam, vt egomet in vrbe Romanis tradentibus audiui, duxere. Hunc miserrimum statum ecclesiæ, religiosus quidam presbyter Gratianus nomine videns, zeloq; pietatis matri suæ compatiendo, animaduertens præfatos viros adijt, eisq; à se de sancta cedere pecunia persuasit, Benedicto redditibus Angliæ, quia maioris videbatur auctoritatis esse, relictis. Ob ea ciues præfatum presbyterū tanquam Ecclesiæ Dei liberatorem, in summum Pontificem elegerunt, eumque mutato nomine Gregorium Sextum vocauerunt. Quod audiens Rex, procinctum mouet in Italiam. Porrò Gratianus Regi apud Sutrium occurrens, ad leniendum ipsius animum, diadema pretiosum obtulisse dicitur. Quem Rex primò vt decuit, honorificè suscepit, postmodùm autem collecto Episcoporum conuentu, à pontificatu pro nota simoniæ cedere persuasit, eiq; Suidegerum Babenbergensem Episcopum, qui & Clemens, consensu Romanæ Ecclesiæ substituit. Hunc Gratianum Alpes transcendentem, secutum fuisse tradunt Hildebrandū, qui postmodum Summus Pontifex factus; ob* LXXII. *eius amorem, quia de catalogo Pontificum semotus fuerat, se Gregorium VII. vocari voluit: & sicut in Lucano habes*

Victrix causa dijs placuit, sed victa Catoni

Ita & huic Hildebrando, qui semper in Ecclesiastico rigore constantissimus fuit, causa ista, in qua sententia principis & Episcoporum præualuit, semper displicuit. Ex hinc Romana Ecclesia in electione canonica Pontificum, intantum infirmata inuenitur, quòd iste, quatuorq; sequentes ab Imperatore ibi positi in catalogo inueniantur. Qualiter autem industria & opera præfati Hildebrandi sub Leone iuniore libertatem suam ex parte, sub Alexandro verò planè rehabuerit, sicut probatorum virorum relatu cognouimus, infra dicemus.

Benedictus.

Gregor. VI.

HEN-

An.Sal. 1047. *HENRICVS ROMÆ A CLEMENTE IMPERATOR Coronatur Sal.An.* 1047.

CIrca vigilias Natalis Domini Vrbem ingressus Henricus, *in ipsa natalis*
LXXIII. *Domini die, præfatus* (vt scribit Herman. Cont.) *Suidegerus, natione Saxo, Apostolicæ sedi* c. 21. *Papa ex more consecratus, & nomine auctus, Clemens II. vocatus est. Qui mox ipsa die Henricum Regem & coniugem eius Agnetem, imperiali benedictione sublimauit, peractisq; missarum solemnijs, ipse Dominus Papa, & Imperator cum Imperatrice, ita vt erat coronatus, ad Lateranense palatium, cum ingenti gloria proficiscuntur, cunctis ciuibus Romanis mirantibus, hono-*
LXXIV. *remq; singulis quibusq; pro facultate obiter impendentibus. His de rebus Romani, veteres* (ait *Sigonius*) Henrico honores instaurarunt, decreto facto, vt Patricius Romanus esset, *atque vt prò suo iudicio Romanam Ecclesiam ordinaret, neque posthac, sine ipsius auctoritate Rom. Pontifex crearetur. Quæ qui his temporibus, aut æquales, aut vicini fuerunt, Petrus Damiani, & Leo Marsicanus, vterq; Ostiensis Episcopus, memoriæ prodiderunt* licet in Chronico Leonis Ostiensis, Neapoli Sal. An. 1616. ex typographia Tarquinij Longhi, truncum legatur sine hac facultate legendi Summum Pontificem.

electio Papæ datur Cæsari.

In patriam postea remissis copijs *nonnullos constituit præsules* (ait Herman. Cont.) *inter*
LXXV. *quos Rauennati Ecclesiæ Hunfridum cancellarium suum in Italia, Constantiensi Theodoricum, per alias prouincias Cancellarium suum, & archicapellanum, & Aquisgrani præpositum, Argentinæ Herrandum, Spiræ præpositum, pro Vuillihelmo autumnali tempore defuncto, Viridunensi Theodericum, Basileæ præpositum & capellanum suum, Pontifices præfecit.*

Episcopos eligit.

Imperator verò Roma egressus, nonnulla
LXXVI. *castella sibi rebellantia cepit, prouincias illas, prout videbatur, disposuit, Duces Normannis, qui in illis partibus commorantur, & alijs eo loco vrbibus, constituit. Sed socru Imperatoris de monte Gargano Beneuentum reuersa, orto tumultu, Beneuentani ciues quibusdam eam iniurijs afficiunt. Vnde sæuam ab Imperatore vindictam metuentes, eiq; se subdere non præsumentes, rebellionem ineunt. Imperator verò, cum iam remisisset exercitum, per Pontificem, quem secum habebat, piorum societate semouit, expugnatione dilatata.* Nuncio porrò accepto de filiæ natiuitate, quam in Rauennati territorio Agnes Imperatrix pepererat, cepto redeundi itinere, Mantuæ paschale festum, agens cum ægrotasset, Cadaloo Parmensi Episcopo *fodrum* (ait Sigonius) & *mansionaticum*
LXXVII. *diplomate dato remisit, atq; ab eo corpus Vidonis, Pomposiæ Abbatis, maioribus in dies miraculis splendens accepit.* Spiram transferendum. *VIII. Idus Maij Salerni cum esset, canonicis Ecclesiæ Veronensis indulsit anno, vt scribit, ordinationis suæ octauo decimo, Imperij verò primo. Post mensem indè Maium solemni conuentu in Roncalijs habito, Mediolanum progressus Episcopum Papiensibus dedit, eumq; Italia abiens Archiepiscopo commendauit. Quæ res nouum subitò belli concitauit incendium. Nam cum Papienses Episcopum accipere abnuissent, Mediolanenses antistitem Ducem sequuti, vltrò arma Papiensibus intulerunt. Neque verò Papienses detrectauere certamen: verùm virtuti impar fortuna non fuit. Siquidem collatis signis, tanta strage à Mediolanensibus cæsi sunt, vt quidam scribant, campum, in quo pugnatum est, ab ea re apud Posteros* Campum mortuorum *esse appellatum. Mediolanenses inde vrbem adorti, eos ad recipiendum Episcopum adegerunt, & conuersis apud Parasium armis, cuius ciues Papiensibus auxilium tulerant, oppidum euerterunt.*

Beneuētani rebelles.

filia nascitur Henrico Herman. Cont.

LXXVIII.

LXXIX. *Pugna Medioł. cum Papiēsibus.*

Porrò ex Italia *Augustam Vindelicam* (teste Herman. Cont.) *in litanijs ante ascēsionem Domini veniens, Gebehardo vrbis eiusdem Episcopo in aduentu eius defuncto, Henricum Capellanum suum successorem constituit.* LXXX

Actoque inibi eodem festo, Pentecostes solemnia Spiræ celebrauit, ibique colloquium cum regni principibus habuit, & corpus præfati Abbatis, in incœpta quadam extra vrbem basilica tumulari fecit. Quo tempore Vvelfum Comitem Sueuigenam Vvelfi dudum Comitis filium, Carentani Ducem promouit. Auunculum quoque eius Adalberonem, Ducem videlicet, Henrici, & Friderici fratrem, Metensis Ecclesiæ Episcopum, post Theodoricum nuper defunctum constituit. Item Poppone Archiepiscopo his diebus

Vvelfus DuxCarinthiæ. LXXXI.

Sal. An. 1047. *diebus defuncto, Treuirensi urbi Eberhardū, | Vvormatiæ præpositum, Archipræsulem fecit.*

THEODORICVS. IV.
GVELPHO. III.

Per idem, cum expeditionem in Pannonias, ad Petrum ulciscendum disponeret,

LX. XXII

ANDREAS. I.
REX. HVN:

Gote-

Sal. An. 1048. *Gotefridus Dux, cum Balduino de Flan-*
dria & alijs nonnullis rebellionem innouasse,
LXXXIII. *bellumque copijs collectis parauisse, Theode*
Theode-ricus de Phladirtinga. *ricus quoque de Phladistinga marchio rebel-*
lauisse, & Episcopatus sibi contiguos ad
iniuriam Imperatoris populatus esse nunciatur.
Petri Hũgarorũ Regis legatio. *Praeterea Andreas, qui regnum Petri obtinuit,*
iam crebro legatos supplices miserat, regnum
se ab Hungaris coactum accepisse confirmans,
LXXXIV *de Petri sese iniurijs excusans, quiq; aduersùs*
eum coniurauerant, partim à se trucidatos,
partim Imperatori tradendos, denuncians,
suamq; Imperatori subiectionem, annuum
censum, & deuotam seruitutem, si regnum
se habere permitteret, mandans. Quibus ex
causis dilata expeditione illa, cum Godefri-
dus quoque Dux rebellionem suam callidis le-
LXXXV *gationibus dissimularet, autumnali tempore,*
nauali exercitu collecto, contra Theodoricum
in Phladirtingam arma commouit.

Interea Otto Sueuorum Dux, qui prouin-
ciam sibi traditam piè ac strenuè tertio iam LXXXVI
anno regebat, immaturo obitu diem clausit
extremum.

In hac expeditione nil memorabile legi-
tur, imo mediocri clade accepta, reuertitur
Imperator (ait *Auentinus*. Perpetuis namq; *p. 421.*
paludibus prohibitus, hostes in sequi haud
poterat; qui praedatorijs Scaphis latrocinã-
tium more potiùs, quàm bellantium Caesa- *Otto Sueuus obit.*
rianos infestabant.

Moritur in hac expeditione Henricus *clades imperat.*
Boiorum Dux D. Cunegundis ex fratre ne-
pos, Boiorum princeps à Caesare designa-
tus An. 1043.

Ipso quoque tempore Godefridus inter alia, LXXXVII
quae contra Regem gessit, Viridunensem ciui-
tatem Chaborum *dolo captam, & euertit*; vt
& Neomagi Palatinas aedes incendit, teste
Auentino ex Sigeberto. LXXXVIII

CLEMENTIS II. ROM. PONT. MORS; & DAMASI II. Successio Sal. An. 1048.

LXXXIX SAl. An. 1047. vita functo Rom. Pontif. Clemente II. VII. Idus Octobris, factionis opibus ad Pontificatum reuersus Benedictus, illum tandiù tenuit, donec Im-



perator Polethae agens Natalem Domini, Popponem Sabonae Noricorum Episcopũ, virum sapientem, superiori vsus priuilegio, Pontificem Romanum declarat, *Damasum*

Sal. An. 1048. II. nuncupat. Romæ autem, cum perueniſſet, 16. Kal. Aug. honorificè acceptus; Præneſte, quò propter æſtiuum Romani Cæli
XC. feruorem, ſeceſſerat, Idibus ipſius Augu-ſti, in fata concedit. *Sigonius*. Interim Imperator Haruico cancellario ſuo Pontificatum Bambergenſem tradit, Eckberto Freldenſe cœnobium. Poſt Vvurtzburgium
XCI. inde Sueuiam, deinde Boiariam petit. Quadrageſima, & Paſchalibus Reginoburgij commoratur. Ottoni de Schuueinfurt præfecto, Sueuiæ ducatum in fidem, Vratislao Boiemorum regulo, pleriſq; alijs principibus præſentibus commendat. *Dein Sueuiæ fines percurrit, triumphum Chriſti apud Turicos refert. Quinquagenalibus Soloduri conuentum agit Burgundiæ. Poſtea per antiquam Franciam in Saxoniam pergit. In autumno redit, & in Mediomatricum agro cum Henrico Occidentalis Franciæ rege conuenit, more* XCII. *Colloquiū Henrici Galloriū Regis & Cæſaris.* *maiorum amicitiam renouat gentilitiam, iuriſiurandi religione ſancit*: ita *Auentinus*. Ipſis diebus Agnes Imperatrix filiam Imperatori peperit; teſte *Herman. Cont.* & Gotefridus Albertum (qui Moſellanorum ducatum Gotefrido negatum, acceperat, ſe inſequentem; XCIII. deinde dimiſſis copijs, cum paucis agentem, nec hoſtilia ſuſpicantem, circumuenit, fortiter dimicantem, occidit. XCIV. Ducatum eius Gerardus de Alſatia, alterum ducatum Fridericus obtinet. *Sigebertus*.

LEONIS PONTIF. MAX. SVCCESSIO. Sal. An. 1049.

EXtincto Damaſo, Romanis legatis rogantibus Brunonem Epiſcopum Tullenſem, natalibus in Alſatia clarum, oppido
XCV. Daboburgio, patre Hugone Hagenauenſi, in Rom. Pontif. deſignat Henricus: qui in quadrageſima Romæ ordinatus, pridie Nonas Februarij, Leonis IX. nomen accepit. Godefridum, Balduinum, Theodericum, hoſtes Reipublicæ iudicatos, quia Auguſto perduelles, deuouet. Imperator porrò Kal. Februar. Reginoburgium petit, & quia mortuus erat *Henricus Moſellanus* inter Bauaros VII. cui Bauariam commiſerat, *Conradum*, ſiue *Chunonem* inaugurauit.





Huius *Henrici*, & *Conradi* non vna eſt ſcriptoribus geneſis. Alij *Henricum VII. Moſellanum* eundem faciunt cum Henrico
Chuno Dux Bauariæ. XCVI. V. germano S. Cunegundis. Alij Henrico V. dant ſucceſſorem *Henricum Nigrum* Imperatorem, & dicunt VI. Eum verò, qui intermediat inter *Henricum Nigrum* & *Conradum* dicunt ſeptimum. Sic de Conrado *Colnerus* affirmat, Euardi Schirenſis, Boiorum Principis fuiſſe filium, cui refragatur *Gerroldus*. Interea *glaciali* ait Herm. Cont.) *hyeme ſuppeditanti, nonnulli de partibus maritimis milites & principes cum Leodienſi Epiſcopo, Traiectenſi & Metenſi, congregati Theodorico inſidias tendunt, cōmiſſaque pugna victum occidunt, & prouinciam illam imperatori ſubijciunt: quam tamen non multo poſt Gotefridus occupans, ab eiſdem*

pugna

Sal.An. 1049. *pugna petitus, & victus, vix aufugit.*

Alia verò legitur huius belli causa ex Florario Temporum M. S. apud *Scriuerium* in Comitibus Hollandiæ. Hic *Theodericus*
Sal.An. 1048. *Comes* (inquit) *anno Comitatus sui* IX. *vocatus in Leodio ad Hastiludium & Torneamentum per principes superiores, perrexit cum*
XCVII. *magna comitiua Baronum & militum. Contigit autem torneamento finito, quod altera die in Hastiludio, improuisè vulnerando, occideret fratrem Episcopi Coloniensis* (ex alio M. S. infimæ vetustatis, legitur fuisse frater Coloniensis, & Leodiensis; sed an Coloniensis, & Leodiensis Episcopi fratres fuerint, ignoratur; vt scribit *Buchelius* in notis. *Quo comperto, statim comes* (verba sunt in Florario temporum supracitato) *equo cursatili* (cursore) fugam *iniit, suis dispersis & occultatis hinc inde. Attamen consanguinei Domini Coloniensis* (& Leodiensis ob iniuriam illatam loco, nam Leodij celebrabatur torneamentum) *in vindictam occiderunt duos egregios milites* (vel vt legitur in alio Codice M.S. apud Scriuerium, duos Comitis fratres nothos) *prædicti Comitis. Rediens igitur Comes in Hollandiam, combussit omnes naues mercatorum territorij Coloniensis & Leodiensis, occisis & captis omnibus mercatoribus in prædictorum Militum vindictā. Qua propter Episcopi Coloniensis & Leodiensis congregantes infinitam militiam adiutorio Marchionis Egberti Brandeburgensis, venerunt in magno liuore ad Hollandiam: vbi statim traditorie per quosdam oppidanos Dordracenses in Dordracum intromissi sunt, volentes ex Dordraco depopulare totam Hollandiam. Quo comperto, Comes valde motus adunauit egregium exercitum, & cautè quadam nocte, adiutorio Domini Gerardi Domini de Putte, etiam in Dordracum venit: & statim ordinatis aciebus bellicis per plateas, plusquàm CCCC. nobiles incautos trucidauit, cum aliquibus satellitibus. Episcopi verò cum Marchione & residua electa militia, celeriter, & occultè ex vna portarum egressi, fugam inierunt: multis tamen de suis occultatis in diuersis domibus. Dum ergo idem Comes altera die cum paucis iret ambulatum ad mœnia ciuitatis, accidit, vt per strictam plateam iret, in qua plures suorum hostium æmulorum latuerant: vndè vnus illorum iaciens telum venenatum, vulnerauit Comitē in femore, de quo tertia die, scilicet Idus Maij occubuit. Et vbi vulneratus fuit, eadem platea vsque in præsentem diem dicitur.* Platea Comitis. Maij pleriq; scribunt, sed rectiùs *Idibus Ianuarij*, cum hiemali tempore Sal.An. 1049. bellum hoc accidisse narret *Herman. Cont.* Adstipulatur etiam Epitaphium

Per Capræ sidus Ianus dum voluerat Idus,
Cæsar erat fomes, quod cadit iste Comes.

Sequuta æstate (prosequitur Herman.) XCVIII. *cum Imperator expeditionem contra Gotefridum & Balduinum à Domino Papa excommunicatos pararet: Gotefridus tam contra vim Imperatoris, quàm Papæ excommunicationem, Aquisgranum venit, & opitulante Papa, gratiam Imperatoris promeruit. Balduinus verò vtrumque contemnens, vastatā ab exercitu magna parte, prouincia sua tandem obsides dedit, & pactum cum Imperatore fecit.* Pacatā itaque Germania inferiore, Mogontiacum cum Papa ad conuentus Iuridicos, & Pontificios agendos, se confert. Vbi coram Imperatore, & Germaniæ principibus synodum Pontifex celebrauit. Legitur hoc anno apud Sigonium indultum XCIX. *indultū cudendi monetā datum epis. Patauino.* ab Imperatore datum Patauino Episcopo, cudendi monetam, quod de regalibus dicitur. *Henricus diuina fauente clementia Rom. Imp. Aug. Norint omnes Christi, nostrique fideles, quemadmodum rogatu nostri thori, regnique consortis Agnetis Imperatricis Aug. ius monetæ signandæ in vrbe Patauina concedimus Beterardo Episcopo, & successoribus eius, secundum pondus monetæ Veronensis, ita vt in nummorum parte nomen, & imago nostra, in altera verò ipsius vrbis figura exprimatur. Dat. XVI. Kal. Maij. An. Dom. Incar. M. XLIX. Ind. II. Anno D. Henrici, III. Regis, Imper. II. ordinationis eius XX. Regni quidem X. Imperij autem tertio. Actum Goslariæ.*

Sal. An. 1049.

EXPEDITIO HENRICI III. IMP. IN VNGAROS. Sal. An. 1050.

LEo Pontifex cum hyeme per Bauariam Romam remeasset, regiones Italicas sub iugum Augusti suo fulmine misit. Cæsar verò cum Polethæ in Saxonia hybernasset, Paschalibus Traiecti celebratis, *Vngaricam* (ait Auentinus) *meditans expeditionē, Norimbergæ oppido gentilicio, concilium vniuersæ Boiariæ cogit. Episcopi Hartuicus* Bambergensis, Gebhardus Aichstatensis, Conradus Augustanus, Gebhardus Reginoburgensis, Adouinus Sabonensis, Nirgercis Fruxinensis aduolant. Item Conradus summus Boiorum *regulus, Duces, & tetrarchæ Boiariæ Vvelpho Charionum, Lycatiorum, & Athesinorum præses: Albertus Austriaci limitis præfectus, Otto Schirorum dymasta, præfectus prætorio Boiariæ. Fridericus Damasiæ Princeps, & pleriq; alij Boiorum proceres, præsto sunt: totius Boiariæ nationes apparent. Narisci, Chamabi, Boethi, Alemani Sudini, Ilisij, Bachuni, accolæ Hercyniæ syluæ, Boiemisque continui: capita aliorum nominasse sufficiat. Vindelicos, Noricos, Austriacos, Stirios, Charionas, Iuuanenses, Burghurios, Tyrolsios. Cum hisce omnibus de bello Vgris indicundo Imperator consultat. Decernunt rei militaris periti, vt Boij vrbem Hunnoburgium superioribus annis ab Augusto dirutam, in confinio Vngariæ, atque Boiariæ, communiter instaurent, ædes, mœnia reficiant, fossa, vallo muniant, Coloniam Boiorum eo deducant: ibique dum hæc fiunt, & operi Boiorum plebes instat, cæteri castra faciant. Armatorum excubias (qui illos intentos vrbi condendæ interim defendant) collocent. Gebhardus igitur patruus Augusti Pontifex Reginoburgensium Campodunensi Rhetorum Monasterio, à nepote donatus, cum copijs Pontificum, mystarum, & præsulum, atque monachorum Boiariæ, Vngariam petit, locum superiorem occupat: Vgros id prohibere conantes in fugam vertit, maxima clade afficit: fines eorum ingreditur, inde prædas agit. Veniunt in tempore Conradus primarius Boiorum Princeps, & Albertus Austriacus cum Boiariæ dynastis, castrametantur, ea carrucis (vt mos est Germanorum) in orbem cingunt. Cæteri ædes, templa reficiunt, pars mœnia extruit, pars fossam ducit, reliqui aggerem iaciunt, ij palos figunt, alij vallum struunt. Vgri permolestè ferunt, vrbem nouam velut claustrum, ac obicem suis ceruicibus imponi. Copijs igitur omnibus vndique coactis prouolant, aliquot in subsidijs consident, alij castra vndique noctu, decimo Calendas Octobris adoriuntur: imbrem sagittarum veneno illitarum effundunt, vni tabernaculo ducentas amplius sagittas adhæsisse literis proditur. Nemo tamen nostratium, quod mirari subit, vulneratus est. Nam dimenso opere fortiter resistebant, castraque defendebant; Duces, & proceres alacres militem cohortabantur, & optimorum Imperatorum, & fortissimorum militum officia simul exequebantur: omnia prouidebant, pugnabant, hostem feriebant, contis, hastis, securibus Amazonijs, telis missilibus submouebant: summa vi septem dies castra oppugnata; summa ope defensa sunt. Tandem Boij conglobati, impetu quam maximo possunt in Vgros oppugnationi intentos, dispersosque erumpunt, cædunt, sternunt, mactant, in fugam conijciūt: fugientes ad exercitum in insidijs latitantem persequuntur. Et ij diuinitùs territi terga dant. Boij potiti victoria, grates Deo Optim. Max. supplicatione decreta agunt, ad castra incolumes reuertuntur, opus cœptū perficiunt, portas claudunt, colonos deducunt, ædes, agros diuidunt, validissimo Ciuitati præsidio imposito, domos quisquam suam abeunt. Quod vbi Vgri accepere, vndique ex omni Vngaria, Pannonijs, & Dacia viribus coactis, vrbem obsidione die solis cingunt: quatuor deinceps continenter dies vallum oppugnant, flammas, feruefacta iacula, ignitas tragulas, candentes glandes, faculas ardentes, tedas, fomenta sulphure; ac bitumine illita in casas (quæ scandulis more Boiorum, pars adhuc stramētis tectæ erant) in vallumque passim iactare, admouere palis, sudibus, cœperunt. Illa celeriter ignem concipiunt. Vgri tum maximo clamore, quasi parta, & explorata victoria, nostris extinguendo igni deditis, pars vallum destruere, aggerem excindere, fossam adæquare, pars portas effringere, scalas mœnibus admouere: alij irrumpere parant, quidam circuire, missilibus incessere incipiunt. Tum repentè ventus coortus, conatus hostium frustratur, ab omni cæli cardine ignem extinguit; Turturque obsessos circumuolitat, quod tanquam*

Margin notes (left): p. 422. — Cōradus Dux Boiorum. — C. Haunenberg & Hemenburg ab alijs. — CI. Gebhardus Episc. Ratispon. kempten. — Conradus Boiorum primarius princeps. — Vgri cōtra Boios. — CII.

Margin notes (right): Vgri vallū oppugnant. — Tutur obsessos circūuolitat Catzmair

Sal. An. 1046. *quam bonum, faustumque omen, atque præsidium oppidani accipiunt, inuicem se cohortantur, quò cæleste signum vocet, in hostem pergere statuunt. Impetu, ac agmine facto erumpunt, hostes imparatos, more triumphantium magis, quàm dimicantium sese agitantes, aggrediuntur, cædunt, in fugam vertũt:* CIII. *inultos more pecudum mactant. Tantaque cæde Boij in Vgros debacchati sunt, vt sex naues, hostilibus cadaueribus oppletas fuisse in acta relatum sit. Vgri cælitus territi, posthac Boios incessere supersederunt. Dum hæc in confinio Boiariæ, atque Vngariæ geruntur,* Cæsar in Polonos mouet. *Imperator in Saxonia Goslariæ copias cogebat. Rumor erat Cathomarum Polonorum regulum Silesiam, ab Augusto Boiema præsidi datam, armis affectare. Chatomarus vbi isthæc accepit, ad Imperatorem venit, rumorem de se temerè natum coarguit. Cæsar excusatum eum habuit, domumque redire iussit. Per idem tempus Balduinus iunior Flandrensis Lotharingiam vastat, Honumque capit. Augusta filium peperit autumno. Imperator in Saxonia eodem in loco hyemat, natalesque Christi seruatoris nostri concelebrat.* Balduinus iunior Lotharingiã vastat. Honũ oppidum est Lotharingiæ, Sigebertus author.

HENRICVM IV. FILIVM SVVM HENRICVS III. IMPERATOR successorem declarat. Sal. An. 1051.

CV. SAl. An. 1050. natalem Domini in Saxonia apud Goslare agens, claudit Imperator, *& multos ex principibus* (Herman. Cont.) *filio suo*, quanquàm nondùm sacro baptismate expiatum, *iureiurando fidem subiectionemque promittere fecit. Nec multo post ipse & Dominus Papa cum multis Episcopis, & Principibus apud Augustam Vindelicam conuenientes, Purificationem Dei genitricis celebrauerunt; Rauennateque Archiepiscopo apud Papam inibi reconciliato, charitatiuè à se inuicem discedentes, Papa Romam reuertitur, Imperator Nemeti partem Quadragesimæ, Paschale verò festum Coloniæ demoratur; ibique filius eius Henricus ab Archiepiscop. Herimanno baptizatur.* Baptizatur Hẽricus IV. Mortuo verò Bardo Mogontiæ Episcopo. III. Idus Iunias, Luitbaldus Babinbergensis præpositus ab Imper. surrogatur. Pro Theodorico Constantiensi Episcopo, 10. Kal. Iulias, quinto præsulatus sui anno defuncto, CVI. Rumaldus promouetur Rauennas Archiep. Hunfridus veneno tollitur.

Conuentu peracto Boiariam petit Imp. Hungariam aggredi festinans. Diem quo Deipara ad Cælos migrauit, Bathauiæ CVII. agit. *Ibi Godefrido ab exilio reuocato, prædia quædam stipendiaria archymistam Agrippinensem reddere præcipit, & illum Balduino Flandro opponit.* Godefridus reuocatur ab exilio. *Cæterum Gebhardum, patruum suum Episcopum Reginoburgensem, Vratislaum Boemiæ, Vvelphonem Charionũ rectorem, cum Boijs, atque Boiemis, Daciam, Aquilonares Vgrorum regiones vastare iubet. Vbi illi fines hostium attigère, agrosque vrunt, ædificia, vicos incendunt, eiusmodi tempestates sunt consecutæ, vt expeditio necessario intermmitteretur, & cõtinuatione imbrium, torrentium, fluminumque diluuiæ, plerisque equorum, & mortalium absumptis sub papilionibus milites contineri non poßent: itaque cunctis præda, igne, ferro attritis, domum reuertuntur.* Auentin. annal. 5. p. 423. CIV. Filius Cæsari nascitur. *Porrò Imperator cum valida Francorum, Gallorum, Polonorum, Longobardorum, Venedorum, Sueuorum, Saxonum manu, Pannoniam Australem Vngariæ partem, terrestri itinere, absque carrucis, annona equis cliiellarijs ad vecta, inuadit: sed paludibus, fluminumq; eluuie iter sibi interclusum offendit: longisq; anfractibus alluuiones amnium, qui iugi pluuia aucti excreuerant, alueosque egrediebantur, circuit, per Charionum fines Vngariam intrat. Hostes in continentes syluas, vt paludes se suaque omnia contulerant, pugnandi aperto Marte potestatem nequaquam Cæsari faciunt, pabulum, aquarum fontes corruperant. Interdum se à tergo, à fronte, modò à læua, dextra ostendunt: postremos in agmine tentant, ac statim regrediuntur, rursus alijs,* CVIII. *post alijs minitantur, neque prælium faciunt, neque ocium patiuntur, tam Cæsarianos fatigant. Romanus Imperator vbi se dolis fatigari videt, neque ab hoste potestatem confligendi fieri, quo ad commeatus, stipendiaque militibus suppetunt, vniuersa quecunque pergit frumentis succisis, edificijs incensis depopulatur, solis templis manus abstinet, alia cuncta in vastam solitudinem redigit. Vbi annona exercitui deficere, miles fame vrgeri cœpit: reditum parat. Vgri Cæsarianis fame oppressis, per ripas fluminum, per vadosas*

Sal. An. 1044. *dosas paludes copias opponunt, reditum intercludere, famelicos aut ad deditionem cogere, aut vi opprimere tentant. Cæsariani interriti, paludes, flumina contis explorant: inuicem adiuuando quouis modo queunt, nando, equis, vado, absque cunctatione superant. Vbi ad Rabinisæ fluminis pontem (qui castello, firmissimoq; præsidio communitus erat) peruentum est, hostes traiectu amnis nostros arcent. Quidam Burgundiorum, Saxoniam, & Polonorum flumen non sine periculo tranãt, munimentumque firmissimum in altera ripa ponti appositum primò vi expugnant, cæsis Vgris, in fugamque coniectis exercitui viam ferro aperiunt. Imperator ex Pannonia reuersus, dimisso exercitu in hyberna in Saxoniam concedit: vltimo Decembris festos dies; rem diuinam, vt Christianum decet Principem, Goslariæ ritè perpetrat. Henricum*
CIX. *archimystam Rauennæ esse iubet. Nitgerum Episcopum Fruxinensem ob necem fratrum ignominiosam, nimis proteruum Rauennam relegat, vbi subito interijt.* Hæc *Auentinus.* Altiùs tamen, & verius forsan Bonfinius, inter historicorum dissonantiam: nam alij supplicem Andream Henrico Cæsari pingunt; alij Hungaris Boemos, Polonos, Australes subditos scribunt) rem attigit *lib. 2. Decad.* 2. Illud constat (ait Bonfinius Andream cum Adalberto An. Sal. 1051. *qui Austriæ dominabatur, pacem fecisse; item Bohemiam, Poloniamq; post aliquot bella pacasse. At quum se ad senium declinare, ac liberis carere animaduerteret, ad Belam fratrem, de quo suprà diximus, in Poloniam legatos misit.*
CX. Bela vocatus à fratre ad regnum. *Bela exhortatus, vt cum vxore ac liberis expectatione celeriùs in Pannoniam redeat, & veluti communibus erroribus ac miserijs agitati fuerant, ita & nunc bonus auitis, ac regno pariter perfruantur. Quinetiam reri neque fas, neq; iustum esse, se sine fratre regno, eodemque amplissimo potentissimoque potiri, item per orbitatem neminem sibi eße, cui regnum legari queat. Hac igitur obsecratione Bela victus, coacta familia, dimissoque ne mediocri quidem Sarmatiæ ducatu, quo à Mescone, ob rem clarè gestam, in singulari certamine donatus fuerat, in Vngariam cum familia se recepit. Tam grato ab Andrea fratre animo, & tam insigni populorum plausu exceptum ferunt, vt vniuersa in eius occursum, non modò regis aula, sed Vngaria sit effusa, nullusque dies lætior actus. Postridie quàm venerat, conuentu habito, Vngaria treis in partes diuisa, duæ regi, tertia Belæ fratri, omnium consensu tributa est. Hinc discordiarum seminarium sanè profluxit, hinc dissensionum bellorumve causæ, quibus semper Vngaria fluctuauit. Quare inter Duces Regesque Pannoniæ, dissidia, cædes, ac assidua prælia intercessere. Eodem quoque tempore, ad inferioris Pannoniæ lacũ, Andreas in insula Tychonia, cœnobium magnum cum basilica fundauit, quam diuo Aniano dicauit. Mox ad propagandam sobolem animum adiecit, vxorem duxit Agmundam, Ruthenorum Ducis filiam, quos olim Roxanos & Roxolanos nominabant, ex hac Salomon & Dauidus orti. Ex concubina, quam in Morothensi pago clàm tenuit, Georgius natus est. Ex Bela, in Polonia, Geysa & Ladislaus. At vbi in Vngariam reuersus est Lampertus, ac filiæ sunt editæ, inter fratres hos tanta semper charitas intercessit, & concordia, vt vna eademque ambobus voluntas inesse videretur, contra verò in filijs nepotibusque accidit, vt ritè inferius refertur.* Andreæ filij 2 1. Belæ *Dum magnum in Pannonia ocium agitur, mutua fratrum charitate munitum, ingens Alemannia bellum molitur. Henricus enim Tertius, Petri iniuriam, & Vngarorum inconstantiam ac perfidiam vlturus, coactis vndique copijs, eo hanc expeditionem animo suscipit, vt aut Vngariam imperio Romano vectigalem faciat, aut ad extremũ vsque ibi vires eludat. In primis adita Pannonia, Pisonium obsidet, tormenta diuersa mœnibus admouet, turres erigit, commeatus inhibet. Classem etiam, quæ secundo amne defluxerat, à Danubij parte disponit, vt ciuitas vndique oppugnari queat, castella in turrium speciem nauibus imposita, vt hinc oppidanos à mœnibus arceant. Duobus hæc mensibus vndique oppugnatur, omnis tamen Teuthonum eluditur opera. Vngarorum præsidium ab Andrea vrbi impositum, ne quarerum caritate premeretur, nè ve Danubij aditus occluderetur, vnde ab inferioribus regionibus commeatus & auxilia inferri possent, nouum sanè commentum excogitauit. Vir inter eos nandi arte peritissimus, mox inuentus, cui Zothmundo nomen erat, hic intempesta nocte Præfecti iussu, nando clàm hostium naues subit, sensim eas tenui terebro suffodit,* Hẽricus in Hungaros.

Sal. An. 1044. suffodit. Dum naufraga vniuersæ classi vitia subigit, vix renandi ad suos spacium datur, ne illucescente die in facinore deprehenderetur. Hæ non modò proprio onere, sed machinis etiam onustæ, secunda ac tertia hora diei imo desidere occœpere, à principio pleræque incautis adhuc nautis demersæ sunt. Hac igitur arte elusæ Alemannorum vires, obsidioque soluta, quando ex oppidanis & centurionibus plerique, quotidie facta eruptione, in hostium castra sæuiebant. Ex his potissimi nominantur, Maiothecus, Andreas, Vlungardus, Brosa, & Martinus, qui magna sæpe strage ex improuiso hostes affecerant, quare in Alemanniam spe sua delusi rediere. Quum re infecta Henricus Imperator cedere cogeretur, eo magis in Vngaros exardescit, exercitum longè maiorem instaurat, onerariamque classem reparat, qua commeatus deferat. In sequenti anno dispositis abundè omnibus, quæ bello vsui erant classi, Gebarthum Episcopum, & eundem fratrem eius præfecit. Danubiòque defluere iubet, ipse cum turmis & cohortibus, præter Zalæ Zelitæque fontes amnium, in Vngariam iter facit. Andreas ac Bela frater id edocti, ea parte qua hostis iter facturus erat, aceruos frumentarios ac pabula cuncta comburi, incolas & pecora hinc abduci præcipiunt, ne qua prædæ commeatusue copia foret hosti. Imperator adita Pannonia, & incensa ab incolis, quacunque iter fecerat regione, neque milite, neque equo adminiculi quicquam inuenit. Et quum vbinam classis esset intelligere non posset, in omnium rerum egestatem incidit. Trāsmissa sylua, Bodoatinis montibus appropinquauit, intolerabili commeatuum pabulique inopia laborans. Iaurinum interea classis applicuit. Præfectus classis tabellarium ad Imperatorem continuò misit, qui literis se certiorem ab eo fieri postulabat, vbinam cum classe expectaturus eßet exercitum. Is ab Andreæ militibus, qui viatoribus insidias fortè tetenderant, intercipitur, ducitur ad Regem, Belamque, & adhibito interprete Nicolao Iauriensi Episcopo, Andreæ omnia patefiunt, qui astu pro tempore vtitur, Vngaricæ reipublicæ apprimè salutari. Ad Gebartum, Henrici nomine, adulterinæ per hospitem literæ remittuntur, quarum summa talis erat. Salue Frater optime. Sæpe quæ præter opinionem accidunt, ad mutandam sententiam homines impellunt. Proinde scito, nostrum ab alijs hostibus imperium grauissimè infestari, nos autem, vt propria tueamur, ab Vngarica expeditione inuiti reuocamur. Quare classem dicto celerius soluito, & deleto. Ratisbonæ confestim nobis occurrito, quando tibi in Vngaria tuto consistere non licet. Præfectus temeraria fide percitus, mandata peragit, soluta repentè classe, in Vindelicos se recepit. Imperator expectatione frustratus, extrema cum milite fame absumi cœpit, neque præfecti suæ classis desidiam satis poterat admirari. Accedebat magna sagittariorum manus, quæ ex Bulgaris Bessisque confluxerat, hæc cum Vngaro pariter hostilia castra per noctem lustrans, venenatis spiculis infestabat, quin & calones, lixas ac seruos, iniecto inter tentoria laqueo, captos plerunque trahebat. Tanta & tam cæca sagittarum tempestate afficiebatur hostis, vt terram subfodere, sub fossaque iniecto clypeo delitescere cogeretur. Sæpe viuus cæsi, & cæsus contra viui fossam præoccupauit. Quum se ac exercitum ad extrema non sine Diuino numine redactum, Henricus intelligeret, necessitatis imperio, mitius cum Vngaris sibi agendum esse decreuit. Quare ad Regem misit oratorem, qui suo nomine tutò abeundi potestatem, & commeatus postularet. Quod si conceßerit hostis, se perpetuum cum Vngarico Rege succeßoribusq; fœdus & pacem initurum, neque re, neque verbo, neque quauis arte obfuturum. Item si quis è posteris Pannoniæ bellum indiceret, detrimentùmue inferret, extemplo se Deorum hominumq; hostem Augustali decreto pronunciatum intelligeret. Quin se vltrò Sophiam filiam, forma spectatissimam, quam paulò antè Philippo, Henrici Franciæ Regis filio sacra asseueratione spoponderat, rescissa affinitate coniugaturum, in arctissimum æternæ pacis vinculum, testimoniumque grauissimum. Andreas igitur & Bela, exaudito honorificentissimo oratore, quum ocium potius, quàm bellum anhelarent, postulatam cum Imperatore pacem confecere, cuius iura, ne quo malo dolo læderentur, vtriusque sunt iuramento munita. Mox ad explendam Alemannorum inediam, quinquaginta piscium corpora insanæ magnitudinis, quos Vsone appellant, item multa lardi, pecorum, vini & frumenti copia gratuitò ad Imperatorem missa. Qua plerique fame confecti, ac immodica

Sal. An. 1051. modica statim edacitate distenti, interiere. Curatis deinde corporibus, vniuersus exercitus, relictis impedimentis, praepropera festinatione in noricos, & Vindelicos se recepit. Praeterea locum castrorum, vbi extrema fame laborauit, Vngarus, & Alemannus vterque sua lingua Clypeorum montem appellauit, vigintiquinque millibus passuum à Buda remotū, qua iter est Viennam, longa sylua obsitum. Hic haud ab re Germanorum annales erit admirari, qui Vngaros cum Andrea Rege ab Henrico tertio perdomitos, ac stipendiarios fuisse factos prodidere, quod procul à vero esse constat Quonam modo desponsatam filio Regis Galliae gnatam, rescissa praestantissima affinitate, Andreae filio spopondisset, nisi aliqua vehementi necessitate adactus, ad eas conditiones descendisset? sed vt hanc perpetuam Germanorum, & Imperij Romani notam, diuina magis, quàm humana opera inustam oblitterarent, ex industria subticuere, at contra fieri debet. Scriptor enim quisque Historiarum, veritatis potius, quàm alicuius patrocinij affectator esse debet, quin & omni amicitiae, inimicitiaeque carere opportet affectu, vt suam apud posteros auctoritatem retinere posse videatur. Postquam igitur Henricus Tertius in Alemanniā redierat, paucis post mensibus Rex Andreas per Legatos oblatam sibi filiam postulat, nè vana illius expectatione eludatur. At ille respondet, se non modò gnatam, verùm & minima quaeque promissa praestiturum, neque vnquam initum foedus, ac Sacramentum detrectaturum. Diem sponsalibus, nuptijsque ad Moram amnem praestituit, qui Morauiam ab Vngaria plane disterminat. Huc ad praestitutum omnes diem conuenere, cum summo Vngariae ac Germaniae plausu, frequentissimoque Pontificum Principumque conuentu, solenni ritu celebratae nuptiae, confirmata foedera. Sophia in Vngariam deducta, singulari pompa, vtrique principes cum summa concordia gratiaque digressi. Salomon infantia nondum excesserat, & tam intempestiuus vir factus est. A morte sanctissimi Regis Stephani, ad Andreae Regis initium, anni (secundum Annalium supputationem) vndecim circiter, & menses quatuor intercessere. Interea Petrus, qui Venetus potius, quàm Teuthonicus, à patre Venetijs vitam agente, appellari potest, quamuis interpellato tempore, annis tamen quinque, & mensibus sex regnauit, Aba tribus. Quum autem liberorum affectus prae caeteris in quoque homine dominetur, & priuatus amor ab aliena charitate & aequitatis officio animum auocet, hinc dissensionum inter fratres promanauit origo. Andreas tot erroribus laboribusque vexatus, grauescente iam senio in paralysim inciderat, quandoque carruca, hexaphoro saepius ferebatur. Quum solutis membris incedere non posset, coepit vir prudens, his incommodis circumuentus, de successore ac filio cogitare. Succurrebat & illud, quod Henrico receperat, se Regem filium declaraturum. Et vt promissis stare videretur, duodecimo regni sui anno, infantem adhuc filium, conuocatis Pontificibus ac Principibus vniuersis, Salomonem Regem pronunciauit, legitimeque coronauit: Imperatoris causatus postulationem, qui ex compacto, generum diademate insigniri quotidie flagitabat, neque alio modo, sine hac affinitate, pax foret inita, quae vtrinque fiduciam seueritatemque pepcrit. Inter coronandum quum ex more caneretur illud Israeliticum, Esto dominus fratrum tuorum, & haec quidam Belae interpretaretur, ex quibus reputabat se sub infantis imperio futurum, admodum rei indignitate commotus est. Pleriq; verò, Belae filiorumque consensu, & totius conuentus acclamatione, Salomonem Regem fuisse creatum tradidere. Quod haud difficulter ipse crediderim, quandoquidem haereditario iure, & salutaris huiusce affinitatis excellentia, is regno fraudari non debebat. Sed paulò post à factiosis disseminata seditio, quippe alij Andreae consulebant, vt hac arte gratificari viderentur, puerum, nisi frater è medio tollatur, nunquam tutò regnaturum. Contra hi Belae, tanti momenti regnum haudquaquam infantulum addecere, immo ad regis fratrem pertinere. Item vsurpandi regni occasionem optimam deferri, quando Rex infans est, & pater senio ac valetudine grauissima planè conficitur. Ne Andream quoque praeteribat, inuito fratre, filium nunquam regnaturum. Proinde inito consilio cum duobus tantùm intimis, quum in ferarum viuaria descendisset, in cubiculum relatus, ante se coronam & gladium, strata humi purpura, inferri iubet: haec regnum, ille ducatum referebat. Fidissimos comites admonuerat, vt introducto Bela, & proposita optione, si gladium

Sal. An. 1051. dium is eligeret, laude, ac donis cumulatus abiret, si verò coronam, eo confestim gladio fratrem obtruncarent. Initum Nicolaus ianitor tantùm cum his consilium audiuit, deinde ex composito Bela accersitur, cubiculum subiturus, quàm primùm à ianitore admonetur, vt si vitam amet, gladium accipiat. Ad Regem ingressus, duo proposita ibi insignia admiratur. Cui hæc mox Andreas, Salomonem (inquit) filium, Bela, regem declaraui, regalique diademate donaui, non tam vt priuatæ dignitati, quàm vt publicæ consulerem saluti. Quid ab Alemannis semper accepimus, & quàm magnis conatibus nuperrimè regnum inuaserint, non ignoras, & quàm salutaris sit ista reconciliatio, ac pax nuper inita, pro se facilè quisque considerat. Tibi autem, nè qua ex nouitate hac expostulandi copia detur, qua pientissimum fratrem insimules, nunc optionem facio. Coronam tibi, & gladium præ oculis habes, vtrum vis potiùs, accipito, alterum filio relinquito. Tunc Bela vel præmonitus periculi, vel conscientia, & fraterna liberalitate victus, optatum sumpsit gladium, coronam vltrò nepoti concessit. Spectata fratris modestia Rex, lectica, ante Belæ pedes, profusis lachrymis, extemplo prosiluit, genua præter dignitatem amplexatus, ingentes gratias egit. Multis in fraterna charitate ac filij tutela verbis eum confirmauit, dimisitque donatum amplissimè, ratus id absque aliqua dissimulatione ab eo factum, & sicut vltrò Leuenta sibi cesserat, præ simplici charitate, idem à Bela factum, sed id Belam præ timore fecisse, ostendit exitus. Quippe paucis post mensibus, ad declinandas insidias vir sagacissimus, cum vniuersa familia, ad Mesconem socerum (de quo suprà diximus) in Poloniam effugit. Quod vbi Regi significatum est, vt pari cautione certaret, Salomonem ad Henricum socerum, cum maximo optimatum Vngariæ equitatu misit. Interea cum Mescone, Poloniæ duce, acceptas à fratre iniurias Bela communicat, hortatur, vt datis auxilijs, in regnum sibi debitum restituat. Non tam generi, quàm nepotum, ac vel maximè filiæ dignitatem curet; si contemnatur, neminem sibi fore alium, ad quem exorandum confugiat. Addit commodorum accessionem, si vota successerint: nam si vires vtriusque gentis vnà conueniant, facilè fore, vt non modò se tueantur, verùm etiam amplificatis nibus, aliena regna occupare confidant. His Mesco commotus, legiones treis comparat genero, Vngariæque finibus appropinquare iubet. Quum se tot copijs Bela munitum esse cerneret, quot recuperando regno, & explendæ spei sat esse nouerat, fraternum regnum inuadit. Quod vbi factum est, ex Vngaris ad eum quàm plurimi confluxere, qui eius partes antea sectabantur. Rex audito fratris ingressu, duas ab Imperatore Henrico legiones accepit, quarum alteri Guilielmus, Pothus alteri præfuisse fertur. Bratislaum quoque Boemorum Ducem, & Spitignei fratrem, cui filiam olim coniugarat, cum validissimis copijs planè conduxerat. Neque in Vngaria delectum habere contempsit, quare maximum sibi exercitum comparauit. Ad Tibiscum igitur amnem fratres ambo conuenere, vt regni litem, commisso prælio, dirimerent. Quum acies in ripa fluminis vtrinque constitissent, ab Alemannis prælium initum est. Guilielmus enim & Pothus, transmisso amne, tam infestis in Belam animis concurrere, vt confertissimam cruentissimamque pugnam extemplo commiserint. Pari quoque audacia, ac robore certè maiore, Polonorum & Vngarorum agmina obsistere, quippe qui ne cedere viderentur, lethales fortiter ictus excipiebãt, inferebantque. Sed quum diu pari spe conatuque vtrinque pugnatum esset, Teuthones tandem dare terga cœpere, inclinatisque hostibus, tanta animorum Vngaris facta fuit accessio, vt redintegratis viribus, à tergo instare viderentur. Tunc ex illis cecidere multi, cæteri palantes fugiunt. Quod vbi alij, qui Andream sequebantur, Vngari prospexere, mutata repentè sententia, in Belæ parteis contendere, & in suum regem vertere arma. At is quum à se suos defecisse conspicaretur, consternatus animo, in Noricos fugam capit. Insequuntur eum inimici, & tanta quidem pernicitate, vt ad portas Musienses adhibuerint, ceperintque, in Baconiensemque syluam deduxerint. Ibi negligentissimè detentus, ad crucem suam, quam Sterziam dicunt, idem obijt: sepultusque in cœnobio Tychoniensi, circa Balatonem lacum, quem in inferiore Pannonia fuisse diximus. E ducibus & præfectis hi potiores capti referuntur: in primis Boemorum dux, quem inscio Bela, continuò excæcatum plerique retulere: item Guilielmus, & Pothus, qui ad Belam ducti, quàm primùm honorificè dimissi.

Sal. An. 1052. *CÆDES MARCHIONIS BONIFACII IMPERIALIS VICARII.* *Sal. An.* 1052.

Regnabat totius Italiæ *tyrannus* (hoc titulo *Hermannus* vtitur) vel Marchio potentissimus princeps, cui Conradi II. Imperatoris filia Beatrix nupserat: acerrimus Pontificiæ, & Imperialis dignitatis propugnator Bonifacius. Annos natus LXX. diuino cultui se dicauit, multa in religiosos elargitus, præsertim in Cœnobitas Pomposianos. Sacrosanctum Seruatoris Nostri sepulchrum adoraturus, iter parabat, dum à nebulone, quem proscripserat, non procul castro Martiniano sagitta venenata transfigitur. *Herman. Contract.* Prid. Non. Maij obijt, ac Mantuæ in Episcopio sepultus. Elogium. *Hic iacet egregius Dominus Bonifacius illustris Marchio, & pater Serenissimæ Dominæ Comitissæ Mathildis, qui obijt M. LII. die VI. Maij.* Reliquit filium *Federicum*; filias *Beatricem*, à matris vocatam nomine, & *Mathildem* ab tritauia nuncupatam, quæ olim primo Ottoni nupserat. *Sigonius. Herman. Cont. Io: Bapt. Pigna.* Imperator interim Goslariæ Saluatoris celebrato Natali *quosdam hæreticos, inter alia praui erroris dogmata, Manichæa secta omnis esum animalis execrantes consensu cunctorum, nè hæretica scabies latiùs serpens plures inficeret, in patibulis suspendi iussit.* Quadragesima postea Rauennæ Henricum Archiepiscopum dedit. Vbi Nizo Frisingensis Episcopus, ex superbissimo vitæ habitu ad humilitatis & religionis speciem cōuersus, denuò ad insolentiam relapsus, sed Rauennæ relegatus, subita morte perijt. Quinquagenalibus Turegi celebratis, Vngariam inuadit, *Vratislaburgium* naualibus, terrestribus copijs frustra obsidet, oppidanis eggregiè propugnantibus. Auxilium obsessis erant, qui procul hostium conspectu aquam subibant, & occultè ad naues natando Cæsareas terebrabant. Quæ perforatæ submergebantur. Interim Leo Papa ab Andrea Vngarorum accitus Rege, vt pro pace interuenisset, Imperatorem ab obsidione auocauit, obsequentem, ex *aduerso Andream consilijs minus patentem experiens, offensus, eiq; excommunicationem, vtpote delusa sede Apostolica* (ait Herman. Cont.) *minitans, cum Imperatore discessit.* Eodem tempore in Bauaria perniciosæ discordiæ ignis exarsit, qui *Gebhardum* patruum Augusti, Episcopum Reginoburgensem, & *Conradum* Bauariæ præfectum inuoluit. Conradus, eiusq; familiares omnia habentes venalia, humano diuinoque læso iure, veluti mures aulici viduas, pupillos, ciues, agricolas, pauperes, expilabant. Indignatus etiam, quia sui admoneretur officij ab Episcopo *Parckstain* vrbem Episcopi, dolo capit, incendit. Quamobrem Augustus, & Pontif. Rom. ex Vngaria Reginoburgium mense Octobri venientes, episcopum, atque Boiorum ducem arma ponere iubent, iure non gladio disceptaturos.

Marginalia: CXI. (beside "chio potentissimus princeps"); CXII. (beside "transfigitur"); CXIII *Cæsar hæreticos damnat.* (beside "ris celebrato Natali"); CXIV. *Nizo ep. Trising.* (beside "gensis Episcopus"); CXV *Hũgaros frustram aggredi- tur.* (beside "gariam inuadit"); CXVI *Andreas Rex Hũg. excomunicatur.* (beside "natando Cæsareas"); CXVII (beside "ignis exarsit"); CXVIII (beside "ab Episcopo Parckstain").


PERMVTATIO BONORVM INTER PAPAM, & IMPERATOREM. An. 1053.

CXIX Hyematum Pontifex & Imper. cum in Vangionum vrbem se recepissent, *ibi Papa, sicut dudum cœperat* (ait Herman. Cont.) *Tuldensem Abbatiam, aliaque nonnulla loca & cœnobia, quæ S. Petro antiquitus donata feruntur, ab Imperatore reposcens, exegisset, demùm Imperator pleraq; in vltra Romanis partibus ad suum ius pertinentia, pro cisalpinis illi per concambium tradidit.* *Cumque idem Papa de Normannorum violentijs, & iniurijs, qui res sancti Petri se inuito vi tenebant, multa conquestus esset, ad hos etiam inde propulsandos, Imperator ei auxilia delegauit. Ea siquidem gens, à temporibus prioris Henrici Imperatoris in Calabriæ, Samniæ, Campaniæque partes, paulatim ex Gallici oris Oceani aduentitia, confluebat: & quia bellicosior Italicis gentibus videbatur, gratanter accepta, crebrò indigenis contra Græcorum, & Sarracenorum incursiones audacter præliando, auxiliabatur. Primò gratanter accipitur, postea verò pluribus eorũ ad vberem terram accurrentibus, viribus adaucti, indigetes bello premere, iniustum dominatum inuadere, hæredibus legitimis castella, prædia, villas, domus, vxores etiam quibus libuit vi auferre, res Ecclesiarum diripere, postremò diuina, & humana omnia (prout viribus plus poterant) iura confundere, nec etiam Apostolico Pontifici, nec ipsi Imperatori, nisi tantùm verbotenùs cedere.* CXX

Ad horum igitur nefaria scelera eliminanda,

Chr. An. 1049. *da, indigenasque ab eis liberandos, dominus Papa animum intendens, summa cum charitate ab Imperatore Romam reuersurus, digreditur. Sequuti sunt eum plurimi Theutonicorum*, inter quos, *Sigonio* teste, Gotfredus Dux Lotharingiæ Gozelonis filius,
CXXI. paulò ante Henrico Imper. reconciliatus, eiusque frater Fridericus, quem mox sibi cancellarium asciuit, *partim iussu dominorum, partim spe questus adducti: multi etiam scelerati, & proterui, diuersasque ob noxias patria pulsi. Quos ille omnes, tum consuetæ misericordiæ nimia compassione, tum etiam quia opera eorum ad imminens videbatur bellum indigere, clementer & gratanter suscipiebat. Transiens ergo per Alemanniam, purificationem S. Mariæ Augustæ egit, Mantuæque Quinquagesima acta, & nonnullis*
CXXII. *Papa à Nortmānis capitur.* *suorum, orto inibi tumultu, occisis, infra dies Quadragesimæ Romam peruenit*. Synodo contra Nortmannos habita, XIV. Kal. Iulij confligitur. Sed victore Nortmanno, Pontifex captiuus abducitur; & licet honorificè remissus, morbo, quem animi ægritudine contraxit, decedit. XVI. Kal. Maij, vt fusius in historia Pontificum. Porrò Imperator coactis in Saxonia comitijs, Conradum Ducem Bauariæ *cui iam infensus erat*, (Contract.) *incusatum, quorundam Principum iudicio; ducatu priuauit. Quo tempore regni tam primores, quàm inferiores contra Imperatorem magis magisque mussitantes, iamdudum eum ab inchoatæ iustitiæ, pacis, pietatis, diuini timoris multimodæque virtutis tenore, in quo de die in diem debuerat* CXXIV. *Conradus ducatu Bauariæ priuatur.* *proficere, paulatim ad quæstum & incuriam quandam deficere, multumque seipso deteriorem fore, causabantur*. Interim *magno apud Friburiam conuentu habito filium æquiuocum Regem à cunctis eligi, eique post obitum suum, si rector iustus futurus esset, subiectionem promitti fecit. Ad quem conuentum cum Conradus, dudum Boiariæ Dux, venire nolens, cum expeditis militibus Regi rebellare moliens, Hungaris se adiungere tentasset,* CXXV. *& Carentani fines inuasisset: quibusdam inibi, quæ prius habuerat possessionibus suis, ab Imperatore priuatus est, eas quasi legaliter acquirente. Ibi etiam legati Andreæ Regis Hungarorum, prò pace pactoque cum suffragante Ratisponense Episcopo immensam pecuniam, suæque prouinciæ partem, & ad expeditiones omnes, præter Italicam, suos ituros promitterent: Imperator ea se accepturum fide, spondens, eos remisit*. Moritur hoc anno Hazelinus Babinbergensis Episcopus infamis; *Herman.* Conradus verò Dux ab Andrea Hungarorum Rege gratanter susceptus, potenti sermone, Imperatori promissa soluere dissuadet: & auxiliaribus copijs receptis, Charinorum fines inuadit, CXXVI. *Conradus mouet in Cæsarem.* *Hengstburgium* capit, firmoq; vrbe munita præsidio, Vngariam repetit, Imperator autem Conradum hostem iudicat, eius bona

CXXIII.





publicat, Bauariam Henrico filio suo trienni tradit, regendeque eius pueritiæ *Gebhardum*

 Eiste-

Sal. An. 1055. *Eistetensem* Episcopum adhibet, natione Sueuum à Rege secundum, soloque solio minorem. Hic vt Boios contineret in fide, *Schyrensium* familiam, vetustis maiorum
CXXVII. titulis superbam, incendijs, agrorum depopulatione, sic attriuit, vt eorum domus antea formidabilis, timeri desineret. Quibus rebus, Gebhardus sic apud Cæsarem gratiam firmauit, & auxit, vt gradus illi fuerit ad Romanum Pontificatum, quem illi quondam Bardo Moguntinus, egregiæ sanctitatis Antistes, fuerat vaticinatus. Arma postea aduersùs Balduinum Flandrū mouens, omnia ferro, igne proterit; Af-
CXXVIII caldem flumen transit, *Lambertum* copiarum Balduini ducem prælio superat, occi- *Cæsar mouet in Balduinū* dit. Balduinus vix fuga euasit. Fugientes Cæsar insequitur, plerosque Flandrorum
CXXIX. proceres Tornaci, obsidet, vrbe expugna- *Sal. An. 1054.* ta, capit. Dum Gotfridus ocij impatiens denuo noua molitur; In Italiam migrat, Beatricem matrem Matthildæ, coniugem quondam Bonifacij, vxorem ducit. Fallitur hic *Sigonius* scribens Gozeloni Lotharingiæ Duci nupsisse Beatricem, filiam verò Mathildem Gotifredo Gozelonis filio. Iam enim in fatis Gozelo concesserat) dum itaque rebellionem parat, ab Italis iussu Im- CXXX.
peratoris eijcitur. In Germaniam receptus, ad Balduinum Flandrensem se confert, qui iunctis copijs Fridericum Lotharingiæ ducem Antuerpiæ obsident. Lotharingij aduolant, Flandros repellunt, obsidionem soluunt. Dum hæc fiunt, Imperator Moguntiæ conuentum celebrat, in quo Gebehardus Eistetensium Episcopus ab CXXXI
Episcopis electus, Romamque missus, in futura quadragesima in Cœna Domini, Papa ordinatur, Victoris II. nomen accipiens.

HENRICI III. MORS PRÆDICITVR. An. 1055.

Natali Christi Goslariæ celebrato, Eberspergium Imperator III. Idus Martij diuertit. Indè Italiæ Cisalpinæ, & Ethru-
CXXXII. riæ fines intrat. Eckkardum Brixiæ designat Episcopum: Percursores Bonifacij opprimit: Hereberto Mutinensi Episcopo facultatem reædificandæ, muniendæ, augendæ ciuitatis indulget, quæ à barbaris solo iacebat æquata. Diplomatis verba ita *Sigo-*
CXXXIII *nius* transcripsit.

Priuileg. Henr. III. Imper. datum Mutinensibus.

Henricus Romanorum Imperator Aug. Cum Herebertus Episcopus S. Mutinensis Ecclesiæ, & ciues eius nostra adita clementia exposuerint, ipsorum olim nobilissimam, atq; antiquissimam vrbem Mutinam prope desertam esse, ex eaque re nobis, & no-
CXXXIV *stræ Reipub. maximum detrimentum accedere, petierintque vt eam nos ipsi reædificare, munire, atque augere concederemus, quò nostris, & S. Ecclesiæ hostibus firmioribus resistere viribus possent, ob eam rem nos iustis eorum precibus obsequentes cum id eis permittimus, tum verò etiam vsum aquæ amnium Siclæ, & Scultemnæ Episcopo & ciuitati concedimus, potestatemque aluei excauandi ad merces in Padum Venetias, & Rauen-*
Herman. *nam deferendas largimur. Quin etiam Ecclesiæ, & Ciuibus omnes rectas consuetudines conseruamus, quas antiquitus habuerunt, modò ne Episcopi mutatio, aut alio modò, nisi per nostram manum, subrogatio fiat, nisi à Romano Pontifice legitimè abdicetur.*

Florentiam inde petente, coram eo Romanus Pontifex synodum vocat, plurima corrigit. B. Ioannis Gualberti cum sermo recurreret, præclaris eius gestis auditis, *in vita B. Ioan. Gualb.*
quadam erga illum concepta beneuolentia, misit Episcopum ad monasterium Vallis Vmbrosæ, qui summum consecraret altare. Beatricem interim mariti culpa, contra datam fidem detinet, captiuam ducit, molestè ferens, se inscio Gotefrido nupsisse. Post hæc lustrata Ethruria, pacata Italia; CXXXV *Fœdus cum Venetis.*
cum Venetis renouato fœdere, quod Conradus pater negarat, regnante tunc apud Venetos Dominico Contareno, (qui Illyricas vrbes rebelles, suo Marte Venetorum restituit Imperio, & post ductum Pepum Aquileiæ præsulem, sacrasq; Domi excitatas ædes *D. Nicolai in Littore*, & in vrbis meditullio, *D. Michaelis*, Ducatus Anno XXVI. quieuit, vt adhuc ex templo D. Michaelis pro patria excubaret in littore) Imperator, cum Pontifice Maximo Germaniā petit; in locum Vvaltheri Veronensis Episcopi Dietboldo subrogato. Porrò dum per annum

An. Sal. 1055. annum in Italia degeret, *fortuna sæuire cæpit* (ait Auentinus) *attrocissimumq; scelus in Boiariæ occultè succreuit*, cuius initia vidimus supra An. Sal. 1053. teste Hermanno) *Amicissimi, sanguine proximi, nempe Gebbehardus patruus, Episcopus Reginoburgensis, quòd templum D. Hemeranni in libertatem, excusso iugo Pontificio, vindicatum, sibi præreptum esset; Vuelpho Charinorum Dux, cæteri Boiariæ proceres, Episcopi puerum quinquennem, regem ignarum omnium, qui monitore, ac præceptore egeat, & alium sibi regem quærat, sibi impositum esse permolestè patiebantur. In gratiam ergo cum Conrado perfugæ redeunt, eum regem Boiorum clandestino conuentu salutant: aduersùs Augustum conspirant, ipsum si in Boiariam rediret, insidijs tollere: Conradum ex Vngaria accersere, Boiariæ regno præficere decernunt. Nisi Deus Optim. Max. prohibuisset, indignum tum facinus, atq; flagitiosissimum perpetratum foret. Conradus namque repentina morte correptus, cruciatu atroci, subito animam exul, & profugus in Vngaria exhalauit. Vvelpho quoque eodem morbo laborare cæpit. Cumque finem vitæ sibi adeße videret, indicium per nuncium fidum ad Imperatorem in Italiam detulit, suppliciter veniam precatus, omnes conscios nominatim aperuit, coniurationis scenam detexit, Vrigam gentilicium prædiū, cætera quæ in Boiaria apud Lycarios & Athesinos, & Ambrones, & in Sueuia possidebat, Abuziacum, Fauces, Schongauu, Landspergam, Phoetinos, Rauenspurgium, Altorff, Vveingarten Cæsari testamento legat, hisque satisfacit: cumque animam ageret, publicè scelus in Augustum cogitatum confitetur, moxque fato concedit*. Sal. An. 1055. vt scribit Continuator Hermanni; licet *Bucellinus* 1059. Idibus Nouembris dicat extinctum; nec de Cæsaris institutione commemoret, sed ascetas monasterij Vveingartensis ex asse, scribat hæredes. Cuius testamentum irritum iusserit Henricus III. intercedente Irmentrude eiusdem Vvelphonis matre superstite. *Augustus* (prosequitur Auentinus) *vbi hæc ei nunciata sunt, ex Italia in Boiariam contendit* (*Conrado immatura morte. Silio sublato, vt Chron. Augustens.*) *neptem Beatricem secum adducit, Hattonem Episcopum, Tridentinis mortuo Vlrico designat, Reginoburgium caput Boiariæ petit: conuentus ibi agit, Gebhardum patruum Episcopum vrbis, frequenti senatu, parricidij, & læsæ maiestatis accersit. Crimen primò dissimulantem, negantemque deindè manifestis indicijs conuictum in vincula conijcit, diligenti custodia asseruari iubet*. Adalbertum capitali sententiæ adiudicatum, per interuentum Episcoporum dimisit. Othonem Nouariensem Episcopum ad Michaelē Imperatorem legat; sed illi mortuo fæmina subrogata, anno sequenti pari legatione cum Henrico fædera renouauit. Natalem postea Domini apud Turegum celebrans, ibi Othonis Marchionis filiam Henrico filio suo desponsauit. Herimanno Coloniæ Agrippinæ Episcopo defuncto, Hannum Goslariæ priùs præpositum substituit. Sed cum liberè Regem argueret, eius indignationem incurrit, proindè *ad audientiam veniens, oratione* (apud Surium tom. 6. die 4. dec.) *& iustitia pro sua causa agere laborauit. Cui facultate erepta hac progrediendi via, tandem in hæc verba prorupit: Rex excellentissime, cælestis regis intuitu, cuiuscumque discordiæ aut odij malum vel hoc anno non præualeat inter nos, quandoquidem anno proximo quid nos maneat, mentium nostrarum nunc penetralia latet. Quod dicens, Regem, quem sciebat hoc ipso anno moriturum, emendatioris vitæ visus est ad semitam perducere*. Hoc tempore scribit *Sigebertus* Saxones malè aduersùs Venedos, quos Litizos vocant, pugnasse: nam pars ferro, pars aquis perijt. Vvilhelmus quoq; dux copiarum & Theodoricus Tribunus cecidere; Albertus Austriacus moriens filiū reliquit Ernestū.

Marginalia: Annal. 5. p. 427. — CXXXVI coniuratio in Cæsarem. — Conradus dux Bauariæ moritur. — Vvelfo detegit coniuratos. — CXXXVII. fædus cū Græcis moritur. — nuptiæ Hērici. — dissidium Hannonis cū Cæsare — mors Cæsari prædicitur. — CXXXV

CONTENTIO INTER HENRICVM III. ET FERDINANDVM Castellæ Regem in Concilio Turonensi de titulo Imperatorio. *Sal. An.* 1055.

CXXXIX. IOannes Mariana *lib.* IX. *ar.* 5. Sal. Anno 1055. scribit eo tempore, quo *bellis ciuilibus ardebat Hispania, Germaniæ imperium* (*nam in eam prouinciam annis superioribus ex Gallia migrauerat*) *Henricus eo nomine secundus regebat. Romanæ Ecclesiæ Pontifex supremus & maximus erat Leo Nonus. Leonis successor Victor eo nomine secundus pontificatum adeptus, cupiensque sacrati ordinis mores, & vitam superiorum tem-*

Sal. An. 1055. *temporum licentia nimium laxatos, maiori seueritate coercere, Florentiæ, quæ Hetruriæ caput est, Episcoporum concilium egit anno millesimo quinquagesimo quinto. Ex eo conuentu Hildebrandus ex Cluniacensi monacho Subdiaconus Cardinalis, cuius magna erat opinio probitatis, & ingenij dexteritate ad versandos hominum animos valebat maximè, in Germaniam atque Galliam dimißus est, vt Imperatorem de reuocanda veteri disciplina appellaret: Turonis Galliæ vrbe eos motus compesceret, quos Berengarius eius ecclesiæ diaconus, nouis de religione opinionibus excitarat. In eodem conuentu, vt nostrorum historijs memoriæ proditum est, Henrici legati eius iussu & verbis querimonias & mandata ad Patres detulerunt, quorum hæc summa erat. Regem Ferdinandum contra morem maiorum & legum præscripta facere, qui se imperij Romani iure exemptum ferret; & incredibili arrogantia ac leuitate in ipsum imperij nomen inuaderet. Atque ego, inquit, eam iniuriam libenter tolerarem (tantum apud me tranquillitatis studium potest) si nullam præterquam dignitatis nostræ iacturam fieri viderem. Sed in consilio capiendo Patres omnem orbem, quàm latè imperium Christianorum patet, respicite: cuius incolumitas stare non potest, nisi sit vnus, cuius auctoritatem cuncti respiciant, cuius imperio deuincti sint, obtemperent voluntati. Respicite sacrosanctam Pontificum maiestatem, quorum fluxa auctoritas est, nisi Imperatorũ (quos ea de caussa in orbe Christiano proximũ potestatis locum obtinere voluerunt) armis & potentia muniatur. Nascentem temeritatem in ipsis incunabulis comprimite: ne prauum exemplum cessatione nostra, dissimulatione vestra ad alios promanet: & cæteris omnibus prouincijs ad dulce & sæpe fallax libertatis nomen arrectis, imperij & pontificatus sacrosancta maiestas ad inanem appellationem perducatur. Sacrificijs ex ritu Christiano Hispaniam interdicite, Regisque insolentis caput diris execrationibus defigite, quod si feceritis, honori ecclesiæ me non defuturum profiteor, & reipublicæ salutem vnà vobiscum curaturum, quæ in periculum vocatur: sin timore defugitis, me honori imperij non defore, mihique priuatim consulere certum habeo. Secundum eam orationem Patres eam rem sibi curæ fore respondent, re deliberata, Victor pronunciauit, Henricum (cuius rebus vt faueret natura cogebat: erat enim natione Sueuus) videri æqua postulare. Missi legati; Ferdinandum verbis Pontificis & Patrum monuerunt, vt imperio deinceps satisfaceret, & Imperatoris nomine abstineret: quod neque legibus, neque auspicatò desumpserat, dira omnia nisi continuò pareret comminati. Rex ancipiti cura anxius siue morem gereret siue parere recusaret, ne ex vtraque parte grauissimis perpetuisque malis Hispaniam implicaret: concilio gentis coacto de tanta re disputare constituit. Variæ dictæ sententiæ. Pars, quorum religione animi tacti erant, obtemperandum iudicabant: ne Pontificem & Patres in suum caput irritarent, & bello implicarent Hispaniam, quod futurum prouidebant, & quod omni ratione vitandum videbatur: cùm vires prouinciæ in plures Reges distractæ, & intestinis motibus debilitatæ essent: tantumque hostium Christiani nominis, Hispaniæ viscera fatigaret. Pauci pristinæ virtutis memores iugum Hispaniæ libertati imponi grauissimum si morem gererent, disputabant. quod ceruicibus admissum, haudquaquam excuti poßet: præstare in acie mori, omnesq; acerbitates pati, quàm tanto malo & indignitate rempublicam implicari. Rodericus Diacius ea tempestate, opinione virtutis singulari, viuido ingenio, in ipso ætatis vigore circiter annos triginta natus erat, bonus consilio, manu promptus: qui Gormatij Comitem Gomctium non multò antea, in priuata contentione, adacto in viscera gladio peremerat. Occisi patris, pro quo supplicium debebatur, merces Semenæ filiæ coniugium fuit: cùm illa iuuenis virtutem admirata, sibi virum dari, aut lege in eum agi Regem postulaßet. Rodericus ad paternam ditionem, dotali principatu occisi soceri auctus, viribus & potentia validus, quinque Maurorum Regulos, qui Aucæ saltu superato, in Riuogia excursiones faciebant, cum tumultuaria manu prælio vicit: prædaque omni adempta captos ea lege dimisit, vt sibi vectigales eßent, & quotannis tributum quod imponebatur ex fide penderent. Accidit vt Zamoræ (quam vrbem ex quo Ramiro tertio Rege euersa erat, iacuerat que prostrata, Ferdinandus reficiendam curarat, datumque ciuibus, vt suis legibus, hoc est antiquis Gotthorum viuerent,) pactum vectigal, quinque Regulorum legati repræsen-*

Sal. An. 1055. præsentarent, Cidumque honoris caussa vocarent: quod nomen Arabum lingua dominum significat: utrunque coram Rege & alijs principibus factum: quæ res multorum illi inuidiã conciliauit: & est natura insitum ut recentem aliorum felicitatem malignis oculis aspiciamus: modusque fortunæ à nullis magis exigatur, quàm qui in æquo fuerunt paulò ante. Rex id nomen ratum illi esse voluit: eoque deinceps per totam vitam cohonestatus est, veteris appellationis nulla ferme memoria. Sunt qui de Calagurris possessione urbis ad Iberum sitæ, Ferdinandus & Ramirus Reges cùm disceptarent, rem ad singulare certamen deductam affirment, & pro Ramiro Martinum Gometium, pro Ferdinando Rodericum pugnasse. Victum ac trucidatum in certamine Martinum, unde origo generis ei familiæ, cui à Luna cognomen est in Hispania vetustæ & nobilissimæ, & quæ tot insignes viros procreauit: quæ ut tanquam falsa reijciam, facit Garsiæ Vasconum Regis armis eam ciuitatem Mauris ablatam esse, uti paulò ante dictum est: nihilque in ea iuris Aragonio Regi esse potuisse. Omnino Rodericus noui coniugij illecebris, multisque ex eo negotijs implicitus, quo tempore de imperij iure suscepta deliberatio est, concilio gentis non interfuit. Regis animus cùm ætatis inclinatione ad pacem quàm bellum propensior erat: tametsi non ignorabat haud à paruo initio ius libertatis imminui: rogari tamen Roderici sententiam placuit, priusquam certi aliquid constitueretur. Negat ille consilij rem esse: armis defendendum, quod armis erat partum. Iniquum videri alienæ virtutis fructum ad eos redire, qui rebus perditis periculum & laborem non communicassent. Nonne, inquit, emori per virtutem præstat, quàm libertatem à maioribus partam ludibrio esse genti barbaræ & immani: quæ præ se omnes homines contemnit: cuius superbæ sunt aures, contumeliosa dicta, aditus difficiles, nouæ crapulæ, inhumana crudelitas? An qui modò vix Maurorum seruitutem euasimus, nouum à Christianis paratum seruitium suscipiemus? Ludibrio nos & nostra habent. Vniuersus orbis, quàm latè nomen Christianum patet, Germanis Imperatoribus paret scilicet? Omnis gratia, potentia, honos, diuitiæ nostro & maiorum sanguine parta Germanis cedent: nobis relinquent pericula, repulsas, iudicia, egestatem? Romani imperij iugum, quod maiores nostri excusserunt, reponet Germania? erimusque vulgus sine gratia, sine imperio, sine auctoritate: ijs obnoxij, quibus si vigeret animus, si viri essemus formidini esse deberemus? At difficile est Imperatoris conatibus resistere, Romani Pontificis iussis non obtemperare: verùm infirmi animi est, pro belli timore incerto, certissimis malis rempublicam implicare: multa experiundo fiunt, quæ segnibus ardua esse videbantur. Occupauit nescio quæ multos torpedo, quos neque gloria mouet, neque flagitij infamia: satis magnam libertatem ratos, quod à flagris abstinetur. Tam auersas Sanctissimi Pontificis aures à rebus nostris fore non arbitror, ut non iustissimis precibus, atque æquitate caussæ moueatur: mittantur modò, qui nostræ libertatis caussam audacter coram eo tueantur, doceantque iniqua petere Germanos. Mihi stat sententia, armis susceptam à maioribus libertatem tueri, aduersus omnium hominũ conatus, hocque ipso gladio defendam patriæ proditores esse nequissimos, quicunque aut ineptæ religionis simulatione, aut præposteræ cautionis specie diuersum consilium dabunt: neque maiori cura statuent seruitutem repudiandam, quàm illi dominationem appetunt. Quantum quisque patriæ libertati studebit, tantum illi aut amicus ero, aut infensissimus aduersarius. Vicit Roderici sententia, atque secundum eam Pontifici quidem responsum datum, aduersus autem Imperatoris conatus, magnis tota prouincia delectibus, numerosus exercitus conflatus, in quo decem millia militum erant, adiunctaque Maurorum auxilia, ex ijs urbibus, quæ Regi vectigales erãt, copijs omnibus Rodericus præpositus, cuncta administrare iussus. Ad hunc imperij summa respiciebat. Placuit ad ostentationem virium superatis Pyrenæi saltibus in Vascones penetrare. Tolosam usque peruentum, urbem ea tempestate amicam (sic puto): unde honestissima legatio ad Pontificem missa, obtestatum ut re diligentius perpensa mitteret, qui coram in re præsenti de iure imperij disceptarent. Eius legationis princeps Rodericus Comes erat, alius à Cido, & Aluarus Fannius Minaia, ijs agentibus facile ab æquissimo Pontifice est impetratum, ut Rupertus Sanctæ Sabinæ Cardinalis cum amplissimis mandatis, præterea Imperatoris legati, eius controuersiæ com-

Sal. An. 1055. componendæ caussa venirent in Hispaniam. Tolosæ vbi legati constiterunt, Ferdinando Rege interea in patriam reuerso, agitata caussa, atque pro libertate Hispaniæ pronunciatum est: decretumq; Germanis nullum deinceps ius in Hispaniæ Reges fore.

CXL *PROVOCATIO HENRICI III. IMPER. Aduersus Henricum I. Regem Franciæ An. 1055.*

PAschali Padobrunnæ celebrato festo, in Galliam Belgicam proficiscitur Imperator, Ibique in confinio vtriusque Franciæ cum Henrico I. Francorum Rege coit, eundem, dum Germaniam maioribus præreptam, pacta violata conqueritur, ad singulare prouocat certamen. Henricus verò intempesta nocte, insalutato Cæsare fuga sibi consuluit, ita *Auentinus*. Nec longe dissimile factum enarrat *Mezeraij* gallico idiomate. (An. 5. p. 428.) *Thibaud Comte de Chastres ayant sur le coeur que le Roy l'eust despouillè de la Comtè de Tours, & n'en ayant pù auoir raison, alla trouuer l'Empereur à Mayence qui le fit son Cheualier, & luy promit sa protection.* An. 1055. *Pour preuenir les semences de ialousie & de discorde que ce voyage pouroit iettees entres l'Empereur & le Roy, ils trouuerent bon de s'esclaircir par vne mutuelle entreueuë dans le mesme endroit de la premiere. Le Roy s'y plaignit que l'Empereur auoit contreuenu aux articles de l'alliance, mais il n'en rapporta aucune satisfaction; & ayant conceu quelque crainte d'vn mauuais dessein sur sa personne, se retira de nuict.*

MORS IMPERATORIS HENRICI III. Sal. An. 1056.

CXLI SVperbo multorum principum tumescit funere Annus 1556. Theodora Augusta mortua, Michael Stratioticus excipit Orientis Imperium. Occidentis verò Imperator Henricus III. obit III. Non. Octob. An. Æt. 41. in die natalis sui, hoc est V. Kal. Nouemb. Spiræ à Papa sepultus, vt ait *Chronic: Augustense*. Sal. verò An. 1057. IV. Non. Octob. dicit *Chronica Australis*. Sed anno ætatis suæ 39. regni verò 18. Imperij 15. Indictione x. in Saxonia in Bothfeldino mortuus, Spiram translatus, iuxta patrem & matrem sepultus; vt ait *Continuator Herman. Cont.* filio prius declarato hærede; & successoris tutela vxori Agneti comissa; oculos eiusdem Imperatoris claudente Victore Rom. Pontif. quem leuandi animi gratia ad se acciuerat, cum Saxonum recepta clade tristaretur ad mortem. Ab omnibus (ait *Marianus*) veniam petens, iniurias indulgens, ablata restituens, Dei leniuit iustitiam. Quam exacerbatam protulit Guntherus tunc temporis, Cancellarius Imperatoris, vt narrat Lambertus. *Hoc anno Guntherus tunc temporis cancellarius Imperatoris, visionem vidit memoria dignam: dominum in solio maiestatis sedere, & eleuato in altum brachio districtum gladium magno nisu vibrare, & circumstantibus dicere: Reddam vltionem hostibus meis, & his qui oderunt me, retribuam. Quam visionem protinus mortalitas principum secuta est. Eaque expleta, vidit eodem rursus schemate Dominum residere, & remisso iam in vaginam gladio, & super genua sua reclinato, dicere circumstantibus: Ignis accensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima.*

Victor Papa adstat morienti Hērico.

CXLII *Visio terribilis*

In Henricum nonnulli hæc tela contorquēt. Nec prætercam, quæ ex antiquo M.S. Chronico Monasterij Cassinensis descripsisse profitetur Baronius; dæmones accurrisse ad obitum eiusdem Imperatoris, eundemque vt suum vindicarent; sed ab eorum manibus traditur liberatus S. Laurentij intercessione, cuius cultor propensior extiterat. CXLIII *Henricus defenditur à S. Laurētio aduersus dæmones*

Armorum namq; terror, religionis compatiens humilitatem, non sepè ab hostili pugna imperialem auocauerat manum, ad carnis flagella, ad bella vitiorum: Præsertim cum Hannonis Coloniensis Archiepiscopi lingua, veluti strepente tuba excitatus Henricus, Præsulis maiestatem ducens longè suis præcellere meritis, & suam coram Sancto erubescere purpuram, numquàm regalia insignia sibi præsumpsit imponere, nisi clam per confessionis, ac pœnitentiæ, verberum insuper satisfactionem, licentiam à quolibet sacerdotum suppliciter mereretur. Imò *magna imminente festiuitate, cum Pontifices, duces, Comites, & cuiuscumq; aliùs dignitatis & ordinis viri regiam vndique properarent ad Curiam, cum & ipsum mos, & honor impositus trabeatum exigeret procedere, non inscius Sanctitatis, & vitæ proba-* *Reginar. in vita S. Ann. c. 6. apud Surium t. 6. die 4. Decemb.* CXLIV *Henrici pœnitētia*

Sal. An. 1055. *probatissimi inter Præsules Annonis, vt suæ consuetudinis seruaret institutum, supplex & pœnitens eum cœpit adire. Mox sacer Antistes auctoritate plenus, tali in negotio imperialem paruipendens magnificentiam, sicut parcere solitus erat inopi & pauperi; sic opportunitatem adeptus, misericors sine misericordia cœpit sæuire in Principem. Nam vehementissimis eum inuadens correctionibus, quidquid animo prò iustitia concitato se obtulit, liberè & constanter effabatur, illumque durissimis verberum plagis afflictum non aliter ea die coronatum incedere consensit, quàm prius manibus suis triginta tres argenti libris in pauperes expendisset.*

Mortis causam nonnulli tradunt, quòd buccella panis grandiore fuerit suffocatus. *Dodechinus* scribit eum iecoris ceruini esu mortem accelerasse, 5. Octob. Ætat. An. 39. Imperij 17. Mense. 7. Corpus eius Spiram Nemetum translatum, sepelitur Die Simonis, & Iudæ, quo natus etiam fuerat, in Æde Virginis Mariæ. CXLV CXLVI.

Inscriptiones Mausolei Spirensis

Anno Dom. Incarnationis M.LVI. Henricus Imper. Non. Octob. obijt.

II. CXLVII.

Pannonio geminos Henricus ab hoste triumphos
Contusis retulit viribus, Hunne, tuis.
Subicit Austrasios, ac iusta per arma Bohemum
Vincit: & à Capua, castra inimica fugat.
Qua situs est Genitor, requiescit in vrbe sepultus
Ad liquidas Rheni prætereuntis aquas. Georgius Sabinus

Symbol.

Qui litem aufert, execrationem in benedictionem mutat.

CAPVT TERTIVM.

Occasione perfidæ & dolosæ Legationis Hungarorum ad *Henricum III.* Imper. *de Legatis* Tractatus occurrit: & primò.

LEGATORVM ORIGO.

1. *Legatorum nomen æquiuocum est.*
2. *Legatus castrorum fiduciariam operã agit.*
3. *Legati militares vel Consulares, vel Prætorij.* 5. *sub Imperatoribus non habebant ius triumphi.*
6. *Legatus idem ac Orator.* 7. *officium, conditio.* 9. *à legendo dictus.* 10. *à legando.* 11. *Missi dicuntur.* 12. *definitio legati.* 12. *&* 28. *Legati Oratoris definitio.* 13. *publici, vel priuati.* 14 *Ordinarij, extraordinarij.* 15. *legati nomen cui competat.* 27. *debet esse missus.* 31. *vt gaudeat iure legatorum, quid necessarium sit.*
13. *Legatio ad Regem Cypri prò Familia* Cornelia Piscopia.
15. 30. *Nuncij, Agentes, Comissarij, legati, tabellarij, & deputati differentia.*
16. *Vrbanus. VIII. Commißarios Hispanos recipere renuit.*
17. 21. 23. *Legationes liberæ quæ, & cur?* 19. *&* 25. *quanto tempore durarent.* 20. *quandò sublatæ.* 26. *damnosæ quando facta?*
22. *Catonis superbia cum exciperet Ægypti Regem.*
24. *Romanorum superbia lictores Senatoribus dabat.*
29. *Legatos mittendi potestas apud quos* 33. *Clericus sine insignibus non gaudet immunitate.*

1. SI Principis sui Legatus haud pœnam luit, inconcinnum licèt exponat mandatum; quid iniuriosum mihi, si legatorum expromam arcana, & in aperto campo veritatem manuducam. Barbaris etiam ius aggredior sacrosanctum, non bis licèt à politioribus violatum, talionis prætextu vel aliunde, quarum rerum causas exponam, vel facta, cum historicum egero; interim iura insequar, vt legista.

Legatorum æquiuocum nomen est; & Oratorem designat, qui Principis, vel populi mandata defert; *Legati responsa ferunt,* canit ij. Eneid. Virgilius. Italicè *Ambasciatore*: vel qui in castris Imperatoris vice fungitur, & Italicè dicitur *Luogotenente*, vt & apud Cæsarem videre est; *Neque se ignorare, quod sit officium legati, qui fiduciariam* l. 2. de Bello Ciuili.

L *operam*

Sal. An. *operam obtineret*. Vbi legatum propterea
1055. fiduciariam operam obtinere dixit, teste
Budæo, quia redeunte Imperatore, aut
Consule, cedere eam oportet. *Aliæ enim*
II (ait idem Cæsar) *sunt legati partes, atque*
Imperatoris. Alter omnia agere ad præscriptũ;
alter liberè ad summam rerum consulere debet.
III Propterea Sulla Cæsaris legatus, cum ag-
gredientes Pompeianos fugasset, & fugien-
tes si acriùs insequi voluisset, bellum eo die
de Bello potuisset finire, legiones reuocauit victrices,
Ciuili l. quia à Cæsare castris tantùm fuerat præ-
5. fectus. Militares Legati cum præsentium
non sint obiectum, satis sit adnotare, sub
Imperatoribus duo fuisse Legatorum gene-
ra; Consulares, qui toti præerant exercitui;
Prætorij, qui legionibus singulis. Quod
IV ab Augusto repertum, qui cuncta Reipu-
blicæ discordijs ciuilibus fessa nomine prin-
cipis solus & vnus acceperat. Hic cum rem
per Legatos administraret; legati ius non
habebant triumphi, quia omnia alienis ge-
rerent auspicijs. Legati item Consulares
V erant, qui è consulatu in prouincias mitte-
in indice adTacitũ rentur; vt à Prætura prætorij. Horum ge-
nera, qui cupit, videat apud *Melchiorem*
VI *Frinshemium*. Ad Legatos Oratores ve-
niamus, qui *Oratores* dicuntur ab oratione,
quæ cum sit acerrimum legationis telum,
ad res arduas vnus ille legatur, qui sit En-
Gellius l.12.c.2. nio teste *Flos delibatus populi, suadæque*
medulla non tamen in hoc mittitur, vt ani-
mi perturbationes cantu componat, vel
VII eloquentiæ tympanis cuiquam obstrepet,
sed vt prudentiæ armis inflectat animos, sa-
tagendo, vt domum remeet saltem vna syl-
laba auctior, & cum *orator* perrexerit; re-
deat *exorator*. Legato itaq; Castrorum præ-
termisso, quem vt Imperatoris vicengeren-
tem ἀντιστράτηγος Græci vocant: ad Legatum
Oratorem, qui grecè dicitur πρεσβύτης ac-
cedamus.
VIII *Genes. 32.n.5.* Legati etymologiam à *legendo* sumit
Varro lib. 5. *Legere* (inquit) *dictum quod*
legantur ab oculis litteræ. Ideò etiam Legati,
quod vt publicè mittantur, leguntur, & lib.
IX 4. *Legati, qui lecti publicè quorum opera*
delingua latina l.5. *consilioque vteretur peregrè magistratus; qui-*
uè nuncij senatus aut populi essent. Sed a
legando dicerem, quod *missionem* significat.
Audire (ait Cicero) *quo tandem Senatuscon-*
sulto legatus sis. Ne hoc quidem Senatui re-
linquebas, quod nemo vnquàm ademit, vt
Legati ex eius ordinis auctoritate legarentur.
Vnde & alio nomine *Missi* dicuntur, vt X
Oratores Cæsaris, *Missi Regales* apud Gre- *inVatinium*
gorium Turonensem. Cum verò *Legati*
nomen & Oratoribus ad Reges extraneos,
& exercituum ducibus commune sit, pro-
miscuum & mixtum eorum explanauit offi- XI
cium Cicero, vt Legatus *sit nuncius pacis, ac*
belli, curator, interpres, bellici, consilij au-
ctor, minister muneris prouincialis, à Se- *l.5.hist.*
natu delectus. Vel, in specie Legatum, seu *Fran.*
Oratorem dices *qui alterius nomine responsa*
fert publica. iuxta illud *Virgilij* *Orat. in Vatin.*
Legati responsa ferunt XII.
Legatorum verò & Legationum nomina *Legati*
sunt diuersa, vti & officia. Sunt enim alij *definitio*
publici, siue cum mandatis, alij *priuati*, & *Aeneid.*
sine mandatis ij; alio nomine *liberi*. Vel pri-
uati, quia licet à Republica missi, priuato-
rum agunt negocia, vt de Francisco Quiri- XIII
no Venetorum legato ad Regem Cypri An.
1394. Mense IV. Kal. Septemb. ad redi-
mendas vexationes quas Veneti patie-
bantur in Regno Cypri, precipuè Io:
Cornelij q. Federici Piscopiæ, à quo
descendit familia Cornelia cognomine
Piscopia, quæ feudataria tenebat oppida
Morsum, & *Piscopiam*. Propterea dimidium
expensarum occasione legationis soluere
teneretur Cornelia familia, cuius gratia
erat directa legatio. Alium semissem Com-
mune Venetiarum, & societas Mercato-
rum.
Publici alij *sunt ordinarij*, pro qualitate XIV
agendorum absentes, & voluntate mitten-
tis: alij *extraordinarij*, certam duntaxat
expeditionem agentes: & Legati dicuntur
si adæqualem, vel maiorem Principem mis-
si sint, vt cum ad fratrem Esau misit lega- *Genes*
tionem Iacob. Nam si ad inferiores, vel si- *32.n.5*
bi fidelitatis iuramento obstrictos mittan-
tur, *Agentes* appellantur, vel Nuntij. Iupi-
ter qua appellatione Mercurium honestat,
quum mittit ad Regem Iarbam
Nauiget hæc sũma est, hic nostri nuncius esto.
Si autem ad Prouinciales, vel subditos mis-
si sint, *Comissarij* dicuntur, vt quum hu-
mano generi misit dominus Noe, vt terrore XVI
Diluuij conuerteret ad pœnitentiam. Inde
Rom. Pontif. Vrbanus VIII. Hispaniarum
legatos, nomine *Commißariorum* Romam
missos

Sal. An. 1055. missos recipere recusauit sub hoc titulo, quia (vt notat Baptista Nanius) titulus iste iurisdictionem annuere videretur. *Histor. lib. 9.* Si verò ad Principem à subditis, *Deputati* & hæc de publicis. *An. Sal. 1033.*

Legationes verò liberæ, quas Senatores causa priuati negotij à Senatu, ad aliquod tempus impetrabant, tribus ferè de causis
XVII postulari solebant. *Voti soluendi*, vt de Cice- *ep. 22. l. 14. ad Atticū.* rone legitur. *Vitandi periculi*, vt cùm Senatus Scipioni Nasicæ liberam legationem in *l. 2. ep. 18. l. 15.* Asiam decreuit, vt plebis odium declinaret, ob mortem Tiberij Gracchi, cuius au- *ep. 11. ad Atticū. & l. 11. ep. famil. 1.* ctor Nasica fuerat; *Plutar.* Sic Cicero ad effugiendam Antonij tyrannidem, ius liberæ legationis habuisse testatur *Philip.* 1. Idem legitur de P. Lentulo Reipublicæ amantissi- *in Gracchis.* mo ciue, qui inuidia & obtrectatione compulsus, liberam legationem à Senatu impetrauit, habitaque concione à Dijs immor-
XVIII talibus petijt, nè vnquàm ad ingratum populum reuerteretur, vndè in Siciliam profectus est voto potitus. *Hæreditatum & Syngrapharum* causa, vt s. hæreditates cum aliqua auctoritate obire possent. Quibus au- *l. 12. ep. fam. 21* tem darentur hæ liberæ legationes? soluit Cicero, *Senatoribus*, quibus & lictores dabantur, vt Cicero pro C. Canicio Cornificium rogat: *idq; à te peto, quod ipse in prouincia facere sum solitus, non rogatus, vt omnibus Senatoribus lictores darem: quod idem acceperam, & cognoueram, à summis viris factitatum.*

Hoc ius legationis liberæ quanto tempo-
XIX re protrahi posset? idem Cicero tradit, lege *ep. 11. l. 15. ad Atticū.* Iulia quinquennium definitum esse, quod in suo consulatu forsan tollere tentauit; vnde in libris de legibus scribit *legari quemquam nisi Reipublicæ causa turpissimum.* Quia dedecoris potius, quàm honori Reipublicæ, &
XX oneri populorum essent. *Legatos nostros, homines* (ait Cicero) *auctoritate tenui, qui* *Orat. 2. de leg. Agrar.* *rerum priuatarum causa legationes liberas obeunt, tamen exteræ nationes ferre vix possunt; graue est enim nomen imperij, atque id etiam in leui persona pertimescitur: propterea quod vestro, non suo nomine, cum hinc egressi sunt, abutuntur.*

Ad quid, si quæras, hæ liberæ legationes
XXI Quiritum, (cum libera legatione absens, *l. qui libera ff. de Legation.* quia sui non Reipublicæ causa, non diceretur abesse) vt ait Vlpianus: nec publico sed suo sumptu isti alerentur legati, quia nullo tempore, locoue circumscripta, nullis esset reddendis rationibus obnoxia? dicam, Ma- XXII gnitudinis aut Romanæ fuisse superbiæ, quæ regali se potiorem præbebat dignitati, vt de Catone apud Plutarcum legimus, cui cum Ptolomæus Rex Ægypti, (Romæ iste aderat) prænuntiare fecisset, an illum conuenire posset, sibi blandiens, vt ipse Cato Regem ad se non pateretur venturum, sed Regi præcurreret; Cato, quum eo tempore purgando ventri operam daret, iussit Ptolomæum, si ità placeret, ad se venire, ac ei venienti non obuiam processit, nec assurre- XXIII xit, sed tamquàm priuatum quendam recipiens, accedere iubens, primo congressu regem turbauit, & in admirationem conuertit, quod sub populari mente, & simplici, tanta superbia, insolentiaque lateret. Hæc illa, quæ publica Legatorum nomina priuatis Senatoribus dedit: vt senator res suas inuisurus, tutus peragraret; & sanctitatis, ac maiestatis insignibus sẽper adspiceretur circundatus. Inde & lictores dabantur: *id-* XXIV *que a te* (Cicero pro C. Canicio) *peto, quod* *Epistol. lib. 12. ep. 21. Cornificio.* *ipse in prouincia facere sum solitus non rogatus, vt omnibus senatoribus lictores darem: quod idem acceperam & cognoueram à summis viris factitatum. Hoc igitur mi Cornifici facies: cæterisque rebus omnibus eius dignitati, reique, si me amas, consules.* Licet vt supra diximus, huius superciliosæ legationis osor Cicero factus, ex quinquennali annalem fecerit, quam Leuino Tribuno plebis contradicente, in totum auferre nequiuit. *Omitto* (inquit Cicero) *quemadmodum isti se gerant aut gesserint, qui legatione hæreditates aut syngraphas persequuntur, quod est fortaßè vitium: sed quæro quid possit* XXV *turpius, quàm sine procuratione senator? Legatus sine mandatis, sine vllo Reipublicæ munere? Quod quidem genus legationis, ego* *de Legib.* *Consul, quanquàm ad commodum Senatus pertinere videatur, tamen approbante Senatu frequentissimo, nisi mihi Leuinus Tribunus Plebis intercessisset, sustulißem: minui tempus, & quod erat infinitum, annuum* XXVI *feci: ita turpitudo manet, diuturnitate sublata.* Sed hæ liberę legationes, pressa Reipublicæ libertate, quæ in subsidium iniusti grauaminis quandoque dabantur, honoris prætextu versæ sunt in instrumenta tyran-

 nidis,

Sal. An. 1655. nidis, quibus vel relegarentur, vel deportarentur benemeriti ciues, vt de Catone Cyprum relegato, legationis prætextu legimus: quæ cum libera non esset, ostracismum veriùs dices, quàm legationem. (Plutar. in vita Catonis minor.) Verùm hæc omnia cum iam antiquata langueant; ad Legatum, seu Oratorem Missum reuertamur. *Qui alterius nomine publica efert responsa* dicebatur Legatus; à qua definitione quia abest particula *missus*, non subscriberet eruditissimus Brunus, disertissimè (Legation. 10. c. 5.) probans sine missione, & mandato nullam esse legationem. Quam Christus, vt in se legitimè probaret impletam, toties penès Euangelistas Hebræis verba illa inculcasse

XXVII legitur: *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum, qui me misit. Sermonem, quem audistis non est meus: sed eius, qui misit me, patris*. Vnde vt Apostolorum legationem resonaret iuridicam, inquit. *Sicut misit me pater; & ego mitto vos*. Et sicut in Orbem catholicum prædicaturus nemo venit, nisi mittatur, vt ait Apostolus: *Nam quomodò prædicabunt nisi mittantur*? ita in Orbem ciuilem, atque politicum. (Ia: 12. & 8. Luc. 4. mar. 3.) Quomodò verò missi probentur, nè falsam plaudas legationem, infrà dabimus. His positis, clara erit Legati definitio, vt sit *à Principe ad principem missa persona, agendorum publicorum titulo, & causa*. (Io; 20.) A Principe ad Principem dicitur, Monarchia sit, Aristocratia, vel populare imperium. *Missa* & genus est, sub quo cursores, tabellarij, procuratores, nuncij, deputati, & comissarij stant. (Legati definit.) *A Principe, ad Principem*, quia non omnibus ius est mittendi, & recipiendi legatos; sed inter supremæ XXVII. Maiestatis signa est Legatio missa vel recepta; teste Curtio. *Et pristina quidem regia species manebat. Nam & Legati gentium Regem adibant*. lib. 10

XXIX

Agendorum: vt a tabellarijs secernantur Legati: nam illis fides tantum committitur, nè itineris tempora excedant vel loca. Legatis verò vltra fidem, industria, prudentia, quæ vt plurimum gladio fortior, Regibus famam conciliat. XXX. *Publicorum causa* ad differentiam nuncij priuati, quem à Iacob ad Esau missum videre est *Genes*. 32. *num*. 3. XXXI

Titulo, vt enim Legatorum iure Missus gaudeat, non sufficit publica causa, nisi accedat & titulus; Quid enim si furens populus in eum sæuiat, quem Alienigenas regis latet esse legatum? XXXII Sibi imputet, quod nomine, & insignibus expoliauerit legationem, vt de clerico dicitur, cui immunitas Ecclesiastica iure negatur, si clericalibus exeat nudatus vestimentis. XXXIII

LEGATIONIS NECESSITAS.

CAPVT QVARTVM.

1. *Terræ diuisio*. 2. *Societas mater discordiæ*
1. *Legationibus natura iam dispersa ad vnitatem reuocatur*.
4. *Oratio, reconciliatio est societatis humanæ*.
5. *Sol astra ducit in subsidium*.
6. *Legationis necessitas*. 9. *vtilitas* 10. *per eam bella vitantur*.
7. *Græcorum obstinatio in legatis non mittendis*.
8. *Turpe an sit legatione præcedere æmulum*.
9. *Litteræ non sufficiunt ad componendam pacem*.

I. NAturam cum quasi pœniteat terram vnius labij quondam diuisisse, in vnum reuocat, quæ lingua diuisit. Societas cum sit discordiæ mater, voluit partiri limite campos, & terminari confi-

II nibus regna. (necessitas diuisionis bonorum) At, nè Orbem segregaret in Orbes, participatione commertij in vinculo pacis reintegrauit vnitatem. Aromata vni natura largiente populo, auri fodinas alteri; cui metalla, cui fruges, haud omnibus omnia; ne in confusionis & dispersionis vindictam homo hominem declinaret, aduersùs auctorem innocentiæ pœna retorta, si tanti operis votum fuit discordia concors. Soli itaque sterilitate communionem reparat, & in Societatem supplices trahit, quos vbertas impelleret in feritatem. Si extra societatem qui non est Deus, est bestia; *Zelotypiâ* Imperij Deus ipse, nè diceretur vera promere pater mendacij, dum protulit, *nequaquàm moriemini, sed eritis sicut Dij*; necessitatis ministerio dispersos congregat, & penè to-

An.Sal. 1055. to diuiſos Orbe cõciliat. Naturæ arcanum, quod forſan omnes fugit: vt illa oratio, quæ in Babylone ex vno fecit plures, ex pluribus faciat vnum; propterea Cicero *orationem* humanæ ſocietatis conciliatricem vocauit: qua nobis per noſmetipſos, per liberos noſtros, aut quos in poteſtate vel ſub imperio tenemus, acquirimus; ſeruamus, recuperamus. Literis quoque adeſſe videmur abſentes, quia non minus ac voces, eorum ſunt notæ, quæ in animo concipiuntur. Veruntamen cum adulterinis characteribus cum homines tum vrbes perditi ſint, vt de Hippocrate Syracuſarum tyranno legitur; & T. Quintio Romano Conſule; muto corpori ſancitum eſt loquelam dare, qui ſibi vtilia expoſceret, nociua reſpueret. Hæc eſt legatio quæ muto imperio eſt, vt homini lingua, quæ vicem Imperatoris gerat, quem vbique adeſſe nec decet, nec poteſt. Sol qui velociſſimo viginti quatuor horarum curſu totum luſtrat Orbem, non tam vt lumine nobis præſit, & veluti in regiam manuducat, quàm vt planetarum miniſteria exploret, aſtra ducit in ſubſidium, & lumina minora ſubſtituit quò ipſe nequit pertingere; ne minori congeretur extra Eclipticam currere maieſtate; vel incendij periculo radios carcere coercere. Ita Principem vbique adeſſe, nec maieſtas patitur, nec permittit ſecuritas, nec celeritas exhibet. Vicarium deligit, & corporum reduplicatione vbique adeſt, & abeſt, quemadmodùm arcana dominationis exigunt. Sine iſtis vicarijs, quos legatos appellamus, quomodò abſentium Regum expedirentur negotia, componerentur diſſidia? ſi perſonaliter peragenda, & inter pares vrgeat litigium, quis ibit, & quis ſtabit? par in parem non habet imperium, & vtrumque loco mouere, vt eodem temporis puncto pari paſſu, pari maieſtate conueniant quemadmodum ad Pyreneos montes Sal. An. 1664. Philippum & Ludouicum Gallorum & Hiſpanorum Reges vidimus) idem ſit, ac duos Soles in Cælo expectare, quod inter phenomena etiam raro vidimus, Regum conuentum ſæpe deſiderauimus; ſed languerent fœdera, ſi Legatos non excogitaſſet neceſſitas, Quis non irrideret deliramenta Græcorum, vnius erant linguæ, & mallebant ſeſe bellis collidere, quàm

Marginal notes (left): IV *Oratio eſt naturæ conciliatrix.* — *Epiſtolarũ ius* — *Tit. Liuius l. 4. Secundi belli pu. nic.* — *Liuius lib. 10. de Bello Macedon.* — *legationis neceſſitas* — V — VI — *legatio inuiſa Græcis.*

mittendis vltrò citroque legationibus coaleſcere. Vel cum bello graſſante ſed vtriq; parti oneroſo, pacis tamen petendæ initiũ facere vtraque turpe ducit, vt de Athenienſibus, & Philippo Macedonum Rege apud Demoſthenem legitur: *de falſa legat.* *Herodot. lib. 7.*

VII Litteris, ſi dicas, poſſe omne componi litigium; Litteræ mutæ ſunt, & in arena nequeunt conſilium capere. Nouam ſi

VIII opus ſit epiſtolam expectare; cum venerit haud forſan arridebit occaſio, vel penitentia conſilij, vel aduerſarij ſorte mutata, vel arcano detecto; quibus omnibus perſonalis obſtat præſentia Legati, quæ Regis vicaria plena maieſtatis, plena verbis, plena temporis, veluti riuus à fonte demiſſus locum mutauit non aquam, tot exponit epiſtolas, quot verba profert, quibus reſponſum nequit maturare locorum diſtantia, ſed præmaturum colligit Legatorum præſentia. Hi à prudentibus buccina dicti ſunt & organa Regum, quibus abſentium voces conferuntur; & quibus Principum paſſio diſtrahitur. Eos ſæpè colloqui, eſſet collidi: cum & honoris tituli, & cæremoniarum formulæ ſi ad ſyllabam ſint prætermiſſæ quàm facile in indignationem & bella prorumpant. Meritò ergo Cyrus ponebat legationem inter eas res; quæ ſunt maximi omnium momenti, nimirum vt ſine bello impetretur id quod ſuadet æquitas, & poſtulat neceſſitas. Inde Sylla Archelao Mithridatis præfecto. *Si regi* (inquit) *iniuria facta eſt, æquius fuit quæſtum mitti legatos ad Senatum, quàm impetu iri in aliena, & ſeuitiam intendi in iugulum tot innocentium.* Cum omnia prius experiri, quàm arma ſapientem deceat. Nuncios Iacob miſit ad fratrem Eſau, qui muneribus fratrem demulcirent. Ad homines perduelles mittitur ex alto Noes, & fuit *Commiſſarius*, cuius fidei non tam hominum pœnitentia, quàm generis humani fuere commiſſæ reliquiæ. Ad Pharaonem mittitur Moyſes, vt Iudæos manumitteret. Miſerunt filij Iſrael ad tribum Ruben, Gad, & Manaſſe decem Legatos, exploratum, qua mente trans Iordanem conſtruxiſſent altare. *Reſponderunt* autem *filij Ruben, & Gad principibus legationis Iſrael*. Sic profanos ſi reuoluas annales, bella vitandi cauſa leges apud Homerum, Agamemnon lega-

Marginal notes (right): IX *legati vtilis præſentia.* — X — *Xenoph. de inſtit. Cyri l. 8.* — *legatio arma præcedat.* — *Appian Alex. mithr.* — *legatorũ exempla.* — *Geneſ. 32. n. 5.* — *Ioſue 22. nu. 21.*

Sal. An. 1055. legationem dedit Vlyssi & Menelao ad Troianos, vt Helena viri redderetur penatibus. Legationem itaque prima hominum cōmunio inuenit, cuius erat necessitati consulere.

DIGNITAS LEGATORVM.
CAPVT QVINTVM.

1. Legatorum, nobilitas, & meritum quale debeat esse. 2. legati symbolum. 3. diuinitatis particeps. 4. legati nomen Regi non est indecorus. 7. Nomen quando inuentum. ij. Deus legatus dicitur.

3. Regis & legati diuinitas quomodò differant.

5. Iris & Mercurius Deorum nuncij.

6. Orator cur inuentus? omnibus vtilis.

8. Angelus idem ac Legatus

9. Gabriel Archang. magis gloriatur, de legatione ad B. Virginem, quàm de sua natura.

10. Baptista ante Christum legatus mittitur, quia omnium maior.

12. Paulus Christi legatus.

Dan. 3. AVream illam statuam, aulicos excitarem adoraturos vno in Legato, quam *altitudine cubitorum sexaginta*, (merita & nobilitas legati. tot in legato debent esse meritorum gradus & virtutes) *latitudine cubitorum sex* (vt per sæcula saltem nobilissima Legati fulgeant natalia) erexit Nabuchodonosor: congregatis satrapis, magistratibus, iudicibus, ducibus, tyrannis, præfectis, omnibusque regionis principibus, vt conuenirent ad dedicationem statuæ (quia nulli fas non venerari Legatos). Veruntamen cum
II. muta esset statua illa, Legatus verò in partem solicitudinis veniens, viuum sit principis simulacrum & eū, quoties exteri super bello, pace, inducijs, fœderibus, commeatibus, nuptijs, & id genus, alijs conueniunt; ad *Memnonis* statuam, quæ Solis repercussa radijs, dulciter resonabat, & sciscitantibus, responsa dabat, aulicos prouoco, in vultu Legati, regnantis suspicere maiestatem.
III *Senatus faciem secum attulerat, auctoritatem Reipublicæ* de quodam legato aiebat *Tullius*. Muneris dignitatem cum intelligeret Cyrus, Imperatorijs à prima ætate artibus eum duxit instituendum, qui legatione fungens, vicem gereret Diuinitatis. Si
IV Dij terræ sunt Principes, non minori fulgebunt maiestate Legati, quæ etsi non originaria sed desuper communicata, eadem tamen, & ab ipso Rege diuersa, quòd in eo permanens, in legato transiens. (Deus functus officio legati) Cæterum si diuinitati, nec regiæ obstabit potestati titulus legationis. Deum illum commenta Antiquitas

Alatis qui cruribus æthera carpit.

aliorum Cæli colarum nuncium, & renuntium designauit, cuius signo illi Caducæum datum est. Officia namque cum sortirentur Superi, solis, Iridi, atque Mercurio comissa legatio: illa in obsequium Iunonis, iste Iouis

Irim de Cælo misit Saturnia Iuno &

Hinc se sustulerat paribus Caducifer alis

Non itaq; mirum si hoc Numen Antiquitas non tam certaminibus præfecerit, quàm legationibus, vt ait Aristides. (Aristides tom. 3. Orat. 1. Platon. circa fin.) *Genusque namque Oratorum ab initio ad salutem & communem generis vsum est introductus. Et bellica quidem virtus paci est inutilis, dicendi verò facultas in bellis non contemnitur; verum & ciuibus est vtilis, & hostibus veneranda, & arma sæpè armorum tempore componit. Mercurium quoque huius artis ducem atque præsidem videntur hac de causa Paetæ solùm communi deorum appellare nomine. Nam cum cunctos communiter bonorum datores vocent, huic tamen propriè id nominis soli tribuunt.* (nomen legati antiquum) *Innocuum quoque & vtilem egregiè appellant, quod mali quidem nihil eius donum bona autem omnia conciliet hominibus, in bello, in pace, in mari, in terra, in molestijs, in gaudijs vbique. Quid quod existimo Deos quoque, si Platoni credimus, qui ab hominibus ad Deos, & rursus à Dijs ad homines nuncios deferant, Itaque* VI
non ineptè vinculum Vniuersi dixerit quis esse, non Poetarum Fabulis, sed seculorum canitie, cum sæculis omnibus ante natum, VII
quàm scripta lex vlla, aut norma aliqua inuenta Legatorum sit nomen dicant Angeli, priscique Patres, at Prophetæ salutis arcana (Mercurius legatus)

cana

Sal. An. 1055. cana sæpè retulerint & *immortalia mortali sermone notarint?* Vnde Lactantius, *ante omnia scire nos conuenit, & ipsum & legatos eius prædixisse, quod plurimæ sectæ & hæreses haberentur*. Diuinitatis Emissitij dicuntur Angeli à græco Αγγελω, quod nuncium significat, officij non naturæ nomen, vt voluit Augustinus. Hinc Angelus Gabriel missus ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, licèt summus Angelorum esset, vt voluit Gregorius Magnus; vel saltem Archangelus, quia *Angelus* significat *missum*, & Gabriel magis glorietur de munere ad quod Deus eum præelegerat, quàm de nobilitate, ac naturæ splendore, propterea silet naturæ nomen, sui verò officij fortiter resonat; nec vno contentus elogio in verbo *Angelus*, Euangelistæ insinuat, per synonima geminare laudem in verbo *missus*, quod idem ac Angelus; vnde duorum alterum, vel *missus*, vel *Angelus* foret superuacuum, ni laudis plauderet consonantia. Naturæ splendor atque nobilitas abundè elucet ex officij præstantia, quod nonnisi summæ nobilitatis & spiritui, & homini solet demandari. A Deo mittitur cui nomen erat Ioannes, Summi Regis prænunciaturus aduentum, & missus non fuisset, si inter natos mulierũ surrexisset maior Ioanne Baptista. Hoc vnum supererat, vt Deus ipse indueret personam legati, vnde non tam diuina & sacrosancta diceretur legatio, quàm vt legatio staret inuenta ad propalandam diuinitatem. Sed hoc Verbum Æternum adimpleuit: *Quæ legatio* (ait Augustinus) *non minorat filium, sed declarat: quia non mittentis potestas hic intelligitur, sed missi charitas*. Paulus inde, quo ministerium Euangelij exaltaret, legatione fungi proclamat, *prò quo legatione fungor*, quemadmodum in persona Apostolorum, quo Apostolatum venerabiliorem faceret, replicauit. *Pro Christo ergo legatione fungimur*.

X. *legati dignitas*

XI. *Deus ipse legatus*

2. Cor. 5. n. 20.

XII *Apostoli legati*

SANCTITAS LEGATORVM.
CAPVT SEXTVM.

1, 4. *Legatorum ius, corpora sancta, sacra,* 2. *Excommunicati quousque legationem exercent, ipsi Pontifici sunt sacrosancti.* 4. *legati diuini sunt.* 5. *legatos pulsans quomodò puniatur.* 6. *legati est, Deum hominem: hominem homini reconciliare.* 7. *hostem legatus exuit.* 8. *Dei Imago* 9. *falsi etiam legati Scipioni venerabiles fuere.* 10. *cur sancti dicti.*
3. *Venetorum legatos audire, recusat Pontifex, quia excommunicauerat Venetos.*
8. *Legatio commerciorum comercium.*
11. *Sagmina quæ.*
12. *Verbenis, quando, cur, qui vterentur.*

I. LEgatorum *Sanctimonia*, Legationis ius *sacrosanctum*, Legatorum corpora *Sancta* passim à gentibus vsurpata, cur & quo iure venerint? satisfaciam. Non tam sacrum, quàm sanctum fœdus dicitur legationis, quia gemina sanctitatis, & consecrationis lorica vallatum, tela irridet hostilia.

Sanctum primò *Martianus* dixit, *quod ab iniuria hominum defensum, atque munitum est*. Ab hominum verò munitur iniuria, quod *sanctione quadam subnixum est*, subiungit Vlpianus. Inde muri & portæ Ciuitatis dicuntur sanctæ, *quia pœna capitis constituta est in eos* (inquit Tribonianus) *qui aliquid in muros deliquerint*: propterea muri ciuitatis licèt Deo non sint consecrati, cum sine Principis auctoritate refici haud possint, sancti vocantur. Sanctos Gentes voluere Legatos, hoc est capite damnarunt qui verbo vel manu tentauerit Legatorum diuinitatem. Et si ex pœna fas est metiri culpam; Sanctos iure dicas, cum *sacrilegos* Angelus dixerit eorum temeratores. Ipse enim Pontifex, in cuius pectore veluti in scrinio Omnipotentia quiescit, excommunicatos venerari tenetur vt Sanctos, si vt Legati Romam accedant, qua legatione finita, in pristinam reincidunt excommunicationem, vt notauit *Gondisal. Villadieg.* Propterea queritur, an iure Romanus Pontifex post Rauennam Cameracensibus vindicatam armis, Venetorum Legatos Romæ receptos noctu tantum & per internuntios audire voluerit, si vera *Guiciardinus* profert; Si Legati nomen eiusmodi esse debet, quod

l. Sanctũ 8. ff. de R. diuis. Martin. laudem. to. 5. tr. p. 38. de legat.

Sanctum quid?

l. sacra. eod.

legati sancti

II *legati excomunicati honorantur à Papa*

III.

in to. 2. tract. tit. de legato q. 5. n. 12

Sal. An. 1055. quod non modò inter sociorum iura, sed etiam intra hostium tela versari debet incolume (quomodò in sanctuario Dei expolientur Principes, vt clam solummodò, caduciferi veniant? *Legatus* (Cæsar inquit) *quod nomen ad omnes nationes sanctum inuiolatumque semper fuisset*. IV Sanè inter mortales, cum tot dissidiorum, atque bellorum sint causæ, vnaque credatur in ferro salus, excogitari ius debuit, quod quietem instauret. Hoc est Legatorum nomen, quibus nisi superi, & inferi diuinitatem donassent, nemo foret, qui legationem subiret. *Quia sancti habentur legati* (aiebat Pomponius) *si cum legati apud nos essent gentis alicuius, bellum cum eis indictum sit, liberos eos manere.* V *Id enim iuri gentium conuenit esse. Itaque eum qui legatum pulsasset, Quintus Mutius dedi hostibus, quorum erant legati solitus est respondere.* Sic enim *sentio* (clamat Cicero) *ius legatorum cum hominum præsidio munitum, tum etiam diuino iure esse vallatum.* Cic. or. 3. in Verren. Sic idem Cicero in Verrina: *Legatorum ius diuino, humanoque vallatum præsidio, cuius tam sanctum & venerabile nomen esse debet, vt non modò inter sociorum iura, sed & hostium tela incolume versetur.* Sancta sunt legatorum corpora, ait Varro l. 3. de lingua latina.

Et sanctum populis per sæcula nomen

Legatum.....lau Papinius l.2. *securitatem à legatorum sanctimonia* Diodor. Sicul. in excerp. Peiresianis. nu. 248. *Cum legationis iure se tectum arbitraretur, quod apud omnes gentes sanctum esse consuesset.* Scriptor vitæ Epaminondæ. *Græci siquidem sacros, & inuiolatos dicunt eos esse, nos autem optimum & beatum decretum in lege à Deo didicimus. Hi namque & hominibus ad Deum, & aduersarios hostibus reconciliant,* Herodes. Hinc Ammianus, *Vigilat iustitiæ oculus sempiternus, vltricesque legatorum diræ.* Et Rex Clodouæus apud Aimoinum *ad extremum prò diuinis, simulque humanis legibus, quæ iniuriarum immunes sanciunt, debere esse eos, qui mediatores hostilium efficiuntur armorum. Inter arma namq; sola legatio pacis sequestra est. Exuit hostem, qui legatione fungitur.* Ioseph Antiquit Iudaic. l.15. c.6 IV VII Quapropter, aiebat Aristides, to,3.orat Plat. 1. pag. mihi 100. *& in bellis legatos ab hostibus venientes excipimus, & remittimus, oratorum genus reuerentes, ac sermonis naturam excipientes, quippe qui ab initio ad salutem & communem generis vsum sit introductus.*

Negocium publicum etiam inuiti, natura exigente, suscipimus, quæ suæ plenitudine potestatis sanctos excogitauit legatos etiam præter hominum pacta, sine quibus non induciæ, non fœdera, non amicitiæ, non pax inter homines diuersãtur immunes. l. sciendũ §. ordin. de leg. Sola legatio, (quæ est prima diuinitatis imago, & summa sanctitas) Superis & inferis venerabilis extat, vt in Orphei fabula *Ouidius* edocuit. Homines si inter se commercium mutui boni causa extra iniuriam ponunt omnes, quid de legatione, quæ est commerciorum commercium? fraudolosa sit etiam legatio, adhuc venerationem concilia t. VIII Scipio Africanus cum onustam multis & illustribus Carthaginensium viris nauem in suam potestatem redegisset, inuiolatam dimisit, Val. Max 6. c. 6 quia se legatos ad eum missos dicebant: Tametsi manifestum erat, illos vitandi præsentis periculi gratia falsum legationis nomen amplecti, vt Romani Imperatoris potiùs decepta fides, quàm frustra implorata iudicaretur. IX

Aliud habent priuilegium legati, vt non tam sancti, sed sacrosancti & barbaris habeantur: hoc est cæremonijs sacris initiati; & sacra ferant insignia, quorum sint culmine tuti, vt Marianus I. C. ostendit. Fraudolosa legatio an sancta *Sanctum* (ait) *est, quod ab iniuria hominum defensum, atque munitum est. Sanctum autem dictum est à Sagminibus. Sunt enim Sagmina quædam herbæ, quas legati populi Romani ferre solebant, ne quis eos violaret: sicut legati Græcorum ea, quæ vocantur* κηρύκεια *ferunt* X

Sanctum quid Sagmina quid sibi velint? soluit Plinius lib.22. cap.2. *Authores Imperij Romani, conditoresque immensum quiddam & hinc sumpsere, quoniam non aliunde Sagmina in remedijs publicis fuere, & in sacris, legationibusque verbenæ,* XI *Certè vtroque nomine idem significatur, hoc est, gramen ex arce cum sua terra euulsum: ac semper & legati cum ad hostes, clarigatumque mitterentur, idest, res raptas clare repetitum, vnus vtique Verbenarius vocabatur.* Sagmina que. XII Sic lib. 25. cap. 9. *Nulla tamen Romanæ nobilitatis plus habet, quàm* hierabotane. *Aliqui* peristereon, *nostri* verbenacam *vocant. Hæc est, quam legatos ferre ad hostes indicauimus. Hac Iouis mensa verritur, domus purgantur, lustranturque. Genera eius duo sunt: foliosa, quam fœminã putant*

putant

An. Sal. 1055. *putant: mas rarioribus folijs. Ramuli vtrique plures, tenues, cubitales, angulosi. Folia minora, quàm quercus, angustioraque, diuisuris maioribus: flos glaucus; radix longa, tenuis. Nascitur vbique in planis aquosis. Quidam non distinguunt, sed vnum omnino genus faciunt, quoniam vtraque eosdem effectus habeat. Vtraque sortiuntur Galliæ & præcinunt responsa. Sed magi vtique circa hanc insaniunt. Hac percunctos impetrare, quæ velint, febres abigere, amicitias conciliare, nullique non morbo mederi, Colligi circa Canis ortum debere, ita vt ne Luna aut Sol conspiciat, fauis ante & melle terræ adpiamentum datis. Circumscriptam ferro effodi sinistra manu, & in sublime tolli. Siccari in vmbra, separatim folia, caulem, radicem. Aiuntque si aqua spargatur triclinium, qua maduerit, lætiores conuictus fieri. Aduersus serpentes conteritur* ex vino. Non dissimilis est hodie quorundam superstitio, in herba D. Ioannis appellata: quam ante solis ortum festiuitatis die, lectam suo ritu solemni, vim arbitrantur habere incredibilem. *Sagminum* verò siue *Verbenarum* veterem illum vsum in fœderibus præcipue feriendis, recenset Liuius, quum fœdus ictum inter Albanos & Romanos agens, à Fæciali Regem Tullum ita rogatum refert. *Iubes ne me Rex, cum patre patrato populi Albani fœdus ferire? Iubente Rege, Sagmina inquit, te Rex posco. Rex ait, puram tollito. Fæcialis ex arce graminis herbam puram attulit: postea regem rogauit, Rex facisne me tu regium nuncium populi Romani Quiritium? vasa comitesque meos? Rex respondit, quod sine fraude mea, populique Romani Quiritium fiat, facio. Fæcialis erat M. Valerius, is patrem patratum, S.P. Fusium fecit, verbena caput capillosq; tangens, pater patratus ad iurisiurandum patrandum, idest sanciendum fit) fœdus, multisque id verbis, quæ longo effata carmine, non operæ est referre, peragit.* Sic ad finem secundi belli Punici: *Fæciales* (inquit Liuius) *cum in Africam ad fœdus feriendum ire iuberentur, S.C. in hæc verba factum est, vt priuos lapides silices, priuasque verbenas secum ferrent, vti prætor Romanus his imperaret, vt fœdus ferirent. Illi prætorem Sagmina poscerent. Herbæ id genus ex arce sumptum, dari Fæcialibus solet.* Inde illud Neuij poetæ

Ius sacratum Iouis iurandum sagmine.

herba D. Io.

lib. 1.

lib. 10. Liuius

LEGATI VIOLATI

CAPVT SEPTIMVM.

1. *Iupiter inter mortales descendit, mores hominum visurus.* 2. *à Lycaone irridetur.*
3. 3. *Verbum Incarnatur Æternum.* 4. *quid nobis tulerit, & à nobis receperit?*
5. *Legati conuiuio violati.* 6. *verbo.* 7. *irrisione & contemptu* 8. *exilio.* 9. *carcere.* 10. *proditione* 11. *excæcatione.* 12. *castratione.* 13. *verberibus.* 14. *membrorum mutilatione.* 15. *domus violatione, & spolio.* 16. *morte.*

1. lib. 1. mortaliũ sæuitia

POstquàm (teste Ouidio) sub Ioue Mundus fuit; irrupitque venæ prioris in æuum omne nefas; Omnipotens, licet fulmine percusserit quos, affectasse ferunt regnum cæleste Gigantes; adhuc superum contemptrix humana propago, seuæ auidissima cædis erat, vt foret perdendum mortale genus, adeò insanabile vulnus. Quem mitterent, quærebant Superi ducentes cuncta, tentanda priùs. Diuinos tamen quia pauor occupauerat artus, Magni Iouis & Deorum nuncius ipse Mercurius, *Parce* (inquit) *præcor mihi Omnipotens pater, rerum cui summa potestas; postquam mos inferis experiri, an Deus sit mortalis ?· tu solus lustrare potes, humanà sub imagine terras.*

Iupiter terram lustrat.

Iupiter tunc summo delapsus Olympo, Lycaonis ingressus tecta tyranni, signa dat venisse Deum: cumque vulgus præcari cæpisset: irridet primo pia vota Lycaon. Mox ait: *Experiar Deus hic*, discrimine aperto, an sit mortalis, nec erit dubitabile verum. Ecquis dubitat nec Iouem potuisse mortalium fugere ferrum? Crucifigitur Deitas, nec in fabulis rotati perfidia claui Omnipotentiam sistunt, ne plus posset patiendo, vel sustineret agendo. In hoc, vicit iniquitas, quod patris Legatum, in tot perduxit discrimina casus, vt non à Rege solo, sed

II Lycaonis impietas.

Sal. An. 1055. patre quaeretur relictum. Sed vnde, cui erat principatus super humerum caducifer venit, & pacis mittitur redemptor, qui in opprobrium maiestatis foret abiectio plebis? Illesa Deitate charior cum pax esset, in exemplum Verbum tradidit vnigenitum, qui inter Legatos Legatorum princeps feris expositus humanis, honorificentius duxerit cedere, quàm recedere & summi Regis implere mandata, quàm vitam seruare. Inde Chrysostomus *Venit à patre Christus ad homines legatus (mactatus legatus est, & tunc pacem fecit. Sed legati venientes, & dona ferunt, & dona accipiunt. Quid igitur donum tulit, & quod accepit? nouum donum, & quia nouus legatus. Tulit nobis donum corpus & sanguinem suum: & quid à nobis accepit? fidem.* Quid igitur supremi legati vsurpauit homo diuinitatem, vel nostram ille occupauit humanitatem? non longè verum, quum carnem ille assumpsit humanam, ex vi legationis se humiliauit ad mortem. Homo pariter diuinitatem induit, cum ex vi legationis acceleratur ad vitam. Grande comertium, & inter Deum hominemq; certamen; in quo eos tantummodo vincit supernus athleta, qui tristes & inuiti trahuntur ad mortem. Cedit humanus legato superno, quia mortem vincens, captiuam solus duxit captiuitatem. Resistit tamen adhuc humana superbia, volens omnes viuere propter gloriam, quos in cælestis patriæ contumeliam opprelsit hostilis temeritas. Ius Gentium itaque suis triumphet in fabulis, cum dicit ridere morientem, & lætari cruciatum, quia tyrannorum tormentis vinci nequijt legati constantia; Nosmetipsi plaudamus, vt inanis lucro gloriæ possit Respublica pellicere subditos, vt inter armorum anfractus, & Barbarorum astus non famam periclitari gaudeant sed vitam. Quid minus in bello mortuis patria retribuit, quàm melos concinere, & persoluere laudes? eisque qui ad Reipublicæ maiestatem, & mandatorum fidem, cæsi licet non cecidere. Qui fuerint? lege.

Dei filius legatus ad homines.

apud Photium in Bibliotheca. p. 1555.

IV

Legati conuiuio violati.

V

IN Deorum genealogijs tradit Boccacius Lycaoni Arcadiæ regi, Molossis deuictis, datum obsidem, qui cum statuto tempore non remitteretur in patriam, fuisse per legatos repetitum. Licaonem verò occisi hospitis carnes edendas apposuisse legatis. Agnouit facinus ex conuiuis quidam, *Lysanias* nomine, Iupiter postea dictus, qui facinoris indignitate commotus, Arcades concitauit, Lycaonem eiecit; qui in siluas abiens, ibique ætatem latrocinijs & more luporum cædibus agens, Ouidianæ Fabulæ occasionem dedit. Nec prætereantur.

pro I. Manilia

Verbo Violati.

VT à Corinthijs Romani, sic scribit Cicero. *Legati quod erant appellati superbius, Corinthum patres vestri, totius Græciæ lumen, extinctum esse voluerunt* VI

Hanc verborum contumaciam descripsit Plautus

Hæc vbi Telebris ordine iterarunt quos præfecerat
Amphitruo, magnanimi viri freti virtute & viribus
Superbi nimis ferociter legatos nostros increpant. *Anphitr.*
Respondent, bello & se & suos tutari posse; proinde vti
Properè de finibus suis exercitus deducerent.
Hæc vti legati pertulere, Amphitruo è castris illicò
Producit omnem exercitum.

Legati irrisione & contemptu Violati.

VT ad Ammonitarum Regem Hanon Dauidis regis legati de obitu patris consolatum missi abrasa barba, vestribusque ad nates succisis, in patriam fuere remissi. Manius Acilius Romanorum legatus à Mithridate captus, asino imponitur, ludibrijs exponitur. Romanorum legati sordibus à Corinthijs perfusi.

2. Reg. c. 10. VII

Strabo l. 8.

Caroli Magni legati à Nicephoro Græcorum Imper. inhospitaliter recepti, Grecis fuere ludibrio & cum magna difficultate in Germaniam rediere. *Auent. 4. Boiorum.*

Othonis Magni Legatus Luitprandus ad Nicephorum Imper. Græcum, inhospitaliter receptus, verbis ignominiosis cruciatus, domi veluti carcere includitur vt ipse in sua legatione testatur. *tom. 11 Monar. Occid. Io: Palat.*

Zacharias ac Theodorus ad Persas à Romano missi Imperatore, cum ociosi trimestre tempus in Perside degissent, omni iniuria conflictati: dimissi tandem, & per longiora *Men. Eccl. leg. 145*

Sal. An. 1055. longiora diuerticula ducti, postridie per eadem reducti, quasi labyrintho impliciti, denique ludibrijs affecti Perside eijciuntur.

VIII

Vel Exilio.

Aimoin. l. 3. de gestis Francorũ VT Venetorum Episcopus ad Chilpericum Regem Francorum legatus à ciuibus missus, legitur deportatus.

Vel Carcere.

IX *Cedrenus* VT Heraclij Imperatoris septuaginta legati cum Saes Persarum Duce, fœdera pacis, exaratum missi, ab eodem ad Costroem Persarum Regem dolo aducti, ibique carceribus mancipati. Sed Cosroes Sai, quod Heraclium vidisset, neque cæpisset, aurem detrahi iussit. Vt Stenonis Suecorum Regis, quos Christiernus II. Danorum Rex in Daniam captiuos duxit. Vt Romanorum legati à Gentio Rege custodiæ traditi; scribit *Liuius*. Corcyrenses ab Atheniensibus comprehensi, & apud Æginam in custodiam habiti. Cæsaris legati à Venetis retenti, & in vincula coniecti. Athenienses à Lacedemonijs detenti donec ciuitatem cedibus implessent, vt ait Aristides. Simile legitur de Amphiloco, qui de redimendis captiuis legatus ad Diophitem Ducem Atheniensium missus, ab eo est comprehensus, nec dimissus, nisi prius nouem talentis solutis. Vt Syracusarum, ad Dionysium iuniorem missi, quos obsidum loco tenuit, cum obsideretur à ciuibus. Vt Aloysius Contarenus apud Amuratem Turcarum Imperatorem, pro Venetis Legatus detrusus in carcerem, vsque dum piratarum damna, quos Veneta classis oppresserat, ipse resarciret. Ius gentium inuocanti legato, cæterorumque Christianorum principum instante cætu, respondit minister iniuriam non latere decreti, suas tantum esse partes exequi, non cognoscere.

Liuius Dec. 5. lib. 4. *Thuced. lib. 3.* *lib. 3. de Bello gallico.* X *Baptista Nanius l. 11. An. 1638.* *Ioseph. Antiq. lib. 14. c. 24.*

Vel proditione.

VT Hircanus à Pachoro Parthorum rege proditus Antigono, qui auribus mutilauit Hircanum, ne in posterum sacerdotium adipisceretur.

Excæcatione.

XI VT Venetorum legatus Henricus Dandulus, quem Emmanuel Græcorum Imperator excæcauit ænea obiecta tabula, quam prius admouerat igni. *Sabel. l. 5. Enead. 9.*

Similis crudelitas est, quàm Dracula Hungarus in Turcarum legatos exercuit. Nam his pilea phrigia ex patriæ instituto deponere recusantibus, vt eum morem confirmaret, tres clauos legatorum capitibus infixit, ne quod deponere recusauerant, amoueri possent. *Bonfin. l. 10. Rer. Hung.* *in Exoticis.*

Mutilatione.

VT scribit Pausanias stare Thebis Herculem cognomine Rhinocolusten, quia caduceatoribus ijs, qui ab Orchomenijs ad tributum poscendum missi fuerant, nares præcidisset in contumeliam.

Castratione.

VT de Pantaleone Eleorum tyranno scribit *Heraclides*, qui legatos castrans, proprios testiculos edere coegit. XII. *in politicis.*

Verberibus.

VT Euphronius Cæsaris legatus ad Cleopatram missus, vt triumphantis Cæsaris gratiam non desperaret, dumodò Antonium dimitteret. Inde suspectus Antonio, quia prolixiorem habuisset cum Cleopatra sermonem, flagellis remittitur correptus, *Id tu* (aiente Antonio) *si iniquè fers, habes libertum meum Hipparchum: hunc suspensum flagellato, vt par feramus.* Defecerat enim is ad Cæsarem. XIII *Plutar. in Ant.*

Membrorum Mutilatione.

VT nuntius Baiazetis ad filium Acomatem missus, vt filij placaret furorem, quem naso & auribus recisis ad patrem remisit filius. XIV *Io: Sagr. in vita Baiazetis*

Persarum Legatum naso & auribus recisis, remisisset in patriam Amurates Imperator Turcarum, quia Babylonem cedere nollet, ni blande Prorex restitisset. *Idem an. 1637*

Violata domo; Spolio

VT Anno Sal. 1634. Principum Christianorum à Turcis exarmantur legati; ab eorum ædibus, armis omnibus asportatis, nec Anglorum legato, gladio relicto, quo erat præcinctus. XV *Sagredus An. Sal. 1634*

Sal. An. 1055. *Morte.*

Herod. l.7. nu. 135. XVI VT Legatos regis Darij terram & aquam petentes, Athenienses & Spartani partim in barathrum, partim in puteos deiecere, vt illinc terram & aquam effoderent.

Athæn. l.12. c. 6. Sic post luxum in iniurias demum conuersi Sybaritæ, triginta Crotoniatarum legatos interfecerunt, & ante mœnia insepultos proiecerunt, vt vorarentur à feris. Vel vt Laurentum legati, quos Romam proficiscentes, in itinere expoliarunt, & occiderunt Regis Tatij familiares & propinqui. Sic Romanorum legati, iussu Tolumnij Veientum regis interfecti, quia Fidenas Romanorum coloniam, quæ ad Tolumnium defecerat, venissent, noui consilij causam sciscitaturi. Plutar. in ✝ Sab. En. 3. l. 5.

Sabell. 8. En. 4. Tarentini Romanam, ex occasione adorti, cum diripuissent classem, plerisque cum præfecto cæsis; Legatos postea repetitum ex vrbe missos interfecerunt.

Cuspianus. Constantinopolim Legatus Io: Cardinalis ab Alex. Pontif. missus pro vnione Græcorum cum Ecclesia Romana, ab Andronico Comneno, qui cæso Alexio tyrannidē occuparat, capitur; & cani alligatus eiusq; cauda Cardinalis faucibus obtusis, per vrbem trahitur, in foueam tandem præcipitatus comburitur. Iniitio belli Iudaici, ab Agrippa Iudæorum rege Borcæum & Phœbum Iudæis charissimos, Hierosolymam missos, vt hi positis armis reconciliarentur Romanis, seditiosi Phœbum interimunt, Borcæum vulnerant, ne ad populum verba facerent. Ioseph. l. 2. Belli Iud. cap. 24.

Emilius l.7. Sabell. l.7. Aenid. 9. Cum Syriæ immineret Magonis Tartarorum regis Haalon christianus, vt iam occupata Perside, & Calipha sublato, Hierosolymam restitueret, exacerbatus quòd Christiani circa Sydonem loca quædam præsidio tenentes, eius bona furto surripuissent, nepotem ex sorore Ducis sui Guisbocæ misit vna cum alijs ad repetenda sublata, sed isti à Christianis interfecti, Guirborcam in Sydonis obsidionem traxerunt, qui cum magno rei Christianæ detrimento expugnauit, diripuit, incendit. Persarum Legati ad Iulianum apostatam Imper. missi, quia Christiani essent, interimuntur. Nicepb. l.10. c.12.

Ouid. Octuaginta sacri ordinis legati à Byzantinis orthodoxis ad Valentem Imperatorem missi, spe eius concepta clementiæ, omnes vna cum naui succenduntur.

Refonem Gotrici Danorum regis legatū Suenones aperta vi necare veriti, dormientem perimunt. Quippe molarem supernè appensum, rescissis vinculis, subiecti ceruicibus illabi fecere. Sax. l. 8.

Hasmundus Noruegiorum Rex Fridleni Daniæ regis legatos, filiam Hasmundi in vxorem suo regi petentes, odio gentis interfecit. Legati Baiazetis Turcarum Imperatoris ad filium Achomatem missi, vt à paterna conspiratione recederet, violantur; nam princeps legationis iugulatur, cæteri ante vesperam iubentur excedere castris. Krantz. l.1. Norueg. c. 21.

Violantur Legati Turcarum Imperatoris Selimi ad Tomumbeium Egypti regem missi, suasum vt victoris fortunam agnosceret, ac de eius benignitate speraret. Nilo namque traiecto, à quibusdam Mamaluchis barbara trucidantur crudelitate. Sabell. suplem. lib. 8. ex Ionio

Alexandri violantur caduceatores, quùm Tyrum missi, vt fœdera pacis agerent, à Tyrijs occisi precipitantur in altum. Violantur Dioscorides & Serapion ad Achillan à Cæsare missi, & quum in conspectu venissent, priusquàm audiret, aut cuius rei causa missi essent, cognosceret, corripi ac interfici iussit. Curt. l. 4. cap. 2. Cæsar de Bello Ciuili lib. 3.

Sed fœditate & perfidià omnes ferè superauit Helena Russiorum regina: cuius nuptias cum Rex Prutenorum peteret, ipsa legatos terra viuos obrui iussit: ac priusquā ad hostes fama perueniret, digniores ad se legatos mitti petijt, quod cum obtinuisset, hostium quinquaginta principes, ac summæ inter ipsos auctoritatis ad se missos cremari mandauit. Pacta tandem matrimonium, conuiuij spetie, hostium quinque millia, quos inebriari curauerat, trucidari iussit, seipsam postremò aquarum voraginibus mergens. Bodin. 5. de Rep. c. 6.

Lacedemoniorum violantur legati, quos narrat *Thucidides* ab Atheniensibus in fossas deiectos, & peremptos. lib. 2.

Violauit Alexandrinos, & Romam missos Ptolomæus Rex, insidijs plerosq; sustulit. Cicero de Harusp. respon.

Violauit Anastasius Imperator Eutichiana hæresi infectus, legatos Hormisdæ Papæ, epistolas & libellos catholicæ fidei portatum missos. Postquam enim muneribus corrumpere non potuit, à se eiectos in nauim Platin. in Hormisda.

Sal. An. 1055. uim rimosam & laceram ea conditione nauigare iussit, vt recta in Italiam redirent, nec vllum Græciæ littus attingerent.

Cicero pro l. Manilia. Romanorum violauit legatum Mithridates quum vinculis, verberibus, atq; omni supplicio excruciatum necauit. Brundusini sua ab Appulis vrbe pulsi, consultis oraculis responsum acceperunt, *locum quem repe-rissent, perpetuò possessuros. Hac igitur ex causa* (scribit Iustinus) *per legatos sub belli comminatione restitui sibi ab Appulis vrbem postulauerant. Sed vbi Appulis periculum innotuit, interfectos legatos in vrbe sepeliunt perpetuò ibi sedem habituros.* lib. 12.

LEGATI VINDICATI.
CAPVT OCTAVVM.

1. *Leges sunt naturæ præsidium*
2. *Deus particularis Legatorũ vindex. 5. 9.*
3. *Megarenses quia legatorum violatores misericordiam non inueniunt.*
4. *Arabes à Deo puniti*
6. *Athenienses cælitus puniti, quia legatorum violatores.*
7. *Spartani vltrò Xersi se offerunt capite pœnam luere pro ijs, qui legatos violauerant.*
8. *Dauid de Ammonitis legatorum violatoribus triumphat.*
9. *Dij sancti non essent, ni punirent legatorum temeratorem.*
10. *Legatos temerare, crimen est omnium maius.*
11. *Carthaginenses à Romanis victi, quia legatorum temeratores.*
12. *Si quis legatum pulset, hostibus traditur.* 13. *si non recipiatur, cuius ciuis sit.*
15. *Romani Gallos illudunt.*
16. *Corynthus à Romanis euertitur, quia Legatos durius appellaßet.*
17. *Pœna sumpta in legatorum temeratores.*
18. *Crimen violati legati venia indignum.*
20. *Legatorum temerator excommunicatur.*
21. *Imaginum Principis violator capite plectitur.*
22. *Legatus viua Principis imago.*
23. *Qui læsum non vindicat legatum, indignus est, no nhabere legatum.*

I GEntium leges si excogitauit natura, vt ipsi naturæ præsidio essent, haud erit in tuto, quin ipsarum vindicet obseruantiam. Astra, quæ ad regimen orbis excubant, vni cuncta dicuntur famulari Mercurio, qui semper velox, vt Numina in domo pacis conueniant. Sola discordia post homines potest confundere deos. Summi Iouis Mercurius effingitur filius, vt in caduceatore & Legato crudelis vereatur insipientia supernæ tangere viscera maiestatis. *Nolite tangere Christos meos, & in prophetis meis nolite malignari.* Sapientia resonat increata. *Qui enim vos tangit, tangit pupillam oculi mei.* Et si aliqua *ciuitas vel domus non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo, vel ciuitate, excutite puluerem de pedibus vestris. Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum, & Gomorreorum in die iudicij, quàm illi ciuitati.* In die *iudicij*, vt magis vltio diuina exardescat, quæ ab humanà longe diuersa, tempore nõ senescit sed reuiuiscit. Efferuet tamen quandoque impatiens, & pœnæ tempora accelerans, non erubescit pænitentia immutare decreti constantiam, vt temeratorum pæna, legati reuocet innocentiam. Grassantur Numina inter sacrificia, quum victrix manus sacrilegos Legatorum parricidas incendit. Nulla enim pinguior mactatur victima Ioui, quàm parricida legati. Huc faceret summi Dei delicia illa, *odoratus Dominus odorem suauitatis*, in epulas properat, ibidem debachatur, & à sanguineis poculis labia non amouet, ni exurgat *tamquàm dormiens Dominus crapulatus à vino.* Irati, & irascentis numinis exempla inter plurima, Megarensium illud occurrit, qui Antemochritum, *violato iure gentium, per summum nefas occidere: cum fætialis edictum missus fuißet, ne sacram illi terram colerent: sed inexpiabiles in hunc vsque diem læsi numinis pænas dederunt. Solos enim ex omnibus Græcis, ne Adrianus quidem Imperator subleuauit.* Sic Arabes à Rege Herode, quoniam illius

1. Paral. c. 16. — Math. 10 — II. — III — l. 1. Pausan.

Sal.An. 1055. illius legatos occiderant; & si numero, rege
superiores, tamen conscientia tanti sceleris animo inferiores: multis occisis, mul-
l.15.c.6 tis captis, omnes prælio victi, atque
Egesipp. l.1.c.32. in potestatem Regis redacti sunt: Deo pro
IV huiusmodi delicto vindictam reposcente. Cætera piacula terrenis potestatibus cum vindicanda reliquerit, hoc vnum haud de-
V legauit, nè impunitum pietas pateretur humana. Atheniensibus; quia Darij legatos terram & aquam petitum, missos, alios in
Herodot. barathrum, alios in puteum deiecerant,
Halicar. iubentes eos illinc terram & aquam ferre
l.7.nu. 133. ad regem, *quid triste contigerit* (ait Herodotus) *non queo dicere, nisi quod eorum solum cum vrbe vastatum est: quod tamen ipsum non ea causa suspicor contigisse. La-*
VI *cedæmonijs verò ira Thalthybri, qui fuit Agamemnonis præco, incubuit.* (Mortali vel immortali fuerit semine procreatus isteTalthybius, immortale apud posteros nomen est consecutus; vnde apud Plautum legitur: *contundam facta Talthybri, contemnamque omnes nuncios*) Est autem (subiungit Herodotus) *Spartæ Talthybri templum, cum eius posteris, qui Talthybiadæ nominantur, quibus honos legationis Spartanorum semper tribuitur. Itaque post eam rem Spartiatæ, quum læta exta eis non essent, idq; diù contingeret, pertæsi huius calamitatis, Lacedæmoniorum cœtu frequenter coacto, hoc edictum proposuere, si quis Lacedæmoniorum vellet pro Sparta occumbere. Tunc Sperthies Aneristi & Bulis Nicolai filius, viri Spartiatæ, & natalibus & opibus inter primos, vltro se obtulerunt* (aduertite ciues amorem patriæ) *ad satisfaciendum sua pœna Xersi Darij filio, ob legatos apud Spartam interemptos. Ita hos Spartiatæ tanquam mortem obituros, miserunt ad Medos.* Quò cum venissent, dixerunt. *Rex Medorum, nos miserunt Lace-*
VII *dæmonij ad luendam pœnam prò ijs legatis, qui Spartæ interiere. Hæc istis dicentibus, Xerses præ magnanimitate, negauit se fore Lacedæmonijs similem. Illos enim interimendis legatis ius omnium hominum confudiße: se verò quòd illis exprobraret, id non esse facturum, neque, eos occidendo, Lacedæmonios culpa soluturum. Hac re per Spartiatas gesta, impræsens ira Talthybri cessauit: & si Spartam reuersis Sperthie & Bule, longo deinde tempore interiecto excitatum est inter Peloponenses & Athenienses bellum, vt Lacedæmonij aiunt, quod mihi diuinitùs maximè videtur eße gestum; quia ira Talthybri nuncios corripuerit, nec priùs quieuerit. Quod autem ira inciderit in eorum, qui ad regem ascenderunt, filios, Nicolaum Bulis, & Aneristum Sperthiei filium, qui piscatores Tyrijnthios in naui onerariâ, plena viris nauigantes cœpit, manifestum est, apud me diuinitus id factum esse ex ira Dei: quod nuncij, qui in Asiam à Lacedæmonijs mittebantur, proditi à Sitalce Tirei filio Thracum rege, & à Nymphodoro Pythei filio viro Abderita, excepti sunt iuxta Bisantem, quæ est in Hellesponto, & adducti in Atticam, ab Atheniensibus necati sunt.* Sacros nè prætereas annales, & exitum *Amonis* Ammonitarum regis formida cruentum. Legatis Dauidis 2. Reg.
cum medium mentum barba nudasset, & c.10.
vestes vsque ad nates præcidisset in Hebræorum contumeliam; gentem vniuersam VIII.
vnà cum auxiliaribus Syris Nemesis sub Dauidico tradidit gladio; Expugnatur *Rabba* regni caput, diruitur. Sancti non essent in terra Dij, si legatorum temeratores sinerent impunitos. Solumnium, quo autore; IX
Legati Romani à Fidenatibus fuerant interempti, cum vindex Cornelius Cossus interficeret, inquit: *Hiccine est ruptor fœderis humani, violatorque gen-* Liuius l. 5.19.
tium iuris? Iam ego hanc mactatam victimam, si modò sancti quicquam in terris esse Dij volunt, legatorum manibus dabo.

Hisce legibus naturæ compulsi homines, solum *Legati* nomen credidere, posse ho- X
stes hostibus reconciliare; propterea sceleribus omnibus impietate præstare, legatos occidere, pro æquitate loquentes; quorum vindicem supremi numinis iram expectarent Carthaginenses, Hanno minabatur acerbè, quum audijt Romanos legatos in castra ab Hannibale non admissos. Hannibalem sacrilegum Romanis traderent, ne Liuius
prò vno tota lueret Carthago. Si gentium lib.21.
viuite legibus, cur eum amicis non traditis, qui legatos à socijs, & pro socijs venien- XI
tes in castra non admittendo, ius gentium sustulit? Gentium sunt vetustissima iura, vt si quis hostium legatum pulset, hostibus XII
quorum est legatus, exhibeatur. *Exuit namque hostem, qui legatione fungitur.* Aiebat

Sal. An. 1055. bat Rex Clodouæus apud *Aimoinum*. Cuius iuris, ciuiles leges vestigia insequentes, lege Iulia de vi publica teneri dixerunt eum, qui legatum pulsasset. *Quod ad legatos* (inquit Vlpianus) *oratores, comitesue attinebit, si quisquam eorum pulsasse, siue iniuriam fecisse arguetur, lege Iulia de vi publica tenetur*. Et quia Legatus iure gentium liber manet, etiam si illi genti bellum indictum sit, cuius est legatus, propterea ait Pomponius, *eum qui legatum pulsasset, Quintus Mutius dedi hostibus, quorum erant legati, respondit vtilius esse*.

l. 7. lege Iulia. ff. ad L. Iul. de vi pub.

l. 17. si quis ff. de legation. & gloss. in c. Ius gẽt. d. 1.

XIII Quid si traditum hostes non recepissent? ciuis ne Romanus manet? non manere respondit P. Mutius; sicut eum, cui aqua & ignis interdicuntur. Inde prò Hostilio Mancino, quem Numantini sibi deditum non acceperunt, lex lata est, vt esset ciuis Romanus, & præturam gessisse dicitur; quà, vt & ciuitate potitus non fuisset, si lex lata non esset.

XIV Legatorum porrò parricidas sacrilegos, hosti à gentibus traditos, perfunctoriè habeas: *Isocratem* grammaticum, qui Leptini auctor fuerat occidendi Romanos legatos, vnà cum Leptine à Demetrio Romanis traditum: Athenienses Xersi: Romanos Carthaginensibus L. Minutium Mirsilum, & L. Manlium, *quod legatos Carthaginenses pulsasse dicebantur* (vt ait Liuius) *iussu M. Claudij prætoris Vrbani, per Fæciales traditi sunt legatis, & Carthaginem auecti*. *Et cum legatos ab vrbe Apollonia Romam missos Q. Fabius & Cn Apronius Ædiles, orta contentione, pulsassent, continuò per Feciales legatis dediti sunt, quæstorque cum his Brundusium ire iussus: ne quam in itinere à cognatis deditorum iniuriam acciperent*. Deditionis, Turcis ipsis, mos non displicuit, Io: Capellus Venetorum legatus apud Præfectum Turcicæ classis insimulabat rabiem pyratæ *Malapani*; Præfectus verò rapinæ participatione corruptus, cum Venetum interpretem quasi audacem percussisset; Ad Turcarum Proregem prouocauit Venetorum legatus. Ille, insueto Turcarum more, vocatum ad se Præfectum publicè arguit, corripuit; inde ministrum etiam delegauit, qui Legati domum petens, placidis excusationibus demulciret offensum.

l. 28. Val. Max. l. 6. c. 6.

Sagred. An. 1630.

XV Hoc ius neglexere Romani, quum Fabij eorum legati ad Gallos pro Clusinis missi; vt populi Romani nomine, cum Gallis agerent. Melius enim videbatur, Gallos nouam gentem pace potius, quàm armis cognosci. Profuisset legatio (scribit Liuius) *ni preferoces legatos, Gallisque magis, quàm Romanis similes habuisset*. Nam Romanis quærentibus, *quid in Hetruria rei Gallis esset*? quum illi *se in armis ius ferre, & omnia fortium esse virorum*; ferociter dicerent, accensis vtrimque animis, ad arma discurritur, & prælium conseritur. Vbi legati contra ius gentium arma capiunt; Q. Fabius Gallorum Ducem ferociter incursantem, hasta occidit. Omissa inde in Clusinos ira, erant qui extemplò Romam eundum censerent. Vicère tamen seniores, vt legati priùs mitterentur questum iniurias, postulatumq; vt pro iure gentium violato, Fabij dederentur. *Legati Gallorum, quùm ea, sicut erant mandata, exposuissent, senatui nec factum placebat Fabiorum, & ius postulare barbari videbantur. Sed ne id, quod placebat, decerneret in tantæ nobilitatis viris, ambitio obstabat. Itaque ne penès ipsos culpa esset cladis forte Gallico bello acceptæ, cognitionem de postulatis Gallorum ad populum reiiciunt: vbi tanto plus gratia, atque opes valuere, vt quorum de pœna agebatur, tribuni militum consulari potestate in insequentem annum crearentur*. Discrimen hoc Romanam Rempublicam adeo, vt penè fatigauit, perdidit. Idem accidit Corintho, quam à Romanis euersam scribit Cicero, solùm quia Romani legati durius appellarentur. Propterea suadebat Romanis, vt aduersùs Mithridatem Pompeium eligerent, quia Romanos occidisset legatos. Sic quia, Illyrici seù Liburni Romanos legatos vt victimas securi percusserant, Cn. Fuluio Centumalo Duce (ait Florus) latè domantur. *Strictæ in principum colla secures, legatorum manibus litauere*. In hoc namque scelus ipsa exardescens pietas, innocentes etiam exposcit in vindictam. Agamemnon in pugna immitem se præbuit filijs Antimachi, quod is in concione Troianorum Menelaum ad ipsos legatum occidi iusserat.

lib. 5. n. 36.

XVI

pro l. Manil.

XVII

l. 2. c. 5.

XVIII.

Si quidem iam Antimachi bellicosi filij estis
Qui quondã in Troianorũ cõcione Menelaũ iussit
Legatum profectum cum diuino Vlysse

Iliad.

Ibidem

Sal. An. 1055. *Ibidē interficere, neq; dimittere rursū ad Achiuos Nunc quidem patris fœdam luctis offensam.* Subticeo omnem Venetum Senatum à Cæsare necatum, ob violatum ius legationis. Dirutas Thebas, vndè auxilia portata sunt ijs, qui legatos Romanos violauerant: à Crotoniatibus excisos Sybaritas: Tyrios ab Alexandro euersos; *eorumque duo millia, in quibus occidendi defecerat rabies, crucibus affixi, per ingens lictoris spatium pependerunt.* Tatium Romanorum regem violati iuris pro affinibus dedisse pœnam; nam cum propinqui regis Tatij Legatos Laurentium pulsassent, *quumque Laurentes iure gentium agerent, apud Tatium gratia suorum, & preces plus poterant. Igitur illorum pœnam* (inquit Liuius) *in se vertit; nam Lauinij, quum ad solemne sacrificium eò venisset, concursu facto, interficitur, eam rem ægrè quàm dignum erat, tulisse Romulum ferunt: seù ob infidam societatem regni, seu quia haud iniuria cæsum credebat.* Inter plurima, hoc Carthaginiensibus improperabat Scipio (teste Appiano Alex.) *inquiens. Vos quidem nulla venia digni estis, toties violatis fœderibus, & postremò legatis quoque: quod nefarium facinus tam manifestum est, vt extrema quæque pati, sitis meriti, vestra etiam confessione.*

Cesar l. 3. de Bello Gallico. Epit. Linii lib. 128. Athen. Q. Cur. lib. 4. l. 1. §. 14. De Bellis Punicis.

XIX Sic Francorum Rex Clodouæus, vt aduersùm Gothos militem incitaret, Legatorum protulit iniuriam dicens. *Virtutis vestræ fortissimi commilitones securus, animositatem vestram nullius adhortationis indigam iudico, quam adeo hostes extimuerunt, vt legatum nostrum infanda cæde perimere vellent: ostendunt profectò se totius iram gentis non posse perpeti, qui vnius expauerunt legati constantiam. Hoc solum vos nosse cupio, vobis aduersùm immanissimos hostes non pro coniugibus aut liberis, non etiam pro acquirendis certamen esse diuitijs: Sed potiùs pro inseparabili S. Trinitatis Vnitate, quam illi nefandissimo diuidunt errore: Ad extremum, pro diuinis simul humanisque legibus, quæ iniuriarum immunes sanciunt debere esse eos, qui mediatores hostilium efficiuntur armorum. Inter arma namque hostilia, sola legatio pacis sequestra est: Exuit hostem, qui legatione fungitur. Festinemus igitur ad prælium, & de diuina protectione confisi, hostiles phalanges aggrediamur intrepidi.*

l. 1. c. 20. de gestis Francorū.

XX. Et quia legationem impediens (aiebat Alex. Papa) non vnius, sed multorum profectum accersit: *& sicut multis nocet: ita à multis arguendus est, & bonorum societate priuandus. Et quia Dei causam impedit, & statum conturbat ecclesiæ: ideo ab eius liminibus arceatur: ab omnibus itaque talis est cauendus, & non in communione fidelium vsque ad satisfactionem recipiendus.* Concordat Glossa in *c. ius gentium. d. 4.* docens temeratorem legati, secundum leges hostibus tradi, nè in parricidas arma exurgant vltricia. *Video enim* (ait Cicero) *& ex ijs quæ legi & audiui, intelligo, in qua ciuitate non modo legatus pop. Rom. circumsessus, non modo igni, ferro, manu, copijs oppugnatus, sed aliqua parte violatus sit, nisi publicè satisfactum sit, ei ciuitati bellum indici, atque inferri solere.* Secundum canones verò excommunicari, vt Clemens V. teste Platina, Philippum Francorum regem excōmunicauit, quia in carcerem, Romanum coniecisset legatum: vel dignitate priuari, vt Episcopus Antiochiæ Stephanus, quem iudex Constantius sese pontificatu abdicare coegit, quia Episcopis à Constante pro Athanasio missis tetendisset insidias. Si enim in omnes imaginum ac statuarum violatores acerrimè est vindicatum; vt Atheniensium vrbem Philippus propter suas statuas vrina respersas, impleuit sanguine; qualem vltionem iniuria exigit legatorum, qui XXII
viua Principis dicuntur imago? Totis concutiendum est viribus regnum, &
perdenda potiùs, quàm læsa ferenda maiestas. XXIII
Læsum qui præterit legatum, dignus est tanquàm periurus, & proditor caduceatorem nè inueniat, vel si inuenerit; inuentus inuentorem proditione rependat.

c. si quis d. 94. Orat. 2 in Verrē. Latinus Pacatus in paneg. Theod.

PRIVILEGIA LEGATORVM.

CAPVT NONVM.

1 *Ius ciuile derogat aliquando iuri gentiū.*
2 *Legatorum priuilegia cur, à quo inuenta.*
6 *Legato obuiam mittitur, qui hoc egerint.* 7. 8.
15. *Nobili loco legatus excipiendus. Comes Bironius humiliorem locum recusat.* 17.

capite

Sal.An. 1055.

capite operto sedet; 17. quando præcedat eum, ad quem mittitur.

4. *Legatus immunis personaliter, realiter, localiter.*

7. *Obuiare alicui quale signum. 9. aliquando fraudis. 11. vel custodiæ.*

10. *Legati hostium extra vrbem auditi.*

12. *Legatus amicus libero recipitur hospitio.*

13. *Audientia non deneganda Legato. 14. Laconum legati exprobrant audientiam negatam prætextu infirmitatis.*

17. *Legatus subditorum apud Venetos non sedet. 18. an cooperiat*

18. *Legatis exterorum an domus & lautia dentur. 19. cur in æde Saturni nomina darent. 20. lautia à quibus data, vel non. 23. legatorum prima petitio,* sibi Senatum dari. *24. tempus recipiendi legatos. 25. ciuili actione non conuenitur. 26. quid de contractibus initis ante legationem. 27. Legatis ne credant mercatores, argutum monitum. 28. apud Turcas an conueniantur. 29. Barbaries Turcarum in legatum Anglorum. 30. quomodò procedendum cum legato debita non soluente. 40. immunis à vectigalibus. 42. gaudent iure Asyli. 45. in cauponà omnibus antefertur. 46. vicini non poßunt ei esse molesti. 49. vtuntur iure postarum. 50. captus ab hostibus publico ære redimendus. à die creationis vtitur priuilegijs. 51. expensas recipit neceßarias. 57. si expolietur à latronibus, mandanti non imputetur.*

28. *Venetorum laus.*

31. *Biglioris Com. Lucernæ, & auctoris dissidium componitur ab Emmanuele Duce Sabaudiæ.*

33. *Auctoris epistolæ ad Emmanuelem Ducem Sabaudiæ.*

36. *Cum Regibus contrahere an vtile.*

38. *Contrahentium securitas in fide consistit.*

41. *Legatorum familiares gaudent legati priuilegijs.*

43. *Augustus nullum permisit Asylum.*

45. *De caupona nemo potest expelli.*

48. *Legatorum filij in legatione nati, dicuntur nati in patria.*

48. *Philippi II. Regis Hispan. magnanimitas erga Legatum Rodericum Gomes.*

54. *Merces legati morientis in itinere, hæredibus debetur.*

58. *Munera an possit recipere legatus. 62. an beneficia impetrare Ecclesiastica pro se, vel consanguineis? 64. statua donatur in legatione mortuus. 67. nè sit tumidus. 65. honorem suum nemini det. 68. an magno comitatu procedere debeat. 69. Pompilij Rom. temeritas in Antiochum. 70. modestè loquatur. 73. vbi fruantur & apud quos priuilegijs.*

66. *Veneti legati constantia, fortitudo, magnanimitas.*

70. *Philippus Macedo legatum corripit Romanum superbè loquentem.*

71. *Selimi legatus timidus.*

72. *Carthaginiensium legati timidi.*

I IVs ciuile, cuius Saltem vsurpatione est, gentium plaudere vel moribus derogare; Legatorum sanctam dignitatem ijsdem spoliauit priuilegijs, quibus exornauit. Nonnisi cum placida venerentur Numina
1. Reg. populi, nam (seuientem Hebræus in
II rusticano campo Arcam dereliquit) quid confert Legatorum sanctitati, reorum Asylum; quod Regum excogitauit superbia, non legatorum securitas, vel pacis necessitas? quid familiæ immunitas, vt sub vmbra legatorum impunes grassentur adulteri, & exultent sacrilegi? in sontium vindictam, & bonorum laudem caduceatores designauit natura, quorum linguà fieret discordia concors, non vt in alienà messe Falcem ponerent. Quid refert, quòd Christianorum queratur aula cinctos famulos, cum natura plangit temeratas nuptias, & peremptos innocuos? Naturæ si immutabilia sunt iura; violenta sunt priuilegia, quæ innatæ legi vim faciunt, & terrarum pacem exturbant. III Quanti habeas legationum hæc spicilegia lector, post sufficientem enumerationem, gradatim perpendam.

Immunitas primum occupat locum, quæ IV. triplex est, *personalis, realis, & localis*. Prima Legati sanctam resonat personam; de qua supra. *Realis*, vt non tam ipsi, quàm eorum bona publicis non subiaceant vectigalibus, vel gabellis: *Localis* tandem, vt securitate gaudeant sub tegmine eorum domus se recipientes; ne extrahantur inuiti, veluti starent in sacrosanctis Ecclesijs, imò V augustior pateat legatorum domus, cum est angustior Ecclesia, quæ voluntarios non

Sal. An. 1055. recipit homicidas. *c. inter alia. De Immunit. Eccles.*

De Personalibus pauca subijciam. Quibus honoribus sint excipiendi? quærenti
VI dicas, primæ dignitatis legatis propinquantibus, per officium obuiam mitti, in signũ fœderis, & pacis testimonium. Quod si omittatur, auersi animi est argumentum, vt adnotauit Lucanus *lib* 3. cum Cæsar hostili animo Romam armatus pergeret.

Non illum lætis vadentem cœtibus vrbes
Sed tacitas vidisse metu. Nõ constitit vsquã
VII. *Obuia turba duci.*

Sic Pompeius omen dixit exitij, neminem sibi obuiare ab Ægyptio Rege. Ex aduerso Octauius, vt milites conspexit paternos obuiare sibi, omnia dein lætiora sperare cœpit. Hinc Pyrrhus *legatis Romanis ad redimendos captiuos castra sua petentibus, quò tutiùs venirent, Lyconem Molossum obuiam misit. Quo honoratiùs exciperentur, ipse cum ornatu equitum extra portam occurrit, secundarum rerum prouentu non adeo corruptus, vt officij prospectum in ijs deponeret, qui tum maximè armis cum eo dissiderẽt.*
VIII Carolus M. misit qui exciperent legatos Aaronis Regis Persarum, vt primùm Pisarum portum tangerent: vt in *Annal. Francor. An. Sal.* 802. Cum Papiæ esset Carolus M. *nunciatum ei Legatos Aaron Amiralmumninin Regis Persarum portum Pisas intrasse. Quibus obuiam mittens, inter Vercellas & Eporegiam sibi fecit præsentari.* Comitatis
IX tamen & gratitudinis limites non excedant; nec timoris, sed amoris honor sit argumentum: vt de Prusia apud Liuium legitur *lib.* 33. qui regio indignus nomine, non erubescebat *paleatus, capite raso, obuiam ire legatis Romanis*, obsequio vsque in seruilem patientiam demisso. Veruntamen cum similes occursus non semper sint species honoris, sed aliquando doli vmbræ, & fraudis prætextus, vt nè legatis liceat vlteriùs,
X neque alíouersum pergere, quàm quò, & quà ducuntur. *Antiochus Legatis Romanis, nè Pisidiam ad se, vbi bello occupatus erat, venirent, Apamæam occurrit. Syracusanis legatis, Senatus, nè in vrbem intrarent, extra portam, per suos legatos Hippocratem & Hippicidem obuij sunt facti.* Liuius *lib.* 14. Sic Romani extra Vrbem, intra ædem Bellonæ Senatum vocabant, cum hostium legatos intra vrbem admittere nollent. *Lampridius in Heliogabalo*. Aliquando stat etiam pro XI
custodia honor, nè libere vagentur in vrbe ad solicitandos populorum animos: quomodò *Adathantem* perfugam ab Lucullo habitum fuisse Frontinus tradit: *Stratag. lib.* 2. Quod potissimum, cum hostilium gentium vsurpatur legatis. Nam amicæ legationes liberis ædibus excipiuntur. Venetorũ mos est obuios mittere Patres, regali in sede subsidente Duce, & surgente, appropin- XII
quantibus ad ostium legatis, Nec vmquàm amicis aditus intercipitur: Vnde *Iacobus* ab XIII
Rege Persarum legatus ad *Iustinum* Imperatorem, cum Iustinus æger esset, ab Imperatrice est exceptus, cui literas Regis reddidit: teste Menandro 250. *de Legation.* 97. Ad *Lygdamum* cum legati *Laconum* missi essent, & colloquium poscentibus di- XIV *Bulẽgerus Hister. lib. 11. pag. 334.*
ceretur eum ægrum esse: responderunt Lacones, se non venisse, vt luctarentur. Magnificè itaque comiter excipiantur, obuiam eundo, surgendo, sedile honorificum apponendo; nam *Bironius* Gallorum legatus cum *Aruerniæ* comite, & *Crequio* ad *Elisabetham* Anglorum Reginam venissent, vbi XV
Regina sublimi solio sedebat, Bironius verò humiliori sella subsidere iuberetur, indignam loco suo, & legati nomine, quod sustinebat ratus, abnuit; quare Elisabetha causata æstum, de solio excendens manu apprehensum ad fenestram vt frigus captaret, deduxit, & sermonem diù consociauit: tum Comitem *Aruerniæ* agnitum primo loco semper habuit; *Bironium* post regias opes ostentatas in penetrale lararium introducit, & Comitis *Essexij* caluam inter alias plures, digito signans, additq; *Hæc eos pœna manet, qui à Regibus ad honores euecti, ab ijsdem per flagitium deficiunt.* Quà itaque pompa ac maiestate legatos recipias, docuit Cæsar XVI *de leg. exter. Gent.*
apud Dexippum. *Vt Aurelianus Augustus audijt, venisse legationem Iutungorum Scytharum, disposuit milites suos, vt ad pugnam hostibus terrori essent, vel in conspectu eorum. Postquàm autem bellè acies instructa esse visa est, ascendit sublimis in suggestum, & chlamyde purpurea insignis, aciem circa se lunatam disposuit. Aderant autem in equis omnes, quibus cõmissæ erant dignitates. Ponè Imperatorem signa erant exercitus lectissimi, Aquilæ aureæ, imperatorum imagines, exer-*

citum

Sal. An. 1055. *citium catalogi aureis litteris declarati, quæ omnia in hastis argentatis sublata proponebantur.*

XVII Cum peruenerint, salutato Rege, capite sedent cooperto: ad differentiam legatorum subditæ ciuitatis, quorum est operire caput, non tamen sedère, vt sæpè Venetijs vidimus. Licèt nec operire caput, quandoque suaui & placido negatum fuerit prætextu. Vt quum frequenti Senatu publica ageretur causa, & Veronenses fuissent intromissi Oratores; sciscitantibus ipsis *an cooperire possent?* responsum est; *posse quidem, nè tamen præterirent Vniuersum Senatum aperto sedere capite*. Sic verecundia, non pileo cooperti steterunt. Quòd si primæ dignitatis fuerint, nil prætermittendum, quo grauitas & suauitas Maiestatis eluceat. Idem namque honor Legationibus in sedendo, subscribendo, ferendis suffragijs, alijsq; id genus similibus rebus exhibetur: qui ijs, à quibus missæ sunt, si præsentes essent, deberetur. *c. præcipimus d.* 93. Qui itaque locus est principis aut Reipub. eundem esse illius, quem Princeps aut Respub. ad exteros solemniter legauit. Hinc Romanorum legati Regibus præcedebant. Ille tamen excipitur, ad quem missa est legatio. Quippè etsi hic multo infra sortem, & conditionem illius sit, cuius est legatio, tamen eum in ditione sua eminentissimo loco esse, æquum

XVIII est. Domo Publica excipiebantur exterarum gentium legati à Romanis quondam, libertatis tempore; ac ex publico ærario decernebantur sumptus, Tacit. 16. *Annal.* Valer. Max. *lib. 5. c.* 1. Qui mos (ait Paschalius *cap.* 35.) non ob frequentiam legationum, vt putat vulgus literatorum, in sequenti æuo exoleuit; sed quia processu temporis Roma victorijs, & felicitate, facta est Patria omnium propè gentium, quarum legationes, quoties vrbes inibant, non sicuti exterorum excipiebantur, qui essent propè domestici. Vsque huc *Paschalius*, cui longè præferre quis negabit Plutarchũ,

XIX qui *lib. Quæst. Rom. num.* 43. ita scribit. *Cur legati, vndecumque Romam missi, ad Saturni ædem accedunt, ibiq; nomina sua dant præfectis ærarij? An hoc sit, eo quòd Saturnus cum fuerit peregrinus, hospitibus gaudeat? Aut historia potius quæstionem soluit? Antiquitùs enim, vt apparet, quæstores legatis munera mittebant, quæ lautia dicebantur, ægrotantium curam suscipiebant, mortuisque funus è publico faciebant: nunc autem ob multitudinem legatorum qui veniunt, sumptu omisso, id tamen seruatur, vt legati accedant præfectos ærarij, qui eorum nomina in tabulas referunt*. Concordat Alex. ab Alex. Fuerunt etiam Troiani, à quibus nec alimentis, nec publico legati excipiebantur hospitio. *Dites Cretensis*. Ex aduerso inter plurimos Ludouicus Pius Occid. Imper. II. legitur Legatis alimenta subministrasse quousque forent in regno eius. *Theganus* Quid hodie debeatur Legatis? stat sua cuiq; consuetudo, regno; & pro Legatis Ordinarijs nulla exhibentur lautia, nisi mos singularis suffragetur Legato. *l. 2. c. 2.* XX XXI *lib. 1. de Bello Troiano* *de Gestis Ludou. Pij n. 9* XXII

XXIII Admissi cum fuerint legati, hoc primum petunt, *sibi Senatum dari*, idest, vt Senatũ adire, mandataque sua, & postulata exponere liceret, ad eamq; rem sibi dies diceretur; *Legatis Carthaginiensium, & Philippi Regis (nam ij quoque venerant) petentibus*, vt Senatus sibi daretur, *responsum iussu Patrum à Dictatore est, Consules nouos bis Senatum daturos esse*. Idem lib. 45. *Cum Rhodij gratulatum se de victoria, purgatumque ciuitatis crimina, dicentes venisse, petijssent, Vt Senatus sibi daretur*. Et lib. 42. *Responsum tanquam legatis*, vt qui adiretur. Apud eundem lib. 29. Locrensium legati erant, vti sibi *Patres adeundi, deplorandique ærumnas suas potestas fiat*. Solo namque Februario Mense Legatis iure ordinario aperiebatur Senatus, vt tradit Cicero. *Act.* 11. *in C. Verrem. Sunt Romæ legati. Milesij, homines nobilissimi, ac principes ciuitatis: qui tametsi mensem Februarium expectant*. Idem *ep.* 4. *lib.* 1. *ep. famil. Senatus haberi ante Kal. Feb. per legem Papiam, id quod scis, non potest, neque mense Februario toto, nisi perfectis, aut reiectis legationibus*. *Liuius lib. 3.* XXIV *tempus recipiẽdi legatos.*

XXV Inter priuilegia, quæ legati respiciunt personam, & illud numerant, quòd ciuili actione conueniri nequeat coram Principe, vbi est Legatus; sed eò solum cuius est legatus. In eius enim territorio, patria, domo censetur esse, *à quo* missus est, non *ad quem* missus est; propterea si numquàm abesse censetur à patria, legibus municipalibus, vel consuetudinibus eius, apud quem est legatus, non tenetur. Quod verum de *Ciuiliter non conuenitur.*

Sal. An. 1055. contractibus ante legationem initis: secus si legationis tempore se obstrinxerit. Iustitia, æquitas tunc obligatum vult, nè legationis vmbra, legato ansa præbeatur grassandi in bonis subditorum. Nec minus eidem consulitur Legato; si quà enim Legatus non obligatur, quis cum eo contrahere audebit? & si ipsi commercium interdicimus, vnde sibi & familiæ alimenta prouidebit? si popularibus solius legati suspectū est nomen, quid si pupillorum instar cæteros sibi obliget, ipse verò reliquis non obligetur? Obligatur Legatus, cuius est, non apicem iuris inquirere, sed celeri solutione mercatores allicere, quemadmodum Hispaniarum Legatus *Benauides* ad *Mathæum Tomitanum* Venetum mercatorem; cui iste spe futuræ numerationis non bis vendiderat phrygios, sericosque pannos valoris decem aureorum millium. Legatione finità, acersito Tomitano ait Legatus *Tomitane mi, vt credidisti, solui: veruntamen Legatis nè fides amplius. Si enim soluere renuant, vndè conuenias, non habes. Si Colleggium questum accedas, præter verba, nè speres. Isti namque Patres quieti sunt, & pacifici.* Pacifici quidem sunt iustissimi Venetorum Patres, propterea teste D. Thoma *de Regimine Principum*, perpetuum habent regimen, quia *moderatum* volunt; nec vmquàm legibus naturæ visi sunt aduersari. Porrò subditorum iniuriam nec propulsare formidant aduersus Reges, imo & ferocissimos barbaros, leonum more excubantes, vt catulos suos hoc est subditos aduersùs protegant potentiorem. Ius verò Gentium, an legatum conueniri patiatur, prò debitis initis legationis tempore, fusius infra dicam. Huc facit controuersia, quam aduersus Principum Legatos mouit Sal. An. 1632. Turcarum *Mufti*; volens coram *Cadisleriis*, idest sacerdotibus conueniri Oratores ab iis, qui in eos haberent querelas. Immunes se excusabant Legati cum dignitatis titulo, tum iure fœderum. Replicabat verò *Mufti Antiquum & patrium morem, Diuinam legem humano pacto, & Regum mandatis violari non posse: quemadmodum & fœdera irrita haberi, ni à sacerdotibus & legis custodibus forent adprobata.* Porrò vt tunc Turcarum Prorex controuersiam dissimulatione protraxit, *Sagredus*, implacabili postea barbarie cum Anglorum Legato iura omnia subuertit. Quum a mercatoribus Anglis ad Turcarum iste prouocatus tribunal, non muneris sanctitate, non fœderis religione potuit illæsam assequi immunitatem; sed *An. Sal.* 1647. satellitum manu raptus, absque vllo comitatu, liberis & vxore ferè in vinculis relictis, scapham ascendere cogitur, & se inimicorum insidiis credere. *Victor. Sirus. tom.* 10.

XXVI *quid de initis ante legationem*

XXVII *mercator ne credat legato*

XXVIII

XXIX *Barbaries Turcarū in legatum Anglorum.*

Bona itaque Legati mobilia, cum personæ sint accessorium ordine iudiciario, nec etiam manu Regia, pignoris causa capi nequeunt, vt ad debiti solutionem cogatur legatus; etiam si tempore legationis contraxerit, verius puto conueniri non posse, sed amicè requirendum, vel ad eum qui misit, prouocandum; vt mihi feliciter contigit aduersus Comitem Bigliorem Lucernæ Emmanuelis Allobrogū Ducis apud Venetos legatum. Sequentes Epistolæ factum exponunt.

XXX *Quid agendum cū legato debita nō soluente.*

XXXI

Epistola Io: Palatii
Ad Emmanuelem Ducem Sabaudiæ

Absquè temeritatis nota visi sunt semper ad Regum tribunal oppressi confugere, vt eorum manu, in quibus Dei imaginem veneror, infirmiores à validioribus protegerentur. Orbem peragraui, vt dominationis arcana dignoscerem, & Regnorum excelsis, labores meos, quos typus expectat, exornarem. Taurinorum diuersatus Augustæ, & ibi ex subditorum pace, Magistratuum iustitia, annonæ copia, splendore aulæ, Principis admiratus maiestatem, patriam reuisurus, nè librorum sarcinis, quos pretio parauceram implicatus, iter arriperem, eas apud mercatorem Bernardinum Morellum deposui, vt inde viro nobili.......dirigeret: autumans, quòd tanto fulcitæ nomine, librorum censurā in Padi ripà exerceri solitam, effugerent. Casus obstitit, & nescio quomodò Comiti Lucernæ oblatæ, prætextu crediti aduersùs virū nobilem......retentæ sunt. Iustitiam imploranti, audientia etiam denegatur. Notitiam facti palam fecit mercator, quam tamen respuit Comes, nè restituat. Si à viro nobili...........comes exigit; vndè sarcinæ meæ adiudicantur alienas componere simultates? Fortassis quia alieno signantur nomine? Principum benignitas, vndè libertas populo & mihi,

XXXII

Sal. An. 1055. *mihi, dat bona sua cuicumq; quandocumque, & quomodocumque dirigere, si fraus absit vectigalium. Facti species vera effulget Mercatoris testimonio, librorum catalogo, gabellis solutis, vt Parisijs Lugdunum, Lugduno Turinum traducerentur, vbique ego eorum solus & verus Dominus. Quid si non Dominus? Vnde priuata manu audet comes sibi ius dicere? & detrimento publicæ negotiationis obsignatas retinere epistolas alienas? Quid agam, bona mea perdam? Haud sinit iustitia tua Princeps Sacrosancte: aduenam subleua, qui tua confisus iustitia, hominem non habens, qui me in piscinam mittat, ad pedes tuos humilis prouolutus, ea scribendi libertate, quam fouet regimen tuum immaculatum, cogor te inter iustos Principes, voce & calamo* Iustissimum *resonare.*

Datum Venet. 1668.

Responsio.
Emmanuelis Ducis Sabaudiæ.

XXXIII D. *Io: Palat. Rectitudinem intentionis meæ iusta lance librasti: credendo, si à subditis meis grauandum neminem cuiuscumque sit conditionis; quanto magis personas tibi similes, gratia, merito, gloriaque florentes. Expressè propterea mandaui Lucernæ Comiti Legato meo, vt protinùs querimoniæ occasionem tollat, nec vltra detineat domi suæ relatas sarcinas. In reliquis si te prosequi beneficio valeam, propensiorem in me parem existimationi inuenies, quam de te concipio: Deus te sospitet diù.*

IV. Kal. Iulij 1669.
Commodis tuis
Dux Sabaudiæ R. C. Emmanuel

Gratiarum Actio.

I*Mmaculata manu (S. Dux Iustitiæ tuæ Sarcinis meis restitutis III. Kal. Aug. minimè persoluam grates, si in Summi Dei Vicarijs politia non est, sed natura insontes tueri. Regum Regi gloria, cuius dextera, tua* XXXIV *fabre facta Maiestas Æternam resonat Sapientiam in Regali tuorum progenie sibi extruxisse domum, non vt Allobroges consolaretur, sed Orbem. Sileat Romana libertas, quùm ex S. C. Latij idioma edocti sunt barbari, vt à terrarum finibus possent in Prætores suos exarare querelas. Domi enim sedens, solis characteribus tuam aucupor iustitiam. Ad Romanorum statuas si aufugissem quondam, sceleri ius canerem: innocens modò non ad statuas confugiens lapideas, sed ad viuam Dei imaginem, vitæ, bonorumq; assequor securitatem, & de æmulatione triumphans resono*

O Melibee, Deus nobis hæc otia fecit.

Vnde calamo linguam tuam pingere detur XXXV *veluti Apocalypsis gladium ab ore pendentem Angelico; cuius dextera stellis irradiata tuam Regalem Idæam annuit; cuius in dextera quia lucent astra Iustitiæ, sub gladio linguæ tuæ genuflectunt subditi obsequentes, & aduenæ adorantes. Pridie Idib. Augusti.*

Io: Pal.

Nec metuendum est, vt regrediamur ad XXXVI castra, quod quidam putant, nè si id iuris *Regibus non desūt creditores* sit, nemo cum legato velit contrahere. Nam & Regibus, qui cogi nequeunt, non desunt creditores, & apud quosdam populos moris fuisse docet *Nicolaus Damascenus,* XXXVII vt de contractibus qui in creditum ijssent, ius nullum redderetur, sed cum ijs agi, veluti cum ingratis. Vnde cogerentur homines vel consūmare contractum, vel fidem debitoris accipere prò solutione. Hic ille status, quem optat Seneca 3. *de benef. c.* 13. *Vtinam quidem persuadere possemus, vt pecunias creditas tantùm à volentibus acciperent: vtinam nulla stipulatio emptorem venditori obligaret: nec pacta conuentaque impressis signis custodirentur. Fides potiùs illa seruaret, & æquus colens animus.* Sic inoleuerat Romanis, Numæ regno, vt sola XXXVIII fide absque scripturæ, vel testium depositione contractum firmarent. Liuius *lib.* 1. qua religione victæ nationes conterminæ, credidère Romanam ciuitatem in habitaculum versam esse Deorum. De Indis idem narrat Elianus *lib.* 4. consentit Strabo *lib.* 15. XXXIX *Iudicia non esse nisi de cæde & iniuria: quia homo præstare non possit, ne in ea incidat: At contractus in cuiusque esse potestate: ideo ferendum si quis fidem violet: & ante videndum, cui quisque credat, non autem litibus implendam ciuitatem.* Placuit etiam Aristoteli *Moral.* 8. *cap.* 15. *apud quosdam de his rebus iudicia non sunt; existimant enim homines contentos esse debere fide, quam sunt secuti & lib.* 9. *c.* 1. *Est vbi leges de credito ius reddi vetant, quasi priuatim tantum cum eo agendum sit, cum quo quis contraxit, & cuius*

Sal. An. 1055. *cuius fidem secutus est* .

Eidem legato immunitas cohæret vectigalium, pro his tamen rebus, quas ad vsum familiæ circumferunt. Secus prò merci- XL *Vectigalium immunitas.* monijs. *l. Legatis. C. de Vectigalib.* curia Romana, in gratiam Legatorum Regum, Cæsaris, Hispanorum, Gallorum, & Venetorum abrogatum est Breue, & nullum declaratum, in quo Legatorum immunitas à vectigalibus, & gabellis videbatur aliqualiter vulnerata.

Quod de legato, eiusdem etiam familia XLI dicitur; vt militum priuilegia erga militiæ extenduntur ad ministros. *l. abesse. §. vlt. ff.* *familiares legatorum an gaudeāt.* *ex quib. caus. maior. l. 19. ff. de captiuis. l. temporalibus. C. de vxoribus milit.* Si tamen Legatorum familiares, & comites in commentarium Principis fuerint relati, hoc est, si socios suos & de familia Legatus agnouerit. Hinc nouum consurgit priuilegium, quod.

Asyli iure gaudent confugientes ad do- XLII *Asylli ius.* mum Legati, ni tamen perduelles, vel læsæ maiestatis rei fuerint. Quo autem iure? ciuili dicas, non Gentium, vndè vbique loci seruanda consuetudo. Sit tamen cuique in propria innocentia securitas, non in locorum sanctitate, vt aiebat Augustus, qui sceleribus (*Suetonio* teste) impunitatem XLV præcidit, perfugia omnia aboleuit; propterea Legatus valuas suas facinorosis non aperiat; qui ad maiora scelera hoc prouocati perfugio, irrident magistratus cohortem, & in odium eiusdem Legati incitant XLIV Magistratum. Detur hoc Legato, nè absque eius permissu facinorosus extrahatur; quemadmodum à Bonifacio V. Pontif. Max. Ecclesijs datum, nè quis indè citrà Præsulis consensum rapiatur.

Legatorum insuper est priuilegium, vt XLV *ius caupone.* quamuis de caupona hospes semel admissus (dũmodò honeste viuat & probè soluat) expelli non possit, vt opulentior, vel amicior intromittatur, Legati tamen fauore non tam licet, quàm debet. *arg. l. iubemus. C. Sacros. Eccles.*

Vicini molestia. Magistratus, præsertim requisitus prospiciat, nè Legatus molesto vicinorum strepitu, vel alijs incommodis turbetur; habet enim (vbicumque subistiterit, Domicilium honoris, non oneris)

XLVII Legatorum liberi in Legatione nati, nati censentur in patria; nam absentes Reipublicæ causa, dicuntur præsentes. Indignum *Filiorum natalia* namque foret, in Regio obsequio versari, & patriæ destitui priuilegijs. Imò Principis interest, rebus prodesse Legati, vt hic ardentiùs negotia Reipublicæ meditetur. Rex Hispaniæ *Philippus II.* Roderico Gomes XLVIII dicebat: Tu mea peregrè curabis: ego tua domi non negligam. Cumque illo mortuo conuiciaretur plebs, & liuor opimam nimium hæreditatem liberis relictam fuisse; *Credebam* (inquit Magnanimus, & prudens Rex) *liberaliùs me profuisse*.

Vtuntur Legati *Postarum* iure, vt tabel- XLX *Vtuntur iure postarum.* larios & cursores ad Principes suos citissimè mittere possint; licèt à Barbaris in dies hoc ius temeretur. *Sagredus*.

Legatus si ab hostibus capiatur, ære pu- L *Publico ære redimendus.* blico est redimendus. Quibus priuilegijs fruitur legatus à die creationis, vnde Venetijs protinùs ab Oratoribus Principum visitantur.

LI Legationis mercedem recipit & expensas redimit necessarias. *l. idemq. §. labeo ff. mand.* circumeuntes autem, & peragrantes oblectationis causa, nec expensas, nec mercedem à Republica consequuntur. *l. qui fiscales. C. de lustri auri col.* secus si ægrotentur. Baldus *in l. final. ff. ex quib. caus. maior.* Quid si plures sint legati, alterq; eorum decedat? salarium, siue viaticum, seu legatiuũ *l. vlt. §. 12. ff. de muner. & honor.* (quod ijs præsertim adnumerabatur, qui gratuitam, LII susceperant legationem *l. 2. ff. de legat.*) prædefuncti, viuenti nõ accrescere, ait Baldus in *l. 1. C. de leg. lib. 10.* Viatici verò priuilegium LIII est, vt si quis in munere legationis, ante- *merces morientis legati cui debeatur.* quàm remearet in patriam, decesserit, sumptus, qui proficiscenti sunt dati, non restituantur, sed transeant ad hæredes *l. legatus. 10. ff. eod.* Si verò reuertatur, viaticum per- LIV cipit pro illa etiam die, quà reuertitur. *l. itinere ff. de V. S.* secùs si salarium mensis sit, LV & tertia hebdomada reuertatur. Baldus. *l. Lucius. ff. de leg. 11.* Quid si decedat, priusquàm viaticum consequatur? ad hæredes LVI transmittit *l. legatus. ff. de legat.* Quid si in itinere à latronibus expolietur; casu, naufragio, ruina bona sua amittat, à Principe LVII forsan resarcietur damnum? dico mandanti non imputari, sed extra mandati causam contingere. Propterea Io: Andreas doctor

Sal. An. 1055. doctor Iuris Canon. Bonon. quem ad Pontif. Max. tum Auenione ſedentem, legatum miſerat Ægid. Cardin. & Commune Bononienſium, cum in reditu non procul à Ticino in prædones incidiſſet, & ab eis expoliatus fuiſſet, referunt cenſuiſſe Bononienſium doctorum Collegium, periculum ad Ioannem, non ad Rempublicam pertinere. *Cuiacius §. non omnia. l. 26. ff. mandati.*

LVIII *Munera an poſsit legatus recipere.* Priuilegio an gaudeant accipiendi munera? Athenienſes negant, quibus pœna capitis erat, ſi munera accepiſſent. Inde legatus, quamuis honorificam & probatiſſimam omnibus Athenienſibus pacem cum Rege Perſarum ſanxiſſet, tamen quia in legatione munera accepiſſe viſus erat, parum abfuit, quin capitali afficeretur ſupplicio. *Xenophon lib. 7. rerum Græcar.* Sic Veneti pœna capitis legatis ſuis munera accipere interdixerunt. *Gentil. lib. 3. de leg. cap. 3.* Idem legitur de Corinthijs: de Romanis apud *Zonar. ex Valer. Max. de abſtinent. & Contin.* Qui ſemel munera accipit, vt taceat; nè ampliùs ſperes, quod linguam ſoluat. Porrò nè liberalitas, humanæ ſocietatis vinculum, auferatur in totum, à priuatis munera ſecerne publica & ordinaria, quæ hoſpitalitatis & beneuolentiæ dantur teſtimonio. Priuata verò, quæ corruptelæ & ani-
LIX mi nundinandi ergò offeruntur. Illa honeſta, hæc inhoneſta; nec ſpeciem habent recti, niſi noua mittentis liberalitate poſſideas, quæ ab extraneo Rege es aſſequutus. Veneti à legatione reuerſi, protinùs ad pedes Principis munera accepta deponunt, &
LX ſolius S. C. gratia ferenti reſtituuntur. Q. Fabius Gurges; C. N. Fabij Pictores. Q. Ogulnius: ad Ptolomæum Regem miſſi, munera, quæ ab eo priuatim acceperant, in ærarium, & quidem priùs, quàm ad Senatum Legationem referrent, detulerunt: de publico miniſterio, nil cuiquam, præter laudem benè adminiſtrati officij, accedere debere iudicantes. Ea tamen legatis data ſunt (ait Valerius) quæ in ærarium repoſuerant, non ſolum Patrum conſcriptorum decreto; ſed etiam populi permiſſu. Ita in ijſdem Ptolomæi liberalitas, Legatorum abſtinentia, Senatus, ac populi Romani æquitas debitam probabilis facti portionem obtinuit. *Valer. Max. lib. 4. c. 3.* diſciplinæ verò laxato rigore, conſuetudine, vel abuſu inoleuit legatis munera dari, vt legitur de legatis Mediolanenſibus, apud Martinum Laudem. *de leg. Princip. to. 5. Tractat. p. 256. q. 35.* & Bartolo in legatione ad Carolum IV. quùm Piſis nomine communis Peruſij, ab eò arma, ideſt *Leonem*, impe- LXI
trauit. An verò ad Pontificem Romanum miſſi Legati, pro fratribus ſuis beneficia impetrare poſſint, affirmant I. C. ſubſcribere illis non audeo; cum vtrobiq; Reipublicæ obſtet detrimentum. *An à Põtifice poſſint impetrare beneficia.*

Finita autem legatione, non prohibentur, poſtquam fuerint in patriam reuerſi, LXIII
dignitates obire eccleſiaſticas, vt Sal. An. 1673. Menſe Iunio contigit in Petro Baſadonna S. Marci Procuratore, ſacra purpura redimito, qui iam apud Romanum Pontificem legationem ſubierat.

LXIV *Statua donatur in legatione mortuus* In Legatione *mortuis*, ſolenne fuit apud Romanos, ſtatuam poni: tum ijs, qui ex morbo interierant: tum etiam quibus contra ius gentium in legatione interfici contigit. De illis, qui morbo deceſſerant, quanquàm dubitatum eſt, an ſufficiens eſſet ad ſtatuæ honorem cauſa, ita tamen contrà P. Seruilium cenſet Cicero *Philipp. IX.* Cum ille honorem ſtatuæ nemini tribuendum cenſeret, niſi qui ferro eſſet in legatione interfectus. *Ego autem* (inquit) *ſic interpretor ſenſiſſe maiores noſtros, vt cauſam mortis cenſuerint, non genus eſſe quærendum. Etenim cui legatio ipſa morti fuiſset, eius monumentum extare voluerunt, vt in bellis periculoſis obirent homines legationis munus audaciùs. Non igitur exempla maiorum quærenda, ſed conſilium eſt eorum, à quo ipſa exempla nata ſunt, explicandum.* Seruio itaque Sulpicio, qui in legatione ad Antonium mortuus eſt, ex S. C. ſtatua poſita fuit, addita ibi cauſa. *Quod ob Rempublicam in legatione mortem obierit. Ijs enim Maiores noſtri, qui ob Remp. mortem obierãt, pro breui vita diuturnam memoriam reddiderunt.* Illis verò, qui in legatione cæſi fuerunt, ſæpiùs hic tributus honos. *Inter antiquiſſimas ſunt & Tulli Cælij, L. Roſcij, Sp. Nautij, C. Fulcinij in roſtris, à Fidenatibus in legatione interfectorum. Hoc à Romano populo tribui ſolebat iniuria cæſis; ſicut & P. Iunio, & T. Coruncano, qui ab Teuca Illyricorum Regina interfecti erant.* Plinius.

Viui

Sal. An. 1055. LXV Viui constanter locum, honorem sibi debitum sanguine exarent, vitæ redimant periculo. Byzantij Turcarum in aula cum Venetorum legato nullum fuisset appositū sedile, conglobatum aureum paludamentum, veluti scamnum sibi subterposuit. Mandata Reipublicæ cum exposuisset, reuertebatur ibi paludamento relicto; commonefactus assumere, respondit *non solere indui, quod calcauerat*. Sic Tortonæ cum Florentinos legatos obuios haberet *M. Antonius Maurocenus* Venetorum legatus, LXVI *ad Maximilianum*. 1. eosque comiter salutasset, illi verò inurbani nullum dedissent, responsum, sequenti die iterum obuios habens, vnum eorum adeo fortiter impulit, vt Florentinus veluti lapis volutaretur in cæno, Veneto improperante, vt imposterū maioribus suis locum cederet. Franc. Sansou. l. 1. Nicol. Dolionus l. 9. Sal. An. 1497.

LXVII *ne sit tumidus* Nè tumescat tamen Legatus, cum illi obuiant honores, modestè aduertat, nec palam aspiciat à quo, quando, quomodo, quo numero, quibus ingressibus, & egressibus tecto, vel aperto capite fuerit receptus. Honores nè prætereat, non tamen captet: legationis causam agat, non superbiæ. *Agis* Lacedæmoniorum legatus (*Plutar. in Lacon.*) cum Philippum nullis prosequentibus adijsset; miratureturque Rex, quod sine vllo venisset decore. *Veni* (inquit) *vnus ad vnum*. LXVIII *An magno comitatu procedere debeat* Annuere volens comitatu non promoueri negotia; neque spectandum quantum hominum legatus ducat, sed quid afferat. Publica itaque securitate, legationis LXIX specie non abutatur: nec principum, ac populorum maiestatem, verborum arrogantia violare fas putet. Non enim eadem omnibus arridebit fortuna, vt eam impunè vsurpet temeritatem, quà vsus est *Pompilius* Rom. legatus aduersùs *Antiochum* magnum Asiæ Regem; cui cum mandata Romani populi explicasset; virga locum, in quo Rex stabat, circumscripsit, ab eoque responsum, priusquàm pedem indè moueret, exigere non dubitauit. *Pompilij temeritas in Antiochum.* *Priùs quàm hoc circulo excedas, da responsum quod referam Senatui*: Liuius. *Decad. 5. lib. 5. obstupefactus est Rex tam violento imperio*. Nè tamen Romanum populum, cuius antea potestatem fuerat expertus, offendere videretur; cum hæsitasset parumper, *Faciam* (inquit) *quod censet Senatus*. Valer. Max. LXX *li. 6. c. 4.*
Nec immeritò Macedonum Rex *Philippus* Romanum legatum, quia liberius alloquentem increpuit. *modestè loquatur.* Cum enim Philippum legatus interrogasset, *Num Abydeni* (inquiens) *tibi intulerunt arma?* insueto Regi vera audire, ferocior visa est oratio, & insolita Regi; propterea respondit Philippus: *Ætas, & forma, & Romanorum nomen te ferociorem facit*. LXXI Causa quam Legatus agit, tempus, conditio Principis à quo, & ad quem mittitur modestum, vel tumidum legatum inflat, barbarum licet; *Selimi* Turcarum Imperatoris Legatus, cum regio nomine à Venetis petitum veniret *Cypri* regnum, timens nè odio barbaræ petitionis populi subiret furorem; trepida voce & quasi gemens, exposito mandato, humilis securitatem rogabat regressus, *Contarenus lib. 9.* oblitus se illius esse legatum, qui terræ Dominus esse gloriatur. Quanto magis cum victi ad victores accedunt; vt Carthaginiensium legati ad Scipionem missi, non tam verbis, quàm vultu, gestuque triumphantis maiestati præsentem submisere fortunam. LXXII

Hisce priuilegijs an inter eos perfruantur legati, ad quos non sunt missi? dum quæritur non pertinere priuilegiorum legem ad eos, per quorum fines, non accepta venia, transeunt legati, ait *Grotius*. *lib. 2. de Iure belli, & pacis c. 18. 5.* Nam si ad hostes eorum eunt, aut ab hostibus veniunt, interfici etiam poterunt, quod Athenienses fecerunt legatis inter Persas & Spartanos; Illyrici legatis inter Essios & Romanos: multoque magis vinciri, vt in quosdam constituit *Xenophon*, Alexander in eos, qui Thebis & Lacedæmone ad Darium missi erant: *l. 6. Exped. Cyri.* Romani in legatos Philippi ad Annibalem; & Latini in Legatos Volscorum.

LEGATI NON SEMPER SANCTI.
CAPVT DECIMVM.

1. *Semel sacrum, semper sacrum.* 2. *Legatus fert faciem Senatus.* 3. *an vt legatus honorandus, cum iniquus.* 4. *cuius sit legati inquirere scelera.* 7. *mittentis est inqui-*

Sal. An. 1055. *inquirere in legatum. 8. adhuc dicitur esse in ciuitate mittētis. 9. Principis supplet præsentiam 10. legati Tarquiniorum in Rempub: Romanam molientes, impunes dimittuntur. 11. Bomilcar legatus, quo iure damnatus. 12. vel dissimulandus, vel dimittendus. 24. si patriam irrideat, pari dicterio pensetur. 14. quomodo procedendum cum legatis facinorosis. 15. legatio Carthagin: remissi. 16. quando non remissi. 17. quando impunè occidantur. 18. etiam iniuriosi non debent malè tractari. 19. Pelopida Thebanorum legatus carceri traditus, quia conspiraret in ciuitatem.*

9. *Princeps vult vbique adesse.*

16. *Legati Tarentini cur non remissi.*

18. *Cæsaris legatos Antonius verberat.*

20. *Legato ni manum temperet, resistendum*

21. *Persarum legati trucidati, quia in matronas tentarent.*

22. *Legatorum ædes nulla gaudent immunitate, si ibi sint patriæ proditores.*

23. *Gallorum legatus apud Venetos proditores patriæ fouet: immunitate non gaudet.* 24.

25. *Legati hostium an immunitate apud nos gaudeant. 26. eis quando parcendum.*

27. *Athenienses literas Philippi Regis eorum inimici ad vxorem resignare non audent.*

28. *Legatis hostium in ciuitate capta repertis, an parcendum.*

29. *Legatum lædens ex priuata inimicitia, an teneatur læsæ Maiestatis.*

30. *Consiliarium Principis offendens, qua pœna teneatur.*

31. *Legatione finita & non discedens, an gaudeat iure legati.*

I Sanctarum rerum hæc est natura, vt semel sanctum, non ampliùs possit esse profanum; & quod diuino iure vallatur, veluti in patrocinio vel patrimonio Dei, hominum effugiat manus & commercium. Hisce congruunt, quæ à sanctiendo exhibentur vt sancta, quia sanctione munita, sacrilegi capite vindicantur polluta. Legatis primum inter muros, ciuitatis portas, magistratus, post principes locum natura dedit, quia faciem secum ferant Senatus.
II Hæc sanctitas, quam ad salutem totius generis humani legationi Mundus indulget, legatorum polluatur reatu, vt delictorum catenata vinculis pœne subiaceat, & legatorum contage legatio ipsa ad supliciū trahatur? Legislatorum dissonat concordia.
III Quid enim si perduellis legatus Reipublicæ libertati insidias struat? vel matronarum illicitos tentet concubitus? grassabitur adulterio Sanctitas, & imperij ruinam vrgebit amicus? si ad pacem legatus fouendam, haud patiar intestinas discordias; deorum si est imago, non agnoscam, cum sacrilegum, vel homicidam.

An sanctus cum criminosus.

Quid ex aduerso, si scelerum prætextu in sanctum legati caput insurgam? Turcarum mos est, plura excogitare piacula, vt
IV in vno saltem innocentia rubescat. Quis audebit legationem aggredi, si eius sit, ad quem mittitur, acusare, inquirere, acta producere, tandem damnare? inimicorum perfidiæ si vis submittere ciuem, legati coerce immunitatem, eius excipe sanctitatem. Decorum enim, liberum, constantem legatum; perduellem resonabit hostis, adulterum, inhumanum.

Discrimen hoc natura ipsa conciliat, nè legatio in humani generis inuenta fauorem, eiusdem retorqueatur in odium. Vel enim V
Legatus scelera iam patrauit, vel patranda cogitat. Vel obstamus periculo, vel vindicamus offensam. Vel peccantem illudimus, vel peccati pœnam exigimus.

Cum patrata sunt scelera, quia post factum, nullum consilium, Principis est, cuius in ciuitate legati degunt, vulneri remedium quærere, circumligare plagas, absit verò homicidam percutere. Sibi imputet, somno VI
sopitum ciuium non excubasse saluti. Sceleribus itaque iura dabit, & iuxta thronum iustitiæ sontium sedebit caterua? Si Nemesis non est abbreuiata manus, cum principis statua, vel Ecclesiæ limen nocentes protegit, sic legationis sanctitas scelera non euacuat legati, sed differt, vt cò redeat, vndè recessit. Mittentis est, iurisdictio actiones exquirere missi, & seueriori pœna expiare VII
scelera, nè mittens, auctor missi crederetur facinorum. Exinde natura voluit, vt absens Reipublicæ causa, diceretur adesse, VIII
non tam absentis priuilegio, quò faciliùs ciues publica allicerentur ad munera; quàm vt legatus extra territorium illius crederetur

A quo puniatur legatus.

O esse,

Sal. An. 1055. esse, ad quem missus est: propterea minimè illius ciuitatis iure tenetur. Principes qui deorum gloriantur titulo, volentes vbique

IX adesse, cum non possint, loco, corpore circumscripti & imperio, absentiam suam legatorum suplent præsentia; quæ Regibus ipsis cohærens, & adhærens non alibi, quàm in suo throno creditur permanere, nec vmquam recedere. Nè igitur comissi sceleris à legato pœnam exigas, sed ad eum, cuius est legatus, puniendum remittas; quid facti si in historiarum perquiras monumentis,

X sequentia lege.

Dolosa Tarquiniorum legatio. Tarquiniorum legati, exterorum Regum repetitum bona cum Romam venissent, & hoc apertè monstrarent, clam recuperandi regni consilia struebant, ambientes nobilium adolescentium animos pertentantes, *Liuius l. 2. §. 4.* qui assueti more viuere regio, nec pressam ferentes libidinem facilimè in Rempublicā conspirarunt. Coniuratione verò detecta, *Consules ad deprehendendos legatos, coniuratosque profecti, domo, sine tumultu rem omnem oppressere: litterarum in primis habita cura, nè interciderent: proditoribus extemplò in vincula coniectis, de legatis paululum addubitatum est: & quanquàm visi sunt commisisse, vt hostium loco essent, ius tamen gentium valuit.* Quod publica fide venientem, li-

XI cèt peccantem, damnari non patitur, vt de *Bomilcare* Iugurtæ socio scribit Sallustius, *De Bello Iugusthino.* qui Massiuæ homicida probatus, *fit reus magis ex æquo & bono, quàm ex iure gentium Bomilcar comes Iugurtæ, qui Romam fide publica venerat.* Quare si tale sit delictum,

XII quod contemni posse videatur, aut dissimu- *quomodo puniēdus legatus criminosus.* landum erit, aut è finibus iubendus excedere legatus, quod Polybius ei factum narrat, qui Romæ obsidibus fugiendi causam præbuerat. Fecit id *Stephanus* Poloniæ Rex *Thuan. l. 73. An. 1581.* Moscis, teste Thuano. *Elisabetha* Scoto & Hispano, teste Camdeno. Legatorum itaque delictum si ex leuitate processerit, *Camden. an. 1571 et 1584.* contemnendum; si ex insania, miseratione dignissimum: si ab iniuria, remittendum.

XIV Cum iuuenes legati à Carthagine Romam venissent, teste Dione, *ibique contumeliosè quædam fecissent, missi sunt Carthaginem, traditiq; Carthaginiensibus, ab his verò nihil* *in excerptis legationum.* *illis nocitum est, sed dimissi sunt incolumes,*

XV vt de ijsdem legitur Romanis, quorum legati Fabij violato iure gentium, arma sumpserunt in Gallos, ad quos missi erant. Quòd XVI si aliquando legati non legantur mittenti remissi, vt Tarentini, qui cum obsidibus fugiendi ansam præbuissent; virgis cæsi sunt, ideo euenisse, quod Tarentini victi sub Romanis esse cœpissent.

Quid si pro tutela pudicitiæ, vel libertatis in ipso facinore deprehensi occidantur XVII *legati in facinore* legati? iustiùs foret eos à finibus nostris ablegare; veruntamen si occidantur, iure *iure occidantur pro tutela pudicitiæ.* cæsos pronuncies, maximè cum vim effugere haud possumus, nisi pulsentur; vel matronæ pudicitiam seruare, nisi legati occidantur; vel proditores nostros prohibemur insequi, legatorum ædibus immunitate seruata. Sic interpretandum quod *Theodohatus* Gothus Iustiniani legatis dixit apud Pro- *Gotthicorū 1,* copium. *Sanctum apud homines legatorum nomen, plenumque honoris. Sed hoc ius legati sibi interdum seruant, quamdiù sua modestia legationis dignitatem tuentur, ita enim existimant homines fas esse vel interficere legatum, si is in principem, ad quem mittitur sit iniuriosus, aut alienum matrimonium violet.*

XVIII Si ad quem mittitur, sit iniuriosus lega- *legatus iniuriosus an cædi posſit.* tus, iure tamen cædi dubitauit *Antonius*, postquàm ipse Cæsaris legatum captum ac verberatum, quia in eum Cleopatram solicitasset, ad Cæsarem remisit, scribens *petulantia & superbia Thyrei* (is erat legatus) *Plutar. in Antonio.* *se irritatum fuisse, quod perfacile est sibi tot malis circumuento. Tu verò, inquit, si grauiter id fers, Hipparchum libertum meum, quem penes te habes sublimem rape, ac loris cæde, vt in æquo simus ambo.* Iniusta foret Antonij excusatio, si iusta fuissent flagella.

XIX Nec plus mouet exemplum Pelopidæ: *Is cum Thessaliam in potestatem Thebanorum cuperet redigere, legationisque iure tutum se arbitraretur, quod apud omnes gentes sanctum esse consuesset, à tyranno Alexandro Pheræo simul cum Ismenia comprehensus in vincula coniectus est.* *Emil. Probus in Pelop.* Tyranni enim est factum, quod in consuetudinem non trahitur; si periculum effugere poterat, eos ablegando, vt apud Euripidem prudenter chorus monet Demophonem, nè violet præconem Euristhæi

Tum fecialem cedere huc missum audeas?

XX Respondet *ni fecialis dexteram à vi tēperet.* Huic feciali nomen fuisse *Copreo* & quia vi ageret

Sal. A 1055. in vita Herodis. agaret à populo Athenienſi interfectum narrat Philoſtratus. Sic Thraces cum viciſſent Perſæ, legatos ad Amyntam Macedonum regem miſerunt, Regi Dario terram, & aquam petituros. Ibi magnifica cœna excepti, cum iuxta Perſarum morem etiam adoleſcentulas vxores petijſſent diſcumbere; diſcumbentium verò tractare mamillas, & ſuauiari. Amyntæ filius *Alexander* nequaquàm amplius tolerare potens temulentam libidinem, dormitum ſuadet patrē. Tum ad Perſas, libeat vobis ex his fœminis eligere; cum qua concubatis: interim ad lauandum ire permittite. Hæc loquutus Alexander, approbantibus Perſis, egreſsas fœminas in muliebre remittit conclaue: ac totidem viros læues malas habentes, muliebribus veſtibus exornat, traditiſq; pugionibus introducit; qui cum luxurioſè attrectarentur à Perſis, Perſas omnes confodere, petulantis laſciuiæ iuſtas pœnas exigentes.

XXI *legatorū petulātia Herod. 5.n.17.*

XXII *Nulla ſecuritas eſt legato proditori vel proditores ſeruanti.* Quid tandem ſi proditoribus aſylum aperirent Legati? dicas tunc nulla legatorum ædibus immunitate ſeruata, proditores à ſatellitibus iure poſse vinciri; imò legatum teneri proditores eijcere, nè particeps proditionis eſse credatur. Quod ſi armis velit legatus aufugientes protegere, poterit ſine iniuria domus, legatus ipſe ſubuerti, & incendio impelli, vt è latebris fugitiuum prodant. Huius iuris plura ſe ſe exhibent exempla. Sal. An. 1540. ad redimendam cum Ottomanis pacem *Aloyſium Baduarium* Veneta miſit Reſpublica. Inter legationis arcana dabatur non tantum auri pretio, quàm Inſularum Nauplij, & Naupliæ, fœdus comparare. Cum verò *Baduarius* negaret Turcis, inſularum ſibi ius eſse; irridentes dixerunt priuſquàm ipſe Byzantium appulliſset, Veneta innotuiſse decreta. Conſternatus legatus ad nutum Turcarum omnia ceſſit, exarauit, ſubſcripſit. Venetijs poſtea inquiſitione facta, fidifragi detecti fuere *Conſtantinus* & *Nicolaus Cauazza* à ſecretis Conſilij Rogatorum, & X. vna cum *Maphæo Leonio* ordinis patricij, & *Sapientis Terræ Firmæ*, dignitate inſignito, & *Auguſtino Abondio*, & *Io: Franciſco Valerio* notho familiæ Valeriæ. Domum Gallorum Legati cum ſe recepiſsent proditores, miſſi ſunt ſatellites, vt vinctos ducerent. Reſtitit Legatus, & vi armata tantæ proditionis ſeipſum proclamabat auctorem. Triremi tandem ſuperueniente, vt tormentis domū quaterent, ceſſit Legatus, proditores dedidit, Iuſtitia triumphauit proditorum ſupplicio. Indignatus Rex, in Venetorum Legatum *Antonium Venerium* audientia protracta, alloquens, tandem querebatur, *quid ſi veſtris ædibus tantam ego attuliſſem iniuriam?* reſpondit Venetus. *Vtinam ſub manu mea Maieſtatis tuæ perduelles ſtarent, ego ipſe apprehenderem, obtorto collo ad te traherem, & ſi aliter agerem, dolum vel iniuriam mea Reſpublica non ſineret impunitam.* Quibus demulcitus Rex, obliterato rigore, geſta tacitè laudauit Reipublicæ.

Paruta lib. 10.

Turcarū ſagacitas

Sagredus in vita Solimani

XXIII

Gallorū legatus proditores fouēs, nō gaudet immunitate.

XXIV *Legatus iocis irridens, pari dicterio irridēdus* Quid ſi legati iocis; & dicterijs patriam irrideant? paria delicta mutua compenſatione tolluntur. Hiſpanorum Legatus cum Venetorum alatum irrideret Leonem, interroganti *vbi naſcerentur Leones alati?* reſpondit Venetus *ibi, vbi Aquilæ geminant caput*. Sic Ferrarienſibus oſtentantibus triremes Venetorum ab eiſdem captas, & in memoriam triumphi ſuper templi limina expoſitas; cum ad oculos perſpicillis etiam appoſitis, diceret ſe non videre Venetorum Legatus, Ferrarienſibus verò manu annuentibus naualia, redarguit tandem, *ſibi impoſſibile triremes conſpicere, quia Rhodigina interiacèret prouincia*. Quam iuſto bello Veneti occupauerant.

Ferrarienſes Venetis illudentes deluſi.

XXV *An legati hoſtiū ad hoſtē immunitate gaudeāt.* Quid ſi inter hoſtes noſtros, inimicorum noſtrorum legati hinc indè commeent? excipe, ſub cuſtodia retine, donec detectis arcanis, nobis proſpiciamus. Quid enim mihi ſanctum, ſi mortem accelerat. Exemplo ſint legati Regis Philippi, in Italiam ad Annibalem miſſi, & à M. Leuino prætore intercepti: Cuius manum cum Xenophanis legationis principis mendacio effugiſſent, ſed iterum ad Philippum redeuntes, *ab claſſe Romana excepti & ad Valerium Flaccum claſſis præfectum retracti, cum literis Annibalis Romam ſub cuſtodia miſſi ſunt.* Vbi *in vincula conditos, comiteſque eorum ſub haſta* venditos ait Liuius. Nec diſſenſit Romanus Senatus, quùm Volſcorum legatos ad ſolicitandum Latium paſſim dimiſſos, *comprehenſos Romam duxere* (nihil ſanè veriti ſpecioſum nomen legationis) *ibi traditi ſunt conſulibus; indicatumque eſt, Volſcos, Hernicoſq; parare bellum Romanis.*

Liuius lib. 13.

Liuius l. 2.c.22.

Sal. An. 1055. nis. Non pertinet ergo legatorum sanctitas ad eos, per quorum fines non accepta venia, transeunt legati: nam non solum vinciri possunt, vt Syracusanorum legati ad solicitandas Græcorum ciuitates aduersùs Athenienses, à Siculis Atheniensium socijs lib. 7. vincti sunt, teste *Thucyde*. Vt Ætolorum legati ad Romanos ab Epirotis intercepti, in excerp. legat. n. 27. teste *Polybio*; sed & occidi, vt fecerunt Athenienses legatis inter Persas & Spartanos. Illyrij legatis inter Essios & Romanos. Thucidid. l. 11.

Appian. de Bello Illirico. Quid si amicus vel fœderatus tuus ad hostem tuum mittat, Legato immunitas nè debeatur? Cum multis alijs de causis, quàm in rem tuam suscepta possit esse legatio, deberi videtur. Quam causam prætexuit, *Fridericus II.* Dan. Rex, cum ob iniuriosè tractatum à militibus Ordinum fœderatorum, & spoliatum legatum suum, *Caium Ranzouium*, per Ordinum fines, ad Principem Parmensem, Hispan. exercitus Imp. iter habentem, octingentas ferè Batauorum & Selandorum naues vno, & eodem tempore in freto Balthici Maris (vulgò *del Sund* vocant) detineri & Legato satisfieri iussisset. *Eman. Meteran. lib.* 14. *Belgij.* nisi tamen adsint vrgentes suspiciones, simulatæ fidei, quia Legati clancularie eant, legatio- XXVI nem dissimulando, aut mendacio tegendo.

legatus amici ad hostem pergens an immunis.

Quid si hostili legatione neque res nostra subruitur, neque salus tentatur? vt ei fauere ius non cogit, sic ei parcendum huma- XXVII nitas suadet. Belli enim iura non ea dirimunt vincula, quibus mortalium mentes natura constrinxit. Philippi licet hostis ad vxorem literas interceptas Athenienses non resignarunt, Deos coniugales veriti, eaque XXVIII iura, quæ nobiscum nata, antequàm scripta lex vlla. Hæc eadem moderatio in ipsis legatis aduertitur, qui in vrbe expugnata reperiuntur hostiles. Capta Tyro, Alexander *Carthaginiensium legatis pepercit, addita denunciatione belli, quod præsentium rerum necessitas moraretur.* Pari clementia Belisarius capta Carthagine (teste Procopio) Vandalorum ignouit legatis. Ex aduersò Sylla captis Athenis, Aristonem legatum Mithridatis, qui in ædem Mineruæ confugerat, vi extractum interfici iussit.

Plutar. in polit. Q. Cur. l. 4. c. 4.

legati hostiles in vrbe expugnata an immunes.

Quid si ex priuata inimicitia, non in Pauf. l. 1. XXIX contemptum principis legatum verbis factisque læserim? crimen non incurri læsæ maiestatis, sustinet Farinacius, quia actus agentium non debeat operari vltra eorum intentionem, quod mihi difficile: licèt enim temporaneus sit legatorum character, inseparabilis tamen est à persona legati, legatione durante. Et si ipse legatus principe inconsulto, characterem deponere nequit, multo minus homo priuatus in eodem poterit indiuiduo hominem à legato secernere, qui sanctus est. Principem offendens, si priuata non iuuatur inimicitia; idem dicendum de eius viua imagine, nempè legato, Nec obstat, quod offendens vicarium, iudicem vel consiliarium principis in odium personæ, non iurisdictionis vel regis contemptum, minimè læsæ maiestatis crimine teneatur; quia officia illa & dignitates non tam personæ, quàm loco venerationem XXIX conciliant, vnde si in magistratu vel coram principe, aut in aula, vel cum iurisdictionem exercet, verbo vel facto lædas, oppidò de læsa maiestate tenèris; secùs si in priuata domo, vel etiam in foro, dumodò offensus non sit in actu iurisdictionis; vel loco. Legatus verò vsque dum ad limina reuertatur mittentis; legatus est, vbicumque & quomodocumque sit. XXXI

legatus offensus ex priuata inimicitia.

De crimine læsæ maiest. q. 117. n. 41.

Quid si legatione finita, studio, & data opera non discedat? hinc inde variatur, an legatorum gaudeat priuilegijs, si dolo differat discessum (vt videre est apud *Farinacium*). Certum est, quod si successor venerit, ille publicè dimissus fuerit, antecessori nec fides nec honos.

legatione finita an honor debeatur legato.

LEGATI AN TALIONI SVBIACEANT.

CAPVT VNDECIMVM.

1. *Hominum est potius sacra polluere quàm consecrare.*
2. *Frangenti fidem fides frangatur.*
2. *Legatio non mittenda ad eum, qui legatione violata, exacerbatus est.*
3. *Legatus an talioni subiectus.* 5. *Legatus domini*

Sal. An. 1055. *domini sui pœnam non luit.* 8. *quando talioni subijciendus.*

3. *Lacedæmoniorum legati talioni subiecti. non subiecti talioni à Romanis.*

7. *Titianus Constantini legatus non subiectus talioni.*

9. *Franciscus I. Gallorum Rex Caroli V. legatum talioni subdit.*

10. *Fridericus Imper. Græcorum legatos talioni subdit.*

11. *Legati possunt detineri, quousque nostri regrediantur.*

14. *Ad decipiendos missi, an detineri possint?*

15. *Dionysius tyrannus legatos Syrracusanos dolo vocat, & detinet.*

I Legatorum sanctitas, cum in manibus versetur humanis, quarum est potius profanare sacra, quàm consecrare profana, non vnum cogitur declinare lapidem, nè sui oppressa pondere, mortem offendat, cum alijs vitam redemptum pergit. Socordiæ propterea ille notatur, qui
II quem violata eius legatione exacerbauit, ad hunc ipse suam mittere audet. Quid enim si pari atrocitate excipiatur? iure forsan talionis nō interficiam, eum vel malè agam, si quid simile ab eo legatus meus passus sit? Omnia iura probant, quod paria deli-
III cta, mutua compensatione tolluntur. Frangenti fidem, fides frangatur eidem. Legatum tuum nè quereris violatum, vltio enim tibi imputatur, qui nefario scelere talionem prouocasti. *Quod tibi fieri non vis, ne facias alteri*; hac vna lege exarauit natura, gentium, ciuilia, sacraque iura, quæ aut docuit antiquitas, vel excogitauit posteritas. Clauum itaq; pellam clauo, tuum retaliando legatum? Plurima sunt in historijs huius Retaliationis exempla: vt cum Atheniensium decreto, Lacedæmoniorum interfecti sunt, & in foueam deiecti, in vl-
IV tionem legatorum Atheniensium, quos (ex *Herodoto*) in onerarijs nauibus captos, sub initium belli Lacedæmonij necarant, inse-
lib. 7. pultosque abiecerant. Verum cum historiæ non tantum quæ iustè, sed & quæ iniquè, iracundè, impotenter facta sunt, memorent, videamus nos non quid Romæ fiat, sed quid faciendum? Arbitrarer ego, considerandum prius, antequàm ad talionem procedas, an legatus ab eo, qui legationem meam violauit, venerit, priusquam domi-
V nus sacrilegium patrauerit; vel temerè venerit, post patratum sacrilegium in legato meo, à domino suo. Si primum, non licet iure talionis intercludere, vel interficere legatum innocentem; licèt Dominus eius sit in culpa, quia alienam culpam nemo præstat. Fortius etiam vrget, quod Ius gentium non tantùm mittentis cauet dignitati, sed & eius qui mittitur securitati, vndè non solum cùm principe mittente, sed & cum legato misso tacitè contrahitur, & de securitate fideiussionem iam natura præstauit. Huic ergo iniuria fit, quo inscio, Dominus eius legationem violauit, etiam si ei qui misit, nulla fiat. Hinc dico non tàm magnanimè, quàm ex gentium iure Scipionem VI
(postquàm Romanorum legati à Carthaginiensibus malè essent habiti) ductis ad se Appian. de bellis Punicis.
Carthaginensium legatis, *præfecto classis roganti quid eis facere deberet? nihil tale* (respondisse) *quale Carthaginienses: dimisitque intactos* Addit Liuius dixisse Scipionem, *nihil se facturum institutis populi Romani indignum*. Vel cum Diodoro Siculo in excerptis Peiresianis *dixit Scipio, non eße id faciendum, quod ipsi in Carthaginensibus accusarent*. Similia scribit Valer. Max. quum Pœnis propè Sciciliam deuictis, duces eius fractis animis petendam pacem agitarent. Quorum Amilcar ire se ad consules, negabat audere: nè eodem modo catenæ sibi inijcerentur, quo ab ipsis Cornelio Asinæ consuli fuerant iniectæ. *Hanno* autem certior Romani animi æstimator, cum fiducia ad colloquium tetendit; Libere verò differenti cum militum Tribunus diceret, posse illi meritò euenire quod Cornelio accidisset: vterquè Consul, Tribuno tacere iusso. *Isto te* (inquit) *metu Hanno fides nostræ ciuitatis liberat*.

Sic Constantius Titianum à Magnentio ad se missum remisit, quanquàm Philippū à Cōstantio missū ad se Magnētius retineret. VII. Zosimus lib. II. Magnētius.

Si verò Legatus venerit post violatam legationem nostram, impudenti homini reponatur iniuria, qui læsum principem flocci pendens, solutum pœnam venerit. Et nobis nullam securiorem victoriam exhibuerit, vt hostem nostrum suo possimus VIII

gla-

Sal. An. 1055. gladio iugulare. Ars si deluditur arte, citra sanguinem læso numini, vindictam dabimus; vt in similibus abundant historiæ, dum *Carolus V.* Francisci primi Galliarum Regis legatum sisteret, Rex vicissim Cæsaris detinuit. IX Nec iniuriæ vel dolo vindicta dabitur, sed gloriosæ solertiæ, quà aduersarium nostrum ad æquitatem trahamus, ne inter pares contrahentes, dispares cogantur claudicare contractus. Cum itaque *Cæsar Fregosus* Genuensis, & *Antonius Rincus* Hispanus missi à Francisco.I.Galliarum Rege ad Turcarum Imperatorem legati, Padum nauigarent, ituri Venetias, capti sunt ab Hispanis, & trucidati, teste *Paulo Iouio*. *Sagredus in vita Solimani Anno 1541. lib. 40.* Ea re offensus Gallus, venientem tum ex Hispanijs *Georgium Austriacum*, Maximiliani Cæsaris F. Valentinum Episcopum, Lugduni coniecit in vincula; & vt *Lascum* Ferdinandi Legatum comprehenderet Solymano auctor fuit, bello etiam iniuriam prosequendo. Sic cum *Isaacius Angelus* Byzantinus legatos Imperatoris Friderici Barbarossæ sedère noluisset: *Nicetas lib. 2.* Fridericus pariter cum Græcorum legati ad se venissent, sedere minimè permisit, cum in vindictam stabularios, coquos, equisones sedère mandasset. X Querentibus verò Græcis, respondit, vt quemadmodum Græcis moserat eadem in ara stabulare sues, graciles, & pingues, ita locandos esse Romanos nullo habito personarum discrimine. Hinc militaris inolæuit cautio, XI cum armorum anfractibus pax dirimitur, sistendi exterorum legatos, donec nostri securi reuertantur in patriam. Scipionis legatos Carthaginensis *Appian.* Senatus retinere decreuit, donec Carthaginènsium legati Romam missi, redirent. *modus cauendi legatorũ securitati* Legati Spartani Athenis retenti, atque adeo in vinculis habiti leguntur, vsque ad reditum Themistoclis, qui prò Atheniensibus apud Lacedæmonios legatione fungebatur. *Sicul. Bibl. li. 11.* Astutum memoratur commentum earum ciuitatum, quæ bello Punico deficere ad Pænos destinauerant. *Hæ cum id agerent, vt datos Romanis obsides, priusquàm descisce-rent, reciperent, simulauerunt seditionem inter finitimos ortam, quæ Romana autoritate dirimi deberet. Ergo ad id missos, velut contraria pignora, retinuerunt: nec priùs eos reddiderunt, quàm suis receptis.* *Frontin. lib. 1. c. 8* Cæsar Germanorum perfidiam, qui inducias ruperāt, sic vltus est, vt eorum legatos rursus ad ipsum fallendum missos retinuerit. XII *Cæsar de Bello Gallico.* Nec Belisarius (teste *Procopio*) Gothorum legatos priùs dimisit, quàm Iustiniani oratores ad suos missi, dimitterentur. XIII *l. 2. Belli Gothici* Violenta dicitur hæc pietas, quæ ab iniuria exordiens, iura reuocat pacifica, sua cuique tribuens. Magis tamen Romani senatus arridet moderatio; Cum enim Amilcar amissa classe, nouum exercitum à Carthagine expectaret, interim Hannonem misisset, qui Senatum frustra habendo deluderet, non defuere inter Romanos, qui Hannonem vellent vinciri in vindictam Cornelij, quem fraude Carthaginenses comprehenderant. Romanorum tamen maior pars restitit. XIV *Si hoc (inquiunt) feceritis, nihilo vos meliores eritis Pænis.* Quorum fuerat non tam manu, quàm astu certare; vt & de Dionysio tyranno apud Iustinum *lib. 21.* legimus, quum acie victus, Syracusas legatos misit, *per quos promittebat se depositurum tyrannidem, si modò ad se mitterentur ij, cum quibus de pace conueniret, ipsique in eam rem misissent, primores:* eos ipse (quæ tyranni fides fuit) carcere attinuit; XV atque incautis omnibus, nec quicquam hostile metuentibus, exercitum ad delendam ciuitatem misit.

LEGATORVM CONDITIONES.

CAPVT DVODECIMVM:

1. *Legatus sub tutela Mercurij cur. 3. indigena sit non alienigena 4. nobilis 5. ignobilis sedere ab Augusto prohibitus. 6. speciosus. 10. sanus. 11. senex. 12. iuuenes secum ferat, 13. diues. 15. munificus. 17. continens. 20. sobrius 22. fæminas & conuiuia quomodò frequentabit. 23. 27. gratus excipienti. 33. Sapiens. 35. linguarum peritus. 36. audax, constans. 37. non ferox & incautus. 39. an clericus esse possit.*
2. *Legati munus graue, quale.*
3. *Legati Darij solers responsio ad Alex. M.*
5. Oliuerius Dandus *Gallorum legatus non receptus*

I SVb Mercurij tutela Antiquitas Legatos adscripsit; forsan vt se totum Legatus ad illius normam exploraret. Eo cum se minorem agnoscit, legationi se

II imparem pro certo habeat. Muneris grauitatem sequentibus describit Pollux *lib.* 4. *Rem pecuniariam* (apud exteros) *augere, rem facere, acquirere, possidere, fœdera inire, inita seruare, & confirmare, hostes vexare* (non armis, sed ingenio, arte, eloquio) *placare, perterrefacere, perturbare, docere, pacem componere, ad pactum rem deducere, iusiurandum deferre, & præbere, coniunctim causam agere, coniunctim censere, contendere, contradicere, hortari, vt simul pericula adeantur, communis res propugnetur, simul conciones habere, quales res postulat, laudare, ornare, illustrare, vituperare, dedecorare, arguere.* *legati potestas*

Hæc vt impleat, *Indigena* sit, non alie-

III nigena. Sit homo patrij germinis, cuius fortuna in solo luceat Reipublicæ, vnde propriam agat causam. Alienigenam fides, præmia facile alliciunt, vt patriam alienam suæ postponat vtilitati. Indigena cum bona, honores, ac charissimos filios obsides in patria reliquerit, cum ea seipsum prodere natura non sinit. Quod si parem etiam in alienigena assequatis fidem, non tamen solertiam habebis, vt anxiè perquirat, quæ patriæ nō suæ vtilia possunt esse, vel nocua. Sollicitæ huius fidei exemplum memorat Q. Curtius cum Darij legatis respondisset Alexander; *aut deditionem hodie, aut in crastinum bellum paret*, legati responderunt. *Cum bellum in animo sit, facere eum simpliciter quod spe pacis non frustaretur. Ipsos petere, quàm primum dimittantur ad Regem. Eum quoque bellum parare debere.* *sit indigena.* l. 4. c. 42.

Sit Genere *nobilis*. Vilescit hæc dignitas, nisi genus inueniat: & apud nobiles natos, qui numaria nobilitate vestitur inuidiam subit, tanquàm posthabitus. Externi quoquè Principes despici existimant, si hominem inglorium, socium, & comitem sint habituri. Cum à Ludouico XI. Gallorum Rege *Oliuerius Dandus*, tonsor quondam, seu chirurgus, ad *Mariam* Principem Belgarum aduenisset Legatus, lepidè arguit ipsa, quærendo; *Quid sibi opus medico, cum optimè valeret? Res satis infirmæ videri debent* (ait) *si medici manu curandæ.* Augustus *quosdam legatos* (ait Suetonius) *generis libertini in Orchestra considere vetuit, nimirum vt homines imi subsellij.* IV. V

Sit spetie præstans, ac corpore firmus, nè in opprobrium patriæ despectui habeatur, si Princeps Thersites, Mopsos, homunculos ad se missos conspexerit: vt de *Iacobo Castellione* I.C. narrat in decretalibus Io: Andreas. Ille cum ad *Bonifacium* Pontificem à Bononiensibus legatus missus esset, super rebus grauissimis; Pontifex, vt irrideret forsan, iussit; vt se se erigeret, licet popli- VI VII

Sal. An. 1055. poplitem non flexisset, sed staret. Hinc factum, vt tacitè riderent, deriderunt eum omnes. Ipse autem sibi excidens, turbatusque protinus à capite ad calcem, ne hiscere quidem, nedum ea quæ conceperat, proferre potuit. Decora species, est virtutis imago, quæ se se latenter insinuat.

Gratior est pulchro veniens de corpore virtus.

VIII Artaxerses Persarum ad Alexandrum Romanum quadringentos misit legatos, omnes corporis, vestitus, ita specie præeminentes, vt dubitaretur plusnè ornamenti corpus vesti, an vestis corpori conferret: sic veluti mutuo lenocinio vestis & forma decus addebant.

IX Interrogatus Aristoteles cur quæ pulchra sunt in amorem sui pellicerent? respondit, *cæci esse eam quæstionem*. Decori valetudo consequitur; vnde cum Rom. Senatus ad pacem componendam inter Nicomedem & Prusiam, Legatos misisset,

X quorum vnus habebat caput cicatricosum: alter pedibus æger erat; tertius ingenio socors existimaretur, legationem hanc illusit Cato, quod ea nec caput, nec pedes, nec cor haberet.

XI Senex sit, non iuuenis, qui vt plurimum inconsultus, lubricus, & insolens. Prudentiæ mater experientia est, ex longa, negotiorum, exemplorum obseruatione, sæpe facto periculo, &

....Seris venit vsus ab annis,

XII Iuuenum arma sunt, senium consilia. Propterea Veneti ante gradus aulæ Regiæ calathos mespillis plenos sculpi mandarunt, in eruditionem ciuium suorum, qui, vt mespilli, non nisi tempore, regimini assuescunt. Solent Veneti senioribus iuniores iungere, non tamen legationi, sed legatis dicuntur adiuncti, vt in grauissimarum functionum spem adolescant.

XIII Sit *Diues*, vt splendori amplissimi muneris domestica fortuna respondeat. Pauperes, nec liberales, nec magnifici esse possunt, Principis ac Patriæ detrimento. Opulentiores, & nobiles prodesse magis possunt, & volunt; illud fortunæ, hoc naturæ beneficio. Vt diues habet in re, quod amittat: ita nobilis in decore, quod inquinet. Virtutis licèt non sit iudex fortuna, est tamen index: nec tam gubernatrix, quàm fautrix, & cõmoda ipsa comes. Euersione ex aduerso, rei familiaris, dignitas, fama, præceps datur. Hinc subit indiligentia, socordia, perfidia, torpor, stupor. Apud Romanos (ait Valer.) *non rogandi Sacramento capite* XIV
censos, quorum nimia inopia cum suspecta esset, his publica arma non committebantur, lib. 2. cap. 1.

XV *Munificus* sit legatus. Nil enim est, quod faciliùs imperitorum animos prouocet in ludibrium, quàm parsimonia. Quid præclarum, vel vtile expectamus ab eo, qui sic quæstum satagit, vt ei vna sit in auro salus. Cum in Romano Senatu Seruius Sulpitius Galba & Aurelius Cotta Consules, vter aduersus Viriatum in Hispanias mitteretur; ac XVI
inter Patres dissensio esset; neutrum sibi placère Æmilianus respondit: *Alter nihil habet* (inquit) *alteri nihil est satis*. Florentinorum Legati Bononiam ad Carolum V. & Clementem VII. missi, viri Patricij, sed mercatoria indole (teste *Iouio*) cum plurimum mercimonij, tanquàm legationis supellectilem, quæ oneri eximitur vectigaliũ, in vrbem tulissent; sordida fallacia à publicanis detecta in risum, & contemptum venit. Se excusabant famulorum auaritia, cum tamen vectigal soluere nollent, vndè veluti indigni, causa inaudita, repulsam passi sunt; & qui legati venerant, mercatores recesserunt. Munificus tamen sit & liberalis, non prodigus & decoctor. Sic facultatibus suis fruatur, vt earum distributio sit sine reprehensione, frugalitas sine sordibus.

Continens sit, vt qui aduenis mittitur in XVII
exemplum. Principum vicem gerit, sed cælestium; virtutes secum ferre munus expostulat; vitia misceri, Legatio non patitur. Si muneris sanctitas legatum, vt Deum, obijcit, libido prostituit & exsibilat. Persarum Legati apud Amyntam Regem Macedonum, XVIII.
cum inter epulas rogarent Regem, vt amico apparatui, ius familiaritatis adijceret, adhibitis in conuiuium coniuge, & filiabus, gentis noluit Rex inuertere consuetudinem. Sed vbi per vinum incaluerunt, & multa procacitate, impudico intuitu, & manibus intemperantibus illudere cœperunt Regijs fœminis: Alexander Amyntæ filius iura officiosæ hospitalitatis tam fœdè violata, ita vltus est, vt in illo æstu feruentis libidinis legatos omnes interfecerit. *Herodot. lib. 5.* Audax facinus cum rescirct, & vindicare pararet *Megabysus* Persarum copiarum XIX
Præ-

Sal. An. 1055. Præfectus, re melius cognita, laudauit, &
Oratores iustè cæsos pronunciauit. His si-
milis est ille Arabum legatus, qui ab Hero-
de ad cœnam inuitatus, vbi epulis incaluit,
inhiantes oculos in *Salomen* Regis sororem
semel defixos nè flexit quidem, nulla ad-
stantium verecundia, irrisus & irritus di-
missus est. *Ioseph. Iudaic. ant. lib. 16. c. 7.*

Sit *Sobrius*, nam vt in omnibus vino
XX madère turpe est; in Legato turpissimum:
qui si vinolentus, maiestatis pandet arcana,
& seipsum vnà cum Republica prodit. *An-
drocydes* sapientia clarus, vt Alexandri co-
XXI hiberet intemperantiam, hoc monito vte-
batur. *Vinum potaturus Rex, memento te
bibere sanguinem terræ.* Dissolutus est Bac-
chus, impatiens vinculorum cordis, & lin-
guæ, Stulta est oratio, quoties mentem *pa-
ter Liber* occupauit. *Bonosus* Hispalensis fa-
cundus orator, & fecundus potator cum
seria & sales accomodare peritissimus apud
Aurelianum Imperatorem, summo propte-
rea in honore fuit; qui Legatis aliundè ve-
XXII nientibus largè vinum propinando, secreta
expectorare securus & sobrius soleret. Ve-
rum cũ nõ omnes *boni*, ita nec *Bonosi*. Pleros-
que ardor vini corripit, & corrumpit; &
paucis concessum est, bibere & sapere.
Non propterea à conuiuijs, imo & fœmina-
rum gynæceis longè stabit legatus; nam &
conuiuia, & fœminę non bis legatum manu-
duxerunt in penetralia Principum, vt in-
de Maiestatis assequeretur arcana. Quomo-
dò hæc se compatiantur, vide ea quæ dixi-
mus *in lib. 10. c. 2. Idea Ministri.*

XXIII *Gratus* sit excipienti. Cum enim place-
re petitor potuit, iam impetrare cœpit.
Odiosus si fuerit, vel inauditus, vel fru-
straneus reuertetur. Ab inuiso nec honesta
obtinentur. Romana plebs cum ob iniuriam
Virginiæ illatam, in Auentinum montem
secessisset; Senatus tres consulares legatos,
C. Iulium, P. Sulpitiũ, & Sp. Tarpeium minus
XXIV populares, ad placãdũ misit. Qui nec admissi,
sed valida voce cõclamatũ est, vt *L. Valerius
& M. Haratius* mitterẽtur: hos audiẽdos fo-
re. Venetijs etiã cum plebs tumultum ageret,
vnus solùm ex *Lauretana* Familia inuen-
tus est, qui plebi acceptus, tumultum seda-
ret. Placuit Reipublicæ quies, singularis
tamen dilectio displicuit: vt plebs non ęqua
lance diligeret patres, sed inter patres esset,
quem prædiligeret. Propterea virum licet
benemeritum, ob solam prædilectionis su-
spicionem relegarunt, Oratio itaque
quamuis salutaris, quandoquè orantis di-
splicet contemplatione. Minùs vtilis be-
neuolentiam aucupatur grato dicentis le-
nocinio. Hoc consilio Cardinalis *Bembus* XXV
à Leone X. ad Rempub. Venetam missus
est, cum de ineundo fœdere cum Cæsare
ageretur; quia Venetus erat, nec tam Pa-
triæ charus virtutibus, quàm natalibus.
Fuerunt plurimi, qui plus præsidij in bene-
uolentia Principis, quàm in eloquentia
collocantes, legatum miserunt, quem no-
bilem facerent non propago, vel purpura,
aut mores, sed vtilitas, & necessitas tem-
pori accomodata. *Cosroem* Persarum Re-
gem acerrimo bello cum infestum haberet XXVI
Iustinianus Imperator, pro legato medicum
misit, tempori aptum & occasioni: & eum
quidem, qui aliàs rogante *Cosroe* missus
fuerat, & Regem sanauerat. Iuit, & redi-
uit felix medicus, bello simul & ægritudine
profligata; cum Rex mallet viuere, quàm
vincere. Quæ *Gratum* faciant legatum,
exempla habeo, non regulam. Nam nobi- XXVII *Quæ gratum legatum faciant.*
litas sæpè, prudentia, diuitiæ, facundia sunt
vni posthabitæ chirurgo. His tamen si sti-
patus accedas, nec exitum sortiaris felicem,
haud te, sed fortunam accuso. Quod si
ignobilis, auarus, imprudens legationem
obieris, tibi & mittenti imputo, quod vo-
lens habearis ludibrio. Nobilis, prudens si
sit legatus, erubescit Maiestas, nec audet
obstare petenti. Hodiernis temporibus
singulare recurrit exemplum Equitis *M.* XXVIII *M. Antonij Iustiniani legatio is ille de quo sermo habetur in l. 10. c. 14.*
Antonij Iustiniani pro Venetorum Repub.
legati ad Ludouicum XIV. Gallorum Re-
gem Anno Sal. 1665. ad 1667. Is Iustinia-
næ gentis natalibus clarus (quæ Sanctitate
B. Laurentij Iustiniani Proto-Patriarchæ
Venetiarum; literis *Pancratij Iustiniani*,
Bernardi Iustiniani, & Petri Iustiniani glo-
riosa fulget) morum venustate, ac ciuili
prudentia adeo fuit gratissimus Regi, vt etiã
ea Reipublicæ, diuturno, atque grauissimo
Turcarum bello laboranti impetraret, quæ
domestici belli negabant anfractus, & rei
familiaris obstabat necessitas, nè in suppe-
tias Ludouicus descenderet amicorum. H-
spanico licèt implicita bello Gallia esset; ta-
men militem scribere, antesignanos, stra-

P tegos,

Sal. An. 1055. tegos, pyrobolarios, duces conducere petitum sæpè, negatum numquàm. Memorabilis est expeditio naualis, quam octo milliũ peditum instructam numero, sub auspicijs

XXIX *Galli suppetias ferunt Venetis in Turcas.* *Francisci Vindocinensis* Ducis *Belfortij* Rex misit in Turcas. Tanta classis, quæ ferro, milite, auro selecta, afflictæ, ac laboranti Reipublicæ tulit suppetias, *Iustinianum* habet auctorem. Rex misit, quia *Iustinianus* orauit. Ille voluit, quia noluit iste discedere, priusquàm, Regia iubente fide, Senatum certiorem faceret, quòd primo Vere Galli vela darent in Turcas. Legati nunc suadam pende. Eam quanti facias, noua expeditio, quam inter Gallos excitauit *Aquila Iustiniana*, demonstrat; Supra mille, flos Gallicæ nobilitatis, honorarij dedere nomina; inter quos Dux *Rohannensis*, Turcis terribilis ob præclara facinora. Obstupuit *Ludouicus*, cum nobilem iuuentam, ferocem animo, virtute securam, superbam natalibus, vidit in barbaros armari, & Zelo Fidei, ac sola libidine gloriæ, vasto se committere pelago, vt tantorum laborum præmium, gloria esset inanis. *Iustiniana* non latebat *Ludouicum* excitatos Aquila, cupidus tamen Rex arcanum assequi, quo Iustinianus Gallias viduarat præclara nobilitate, vt in fatalem plagam traduceret, ad se accersitum Iustinianum interrogauit? *Qua suada, & placida eloquentiæ*

XXX *Gallicæ matron. viros excitãt in Turcas.* *violentia è sinu matrum, & vxorum gremio* Principes, Duces, *Marchiones, comites eripuisset, vt in vmbram mortis traijceret?* Matronæ ipsæ (respondit Iustinianus) instruxere iuuentam; Sexus Fœmineus, qui semper deuotus, viros religione armauit. Ad eas confugi, nè viri fugerent. Libentissimæ suscepere istæ fidei tutelam, & Reipublicæ causam agentes matronæ, rogando, arguendo, in eam verecundiam adduxère viros, quòd iam erubescentes domi marcescere, ad arma festinent, nec magis cupiant, quàm cum hostibus congredi. Laudauit Rex Iustiniani solertiam, expeditionem probauit, nomen & ipse dedit; & loco personæ, dono obtulit quadraginta millia aureorum. Meliora etiam meditabatur *Iustinianus*, Gallicas cogitabat Amazones suscitare: Iam sacrũ fœdus cum ipsis percusserat, vt viritim in annos soluerent Gallicæ Matronæ, vsq; dum Cœlum mortali victum pietate, Turcas nostris subijceret triumphis. Tantum opus nè perficeretur, Iustiniani regressus in patriam obstitit. Priusquàm tandem recederet, noua pactus auxilia à Duce *Lotharingiæ*, qui *Dux Lotharingiæ.* cum eo tempore omnem lapidem moueret, vt à Polonis ascisceretur in *Regem*, instanti *Iustiniano*, qui auorum exemplo eum excitabat, quasi *Christiana Respublica, nunquàm in infideles arma tulerit, ni Lotharingia sociarentur signa; vnde absq; rubore ingens Ecclesiæ periculum, & imminens fidei discrimen præterire non posset*, facile aures obtulit, & manus dedit. Equitum itaq; mille, & pedites ter mille obtulit; quamuis equitatus non acceptus, quia inutilis crederetur, pabulo deficiente, & obsessæ vrbi onerosus, potiùs quàm vtilis. Valida hæc auxilia Regia roborauit munificentia, quæ Iustiniani illecebris irretita tantum dabat, quantum iste poscebat; geminauit munera Ludouicus, cum verba legatus; Numorum centena millia largitus, quorum maiorem summam Iustinianus in sortem nauticam Bathauis distribuit. Reliquam in militaria stipendia. XXXI

Hæc sunt Reges, quæ sperare debetis à Legatis, ipsos gratos conciliat nobilitas, & prudentia. Peculiare donum Iustinianæ gẽtis cum sit, in aula præpollere Gallorum, en noua Idea occurrit Legati *Iulius Iustinianus, Ascanius II.* dictus. Bathauorum, Gallorumq; dissidia, quæ sibi totum ferè Christianum Orbem euocarant in bellum, Romano vrgente Pontifice, ac Christianæ Reipublicæ exposcente causa, concilianda cum essent, auctorem non habebant, cuius auspicijs componerentur. Ipsa Venetorum Respublica videbatur Gallo suspecta, quia cum in arcanis habeat, exterorum arma & dissidia à finibus arcere Italiæ, fama erat, eò respicere, vt fortunam fulciret inclinantem, & more suo non ad Imperij libidinem, sed ad seruandum dulce pacis otium, omnem mouere lapidem vt æquilibraret potentes, propterea inclinare ad Hispanos. XXXII

Eo vel maximè, quod in Insubres belli summa fore, dubitaretur, non sine Venetorum discrimine, ni de pace conuenirent. Pugnabat ex aduerso *Iustiniani* facundia, tam grata *Ludouico*, vt tota legatione ille toties persuaserit, quoties orauerit. Aurea lingua videbatur tonare, nam tam splendidam inijt, ac perfecit legationem, vt Gallos,

Sal. An. 1655. los, quibus nec modus, nec finis expensarum est, præcipuè cum in aula degunt, in admirationem adduceret. Arcanum hoc *Iustinianus* habuit, genio, & loco indulgere. Gallis cum irreparabile sit argumentum grandis animi, & ad regimen nati, magnanimitas, nil prætermisit, quo sibi Magnatum animos conciliaret. Hac ciuili Magia extorquebat quæcumque vel Respublica peteret, vel priuati rogarent, nullo Reipublicæ vel priuatorum dispendio, licet sæpè Veneti mercatores liberam *Iustiniano* obtulissent facultatem, decena millia soluendi, vt eorum litigia componeret, quæ sæpè cum externis recurrunt nationibus, nec nisi auro solent componi; ipse solo fidei, ac solertiæ suæ pretio cuncta pacauit, ablata redemit; Hæc cum minimè Regem laterēt, tacita Suada, merita resonabant illius Reipublicæ, quæ solius Iustitiæ illigata vinculis, alienam causam vt suam agens, ab ipsis hostibus visa est implorari in iudicem. Semper namq; studiosa pacis, Principum concordiam imperio prætulit, quod iam protra-



here & ampliare potuisset, si aliena voluisset fouere dissidia. Sequestrē itaq; pacis Rempublicam Ludouicus elegit, *Iustinianus* curauit, tam de pace solicitus, vt Regem sexaginta millia militum fretum copijs ad Valentianam insequutus Anno 1676. vbi Bathaui numero supra septuaginta, mille castra tenebant & tam numerosos exercitus, quos ætas nostra haud vidit (vt Ludouicus ipse *Iustiniano* aiebat, qui latus Rēgis diu noctuque stipabat) discerneret, arridente fortuna, licet hinc indè eos viderit prouocantes, non sit tamen passus pugnantes. Quasi coram Arbitro pacis Bellona territa, minimè posset belli faces accendere.

Sapiens sit eruditus, eruditio namq; compendium est artis benè viuendi. Eruditionē ab historia colliges, Politicam namq; si insequaris, en tibi pro cunctis vnus tacendo loquitur Tacitus. Si moralem, Seneca. Iste ad prudentiam, ille ad prouidentiam ductor: ille tacitè, iste sanè legendus, intelligendus. Polybium, Herodotum, Dionem, plura exposcenti, profero: quod si multitudo confundat, ad vnum prouoco, *Sacram paginam*. Ibi miles, aulicus, Princeps, sacerdos, gladium, togas, coronas, mitras inueniet. Profundum ibi aperitur pelagū, quod

XXXIII *legatus sit sapiēs*

XXXIV

Sal. An. 1055. ſicco pede pertranſies; & licèt littora numquàm appulleris, tutus in portu ſalutis quieſces. Hic infinitas propemodum legationes obieris, priuſquàm vllā attigeris. Bello vrgēte inter Florentinos & Alphonſum Regem *Matthæus Palmerius* Florentiæ ciuis, & pharmacopola, quia ingenij & ſcientiarum cultu clarus apud ſuos erat, Neapolim miſſus legatus, cuius eloquentia cum admirationi eſſet, interrogatus vnde eſſet? *Pharmacopolā Florentinum* cum reſponderet ſe eſſe; tum Rex exclamauit: *Si tales Florentiæ Pharmacopolæ, quales igitur Medici?* Mediceos innuens, qui in Republica eminebant. Hæc autem ſapientia, & eruditio non ſyllogiſmorum eſt, & ſophiſmatum, ſed legum, inſtitutorum, morum populi, & Reipublicæ: cuius priuilegia, vires, arcana, titulos, actiones, vſurpationes, poſſeſſiones pacificas, vel violentas, ſitus, habitus, genium, facinora, vitia, affinitates, fœdera antiqua & hodierna, loci opportunitatem, aditus, gabellas, magiſtratus, amorem populi, propugnacula, arma, naualia, claſſem, flu-
XXXV mina, portus, Legatus acuratè ſcrutabitur. Transfuga tamen videatur, non explorator. Quid cum vniuerſa Metaphyſica faciet legatus & Mathemathica? cū Archimede machinas fabricaret, cum Thalete aſtrorum rimaret ortus, & obitus, quæ verò ante pedes munia legationis negligeret? Satis habet ſcientiæ legatus, ſi Politicam Iuriſprudentiæ iungat, ſi cum Ethica hiſtorias, cæteras ſi vel libauerit. Si plenius ſciat, non improbamus, modicè tamen habendas ſuademus.

Linguarum peritus, nè ab interpretibus decipiatur; & ſemotis arbitris, arcana Reipublicæ ſolus cum ſolo peragere poſſit. *Va-*
XXXVI *de ad domum Iſrael* (ait Dominus Ezechieli) *& loqueris verba mea ad eos, non enim ad*
3. n. 4 *populum profundi ſermonis, & ignotæ linguæ tu mitteris.* Vbi conſtat, quantum Legati interſit linguam eius populi collere, ad quem mittitur. Propterea Apoſtolos ſuos Chriſtus totum in Orbem miſſurus legatos (*Pro Chri-*
2. Cor. 5. n. 20. *ſto legatione fungimur*, ait Paulus, linguarum ſcientiam eis de cœlo pluit.

Audax, conſtans, Magna animo non geruntur abiecto. *Sæpè* (ait Cicero) *virtus & magnificentia, in qua grauitas & auctoritas, plus proficit ad miſericordiam commouendam, quàm humilitas & obſecratio*: legati timidi, muti, dicuntur canes, non valentes latrare. *c. ſi rector. d.* 43. docet negare, qui timidè rogat, diligenter tamen caueant, nè quid nimis: vt Cymbrorum legati feroces dicuntur, & ſtolidi, qui iam victi, adhuc Mario minabantur. Precibus orare, non probris inceſſere, neceſſe eſt, placare quod potentius. Cæterum ſi pares ſint vires; virorum eſt, glorioſam potiùs oppetere mortem, quàm fœdari. Cum Londini à Parlamentarijs, qui aduerſus Regem cōſpirauerant, Gallici Legati ſupprimerentur epiſtolæ, quas illi Francorum Rex direxerat; ingrediens ipſe legatus domum Comitis Nortumberlandi & fortuitò ſuper tabulam repertas audax occupat, vi defendit, victorque domum regreditur. *Sirus tom. 6.* minori haud opus erat conſtantia. Byzantij Sereniſſimi Delphini natiuitatem Sal. An. 1638. acclamantibus Gallis in domo Legati, ex Turcis publicus accurrit miniſter; & percunctanti rumoris cauſam, cum primogenitus Legati, qui fortè ſtabat in foribus reſponderet, *natiuitatem plaudimus primogeniti Regis noſtri*, furore Turca ſuccenſus, inter probra, & conuicia, *quid* (inquit) *primogenitus? quis Imperator. Vnus eſt totius Orbis dominus, Conſtantinopolitanus Imperator.* Quibus dictis, eundem Legati filium traxit in vincula. His auditis accurrit pater, nullo comitante ſatellitio, ipſe etiam exarmatus, & ſine pileo; veſtem Turcæ apprehendens exclamat. *Nunc filium mihi redde, vel vnà ſecum me carceribus tradas. Si hoc feceris, Regio nomine tibi bellum pronuncio.* Sagredus.

XXXVII

XXXVIII

XXXIX

Poſtrema legati conditio; An *laicus* debeat eſſe, ſi à Principe laico miſſus ſit? quæritur? pro clericis vſus fauet hodiernus: vndè ex *Sagredo* Sal. An. 1566. legitur etiam ad Turcas miſſū fuiſſe à Maximiliano Imperatore Epiſcopum, vt legatū. Is an Canones valeat inuertere, quibus prohibentur clerici ſæculi implicari negotijs, & aulæ fieri mancipia *l. repetita. C. de Epiſcop. & Cler.* turbando rerū officia *l. 2. C. de teſtam.* cum tamen perſonis Eccleſiaſticis ideo ſint immunitates conceſſæ, vt cæteris derelictis, poſſint comodè Dei inhærere miniſterijs. *l. 12. generaliter C. de Epiſcop. & Cler.* affirmare non audeo, eiuſdem licèt familiæ ſim.

LEGA-

Sal. An. 1055.

LEGATORVM MANDATA.

CAPVT XIII.

1. *Legatorum arma, mandatum.* 3. *mandata sunt occulta.* 4. 7. 10. *an liceat mãdata excedere.* 8. *quando, quomodò.* 11. *protinùs mandata exponat.*
1. *Mandatum vel verbo, vel scripto.* 4. *capite punitur, qui non seruat.* 5.
2. *Legati ficti capite puniti.*
4. *Legati Romani quàm obseruatores mandatorum.*
9. *Quando liceat legato in patriam recedere, inscia Republica.*
11. *Legati Veneti astutia.*
13. *Lingua vernacula exponendum mandatum.*
14. *Legatus de suo tenetur promissa exequi, si Respublica adimplere recuset.*

I Legatus sine mandato vel nullus, vel inanis. Legatorum arma, mandata, vulgo *Instructiones*. Verbo dantur, vel scripto. *Verbo*, cum in summum discrimen adducitur patria, & cum *libera* facultate mittuntur, vt in arena consilium capiant. Cæterum inscriptis aperiuntur arcana Maiestatis, & in tesseram suæ legationis ferunt mandata. Quod si ficti mentiantur, *quia in mendacio deprehendi, veniæ spem abrumpit.* Appian. *de Bello Punico*; mos est
II vt capite plectantur. Xenophon. *lib.* 3. Mandata, quæ legationis arcanum inuoluunt,
III occulta sunt, & nulli reserantur, quam suis. Talia Hamilcar, cum classe nauigaret in Siciliam, nauium gubernatoribus dedit, conditione, nè quis legeret, nisi vi tempestatis à cursu prætoriæ nauis esset abductus. *Frontin. cap.* 1. C. Marius Cos. *bello Cymbrico, & Teutonico ad excutiendam Gallorum & Ligurum fidem literas ei misit, quarum pars prior præcipiebat, nè interiores, quæ præsignatæ erant, ante certum tempus aperirentur. Easdem postea ante præstitutum diem repetijt. Et quia resignatas repererat, intellexit hostilia agitari.* Frontin. *stratag. lib.* 1. *c.* 2.

IV. An verò iusta de causa legato liceat religionem mandatorum soluere? Romanis illicuisse videtur, nam à Senatu Tarentum legati missi, licèt de iniurijs sibi illatis conqueri potuissent, cum inhumaniter tractati fuissent, imò vnus eorum vrina conspurcatus, tamen ad proponendum admissi, ijs verbis tantumodò legationem expedierunt, quibus eam sibi demandatam nouerant. Athenienses Porrò legatos suos, quòd aliam quàm illi decreuerant, via profecti essent, morte mulctarunt. *Elian. lib.* 6. Sic Persarũ Rex, Sal. An. 1589. & 1614. Abraimum ad Turcas legatum missum, securi percussit, quia legationis excessisset mandata. *Sagredus.* Prudentes nil pestilentiùs crediderunt, quàm publica mandata perstringere priuata vesania. Cum plus in imperio quàm in V
victoria Manlius Torquatus crederet, filium victorem licèt, sed mandata excedentem paterna, capite damnauit. Quanto magis decretis Senatus necessitas inerit, teste Polybio? *lib.* 1. Hoc idem fuit Carthaginiensium votum, quùm *Hannonem suum morti condemnarunt fortissimum, ac triumphalem virum, quod is edicto Senatus minus obtemperauisse putaretur.* Latro *decl. in Catil.* Attilius VI
Consul missus in Græciam à Senatu, vt Athenienses & Ætolos contra Phillppum tueretur; quia præter mandata Hæstiæam, & Anticyram expugnauit, & euertit; Senatus decreuit, vt quamprimùm Actilio successor mitteretur. *Pausanias lib.* 7. Vvaldemarus Marchio Brandeburgensis, cum Legato suo in mandatis dedisset, vt certam VII
personam nempè *Fridericum* Austriacum in Imperatorem eligeret; isque neglecto domini mandato, *Ludouicum* Bauarum elegisset, in carcerem detrudi, & enecari fecit. *Krantz. lib.* 9. *Saxon.* Religiosè itaquè quæ tibi comissa custodi. Hæc tamen humanæ accomoda prudentiæ. Quæ enim hominum consilio præuideri non possunt, vt legatus prouideat, data sunt; vt consilium capiat in arena. Ad placandum Ale- VIII
xandrum Lampsacenis dira minitantem, ciuitas legauit Anaximenem Philippo patri. Rex re cognita, cur venirent, Græcorum Deos inuocauit testes, se omnia facturum IX
contra illius orata. Id cum resciret Anaximenes, cum fuit in conspectu Regis, ait: *Per ego te Deos, Rex, rogo* (inquit) *vt coniu-* X

ges,


Sal. An. 1055. *ges, liberos Lampsacenorum redigas in seruitutem, vrbem exscindas; nè templis quidem deorum immortalium abstineas.* Pausanias *lib.6*. Tantum valuerunt preces, vt iusiurandi vinculis solutus Alexander, ciuitati ignouerit. Minimè itaque fides paueat ingeniosa; calliditas Reipublicæ vtilis, virtus est, & religio, non sacrilegium.

XI Legati à Senatu ad Octauium, vbi ea, quæ post eorum discessum decreta erant, audierunt, iniussi remearunt in vrbem. *Appian.de Bello ciu.3*. Scipio Africanus, S. C. ad se perlato

XII de pace cum Carthaginiensibus ineunda, non obtemperare, deliberauit. Non quia tumidus plusquàm ciuilia conciperet; sed quia compertam habebat fallacem Carthaginiensium fidem, qui pacem petierant, vt bellum pararent. *Zonar.lib.2*. Admissi itaq; legati protinùs mandata exponant; quod si moras necti animaduertant, precibus, nimia instantia, quinimò astutia tentent accersiri. Exemplo sit Legatus Venetus ad Sultanum missus, qui cum ipsi copia exponendi mandati denegaretur, deposita veste patria, Turcicam togam induens, per turbam transijt, & negocium conficiendum dedit expeditum.

Qua verò lingua exponet mandatum? XIII Vernacula: dedecus enim est, peregrina vti. Si illius ad quem mittitur, lingua vtitur, subiectionem sapit. Romani, nisi Romanorum lingua in legationibus vsi sunt. *Val.lib.2.cap.1*. Latinam communem omnibus suspicor, quam *Protea* dicunt.

Quid cum Respublica, Legati promissa XIV exequi recusat? fidem publicam à se datam de suo liberet. Imitetur Q. Fabium Max. *qui de redemptione captiuorum cum hostibus, cum pepigisset, idque pactum à Senatu improbaretur, fundum suum ducentis millibus vendidit, & fidei satisfecit.* Plinius *de Vir. Illust. c.43*.



LIBER

LIBER XVIII.

CAPVT PRIMVM.

HENRICVS IV.

OCCIDENTIS IMPERATOR XVIII.

1. Henricus IV. Imper. an laudandus. 2. explanatio Hieroglyphici. 3. primus fuit, in quo Pontifex potentiam suam aduersùs Reges ostenderet. 4. excommunicatus, iacet insepultus. 5. à filio exauctoratur 6. Episcopus ei panem negat in illa Ecclesia, quam Henricus fundauerat. 7. bella sexagena gessit. 8. ad Papam appellat aduersùs filium. 9. à matre deseritur. 10. filium solicitat erga nouercam. 11. pœnitentiam simulat. 12. iacet insepultus: sepelitur.

1. RElígio & Bellona, pro Henrico ista: in Henricum illa vt deturbet ea, hæc vt imaginem remittat Henrici, fatigant in Hieroglyphico. Quantum enim armis Henricus præpolluit, tantum impietate inualuit; & dubium adhuc, an eius præcederet *Impietas*, vel *Armorum potentia*? Sunt vtriq; patroni. Germani laudant, Romani vituperant; & memoriā damnantes, sepultura prohibēt, nè exaretur in libro viuentiū. Inter altercātium strepitus triūphat Veritas, eaq; dictante, Historia damnat, vt in Hieroglyphico videre est.

Inscriptiones equiuocæ.

Henricus Quartus
Fama, Fide, Gloria
Hic tumulatus.

II.

Henricus IV.
Rebus impiè gestis
In Deum & Ecclesiam
Hostis acerrimus.

Suspecta est inscriptio; nam si virgula apponatur post *gestis*, vituperat; si *Ecclesiæ* laudat. Vel cum Expunctæ

Henricus IV.
Rebus impiè gestis
. . . .
In Deum, & Ecclesiam
Hostis acerrimus

in tabella literæ appareant; *Veritate* imperāte, hoc factū est; nā scriptores plurimi *Henricū* laudāt, cū Ecclesia insimulet & damnet.

Alia, quæ vituperat.

Henricus Quartus
Antequàm moreretur
E numero viuentium expunctus
Hoc tumulo dignus.

ALLVSIO AD HIEROGLIPHYCVM.

I.

HIc fuerat sacris quōdā interdictus, & Aris
Attamen ediderat, facta canenda tuba.
Laudis Amor iubet historiā monumēta parare,
Et calamo tanti scribere gesta Ducis
Obstitit inceptis vultu indignata seuero
Religio, & retro vertit agitque manum
Discite iustitiam Reges, & sacra vereri,
Nam sequitur solos postera fama pios.

P. Franc. à S. August. Macedo Lect. Pat.

II. *CLausit in æternas Hēricus lumina noctes*
Qui nocte dignas duxerat viuens dies;
Cui cum nō aliud, quam Martis luxerit astrū,
Tenebrisne, dubium, digna gesserit an die.
Sed quia Sol Marti radiorum lumine præstat
Quæ digna luce, Vis, Veritas tenebris putat.

Io: Fran. Franzinus S. Th. D.

III.

NVmina, quid specto? Duo iā cōtraria posse
Virtus, & Vitiū, Fœdus inire simul? (sūt
Qui simul oppositū Rex æquat Numen vtrūq;
Virtuti, ac Vitio fauit, & vsque fouet.
Relligio Hūc dānat, Quem vi Bellona tuetur;
Illa manu Effigiem pellit, & Ista leuat.
Tot, Qui Bella gerit; nec tollit Fama, nec Illū
Deprimit: in dubia sorte, reliquit Eum.
Præualet Inuidia, an Veri Dea cōscia, quis scit?
Historia, his reprobat Regia Facta, Notis.
Ethnicus à Cælo Viuens, Henricus aberret;
Non Hūc cōdat Humus, post sua Fata, Ducē.
Imperiū, sine laude iacet; sine nomine, Princeps:
Trāsit homo in nihilū, qui modò Cæsar erat.

M. Anton. Moles Neapol.
S. Th. D.

HEN-


Henricus IV.
Rebus Immie Gestis
In Deum et Ecle-
siam Hostis
Acerrimus.
A: van Westerhout fe.
in venet.

HENRICI IV

OCCIDENTIS IMPERATOR XVIII.

EPITAPHIVM.

Depromptum ex scriptis Bennonis *Cardinalis, qui tempore* Gregorij VII. *apostatauit.*



Siste gradum viator,
Nec cineres formides Mauortios.
Hìc ille iacet, per quem Omnes Principes iacent.
Et nouo in Adam Regia est catenata Potestas.

Henricus primus fuit, in quo Pontifex palam fecit quantum in ipsos Principes possit.

Imperium exarmauit Sacerdos,
Sed adulteræ & parricidæ manu.

Coniugẽ vt adulteram reiecit.

Nomen flagitas?
Gregorius VII. deleuit & hoc, de libro Viuentium.
Mortuorum nè rumines puluerem,
Paschalis II.
Asini sepultura me sepeliuit,

Iacet insepultus.

Nè inter Manes maneret nomen meum.
Pius obij, cum impius abijt
Filius in Patrem.

Exauctoratur a filio.

A Pontifice exarmatus,
Postquàm vtrumq; gladium in Ecclesia reposui.
Miseremini mei saltem vos amici mei;
Et si viuo panem ingrata negauit Ecclesia,
Quam à fundamentis erexi;
Mortuo vos proijcite lapidem,
Etsi non Imperatori, homini date humum.

Episcopus mendicum Henricum negat in numero clericorum recipere in illa Ecclesia, quam Henricus erexerat.

Ignoto nè largiamini,
Henricus est IV.
Non ætate sed bello sexagenario maior,
Qui sepultus hìc iacet insepultus.

Bella sexagena gessit.



EPITAPHIVM II.

Ad tumulum Henrici IV. *Depromptum exprobatis historicis illius æui.*



HENRICVS IV.

VIII. *Exauctoratus à filio, ad Pontificem, quem negauerat, appellat,*

Eximperator hìc iacet.
Romanum Pontificem, quem non agnouit viuens
Serò appellauit moriens.
Paschalis namq; non expectato iudicio,
Sepultus est in terra obliuionis.
Rex fuerit, an tyrannus?

IX. *Desertus à filijs, accusatus a coniuge, derelictus à matre.*

Gregorium VII. nè consulas *Patrem Sanctum*,
Sed filios, coniugem, matrem.
Aspidem hæc nè foueret in sinu,
Romam secessit:
Mallens abiecta esse in domo Dei,
Quàm habitare in tabernaculis peccatorum.

X *Hēricus filium dicitur sollicitasse in nouercam.*

Vxor, filius, nè lenocinio paterno 10
Ad incestus accenderentur,
Illa diuortit, iste diuertit.

XI *Ab omnibus deseritur.*

Inter tot fluctus *Henricus*
Id egit, quod Crocodillus: 11
Sæpè lacrymas simulauit,
Nusquàm resipuit.
Cogitans turrim, quà Cœlum scanderet,
Non compleuit;
Quia in suppetias Pontificum descendit Christus,
Quibus erit vsq; ad consumationem sæculi.
Repentè moritur,
Insepultus expectans
Viuorum & mortuorum iudicem.

XII *Per quinquennium iacet insepultus.*

Quinquennio Inferis, Superisq; extorris, 12
Extra Orbem exulauit Catholicum.
Ecclesiæ restitutus liminibus;
Cum prò patre filius intonuit:

Roganti filio Henrico V. Papa sepulturam indulget.

Solius Petri est,
Cælum soluere, terramq; ligare.



CATE-

Sal. An. 1055.

CATENA HISTORICA.

CAPVT SECVNDVM.

1. *Henricus IV. Imp. cum nascitur, Draco creditur à matre.* 4. *uxores Bertham, & Praxedem habuit:* 6. *filij.* 8. *auxilio Pontificis imperium scandit.* 9. *sub tutela matris.* 20. *Papam confirmat.* 24. *Cadalum antipapam promouet, quia sine eius consensu creatus sit Alex.* 26. & 27. *legati, Romani ad Henricum veniunt.* 28. *Papã, & pseudopapam citat ad dicendam causã suam.* 29. *Stephanum Cardin. legatum Romanum reijcit, sed aulicorum dolo persuasus.* 35. *rapitur.* 36. *se in flumen præcipitat.* 37. *ab Echberto extrahitur.* 38. *vitia Henrico indulgent rectores.* 70. *Salomonem Regem Hungarorum remittit.* 79. *coronatur.* 82. *in Nortmannos mouet, sed incassum.* 84. *luxuriosè viuens ad conuentum vocatur.* 85. *cogitur cedere imperio, vel renunciare amicitiæ Alberti Premensis.* 86. *odio habet Annonem Archiep. Colon.* 101. *nuptias celebrat cum Berta* 103. 122. *vitijs indulget.* 104. *mortis periculo liberatur.* 105. *diuertit ab vxore.* 107. *Turogis decimas imperat: à S. Petro Damiani corripitur.* 108. *vxorem reassumit.* 109. *Episcopatus distribuit.* 107. *Gotifredum eligit Episcopum Mediolan. inuito Papa.* 119. *accusatur à Saxonibus* 120. *Romam vocatur ad se expurgandum* 123. *Archiep. Moguntinum instigat in Thuringos prò decimis exigendis.* 131. *à Gregorio VII. Romam vocatus, accusatur de simonia.* 132. *promittit morum correctionem.* 135. *in Saxones mouet.* 136. *Legatos Romanos honorificè suscipit.* 154. *mouet in Hungaros.* 155. *dolo aulicorum deceptus, reuertitur.* 158. *in Saxones copias ducit, vincit.* 159. *apud Pontificem accusatur de criminibus pessimis.* 160. *legatione tentat demulcire animum Pontificis.* 164. *iratus legationem Saxonum respuit.* 166. *vincit.* 167. *mandat excommunicari Thuringos* 169. *crudelis vult delere Saxones.* 170. *Episcopum Misnensem spoliat.* 172. *in deditionem accipit Saxones.* 173. *periurus pacta violat.* 174. *tumidus in Papam.* 175. *Bambergæ dat Episcopum Rupertum Goslariensem.* 176. *spernit monachos simoniacos, & Abbatem ritè præponit.* 177. *filium successorẽ designat.* 178. *intrudere tentat violenter Hildolphum Goslariensem.* 179. *Romam citatur.* 181. *agit prò deponendo Gregorio VII.* 182. *ad principes scribit in Papam.* 185. *excommunicatur* 187. *Coloniensibus violenter Episcopum imponit.* 189. *crudelis grassatur in Saxones.* 190. *quia excommunicatum fugiunt Principes.* 191. *Saxones Principes liberat, vt discordia eos vincat.* 192. *frustra mouet in Saxoniam.* 194. *morum correctionem exhibet.* 195. *iudicio comittitur Summi Pontificis à comitijs Triburiensibus.* 196. *in Italiã descendit inops, & egenus.* 198. *cogitur iter pretio emere à consanguineis.* 200. *rogat absolui.* 201. *duris conditionibus absoluitur.* 202. *eius iuramentum Pontifici præstitum.* 203. *renuit obiecta diluere sumptione S.S. Eucharistiæ.* 204. *ab Italis exsibillatur, quia se subiecisset Romano Pontifici.* 205. *à Papa deficit, vt placaret Italos.* 208. *auxilium petit à Papa in Rudolphum.* 216. *fidem iurat Pontifici per legatos.* 217. *vincitur à Rudolpho.* 218. *Saxoniam populatur* 219. *iterum excommunicatur.* 220. *pseudopapam creat.* 221. *ad Gregorium VII. temulentus scribit.* 222. *scribit ad Principes pro Antipapa.* 225. *iterum excommunicatur.* 226. *in Italiam descendit.* 227. *Patauinos priuilegijs donat, & Cremonenses. Florentiam obsidet; agrum populatur Romanum.* 228. *Romam expugnat.* 231. *iterum oppugnat, & expugnat.* 232. *fœdus init cum Nortmannis* 235. *pecuniam accipit ab Imper. Græcorum, vt Robertum agrediatur.* 236. *à pseudopontifice coronatur.* 238. *coronatur cum Berta ab Antipapa* 239. *fœdus init cum Venetis; & Ducis filiam de fonte leuat; priuilegia dat.* 240. *priuilegia dat Monachis S. Zenonis, Augustam recuperat.* 241. *an iustè depositus.* 243. *in Concilio Moguntino Gregor.* 7. *mandat deponi; & hostes suos excommunicari.* 244. *Pragensem ditionem terminis circumscribit. Vratislaum Poloniæ regem inaugurat.* 247. *à Saxonibus victus.* 253. *Adhelaidem vxorem ducit.* 254. *mouet in*

Sal. An 1055.

Echbertum. 257. *Antipapam renuit deserere, etiam si à Papa ab excommunicatione absoluatur.* 258. *descendens in Italiam, pugnat cum Mathilde.* 259. *Mantuam expugnat.* 262. *Ferrariam occupat.* 263. *Canussium osidet* 265. *carceri Praxedem vxorem tradit.* 267. *sibi mortem consciscere tentat.* 276. *Verdensi Ecclesiæ donat.* 280. *duos Antipapas creat.* 281. *solus ex principibus Christianis non adest bello sacro.* 282. *scribit Paschali Papæ* 284. *à Paschale excommunicatur.* 285. *fingit velle visitare Christi sepulchrum.* 287. *capitur, exauctoratur à filio.* 288. *vestibus Imperialibus exuitur.* 290. *à Coloniensibus in tutelam recipitur.* 291. *ad filium scribit.* 292. *ad Principes scribit, suam plorans calamitatem.* 293. *Philippo Celtarum Regi scribit.* 295. *rescriptum eius de perfidia filij.* 296. *ad principes Imperij de iniusta sui depositione.* 300. *moritur.* 301. *alimenta quærit ab Episcopo Spirensi nec impetrat.* 302. *epitaphium.* 303. *moneta.*

2. *Agneta Henrici IV. mater credit Draconem parere.* 9. *tutrix filij.* 12. *virtus.* 14. *filij potentiam affinitatibus firmat.* 33. *incestus insimulatur.* 40. *Monasterium ingreditur.* 63. *Romam visitat, & Petro Damiani confitetur peccata.* 88. *alimentis eget.* 115. 130. *Cassinum pergit.* 212.

4. *Bertha vxor Henrici IV. & n.* 101. 105. *repudiatur.* 108 *restituta, filium parit Conradum* 253. *moritur.*

5. *Praxedis vxor Henrici IV.* 268. *maritũ accusat in synodo Constantiensi.* 271. *querelam renouat in synodo Placentino.*

9. *Otto de Svvinfunde Dux Sueuiæ.*

10. *Bertoldus comes futuro Sueuiæ Ducatu donatur ab Henrico III. Imp. ij. Dux Carynthiæ eligitur. priuatur.* 188. *conspirat in Regem.*

10. *Rudolphus de Rijnfelde ducatu Sueuiæ donatur ab Agnete Imper.* 14. *filiam Bertoldi rapit, vel Henrici Imper.* 158. *Henricum IV. comitatur aduersus Saxones.* 171. *negat arma sumere in Saxones.* 188. *conspirat in Henricum.* 206. *effigies, moneta, Imperator eligitur, & quibus conditionibus.* 207. *fidem iurat Rom. Pontifici.* 220. *corona donatur à Papa* 223. *in bello moritur, amissa dextera manu.*

11. *Ludolphus Carynthia donatur ab Henrico IV. Imper.*

11. *Conradus Dux Bauariæ moritur, quadrimus.*

13. *Henricus Ep. Aug. tutor Henrici IV.* 22. *inuidia laborat.* 34. *incestus insimulatur cum Regina.*

14. *Juditha soror Henrici IV. vxor Regis Poloniæ.*

14. *Mathildes soror Henrici IV. coniux Rudolphi.*

14. *Sophia soror Henrici IV. coniunx Salomonis Regis Hungarorum.*

15. *Victor Papa obit.*

15. *Stephani IX. Pontif. natalia.* 16. *pretiosa Cassin. Monasterij vult Romam deferri, vt fratri pararet imperium.*

15. *Hildebrandus legatus Pontif. ad Imper.* 20. *in Benedictum Antipapam insurgit.* 75. *Alex. Papam defendit iure promotum.* 215. *Nicephorum Græcum excommunicat.* 224. *Robertum Ducem Apuliæ confirmat.* 237. *Robertum Nortmannum in auxilium vocat.* 238. *Salernum se recipit, anathematizatur ab Antipapa.* 245. *moritur.*

16. *Godefridus Dux cur Henrico IV. inuisus* 43. *arma ponere iubet Papæ, & Antipapæ.* 72. *deficit ad Antipapam.* 93. *mouet in Nortmannos.* 94. *moritur.*

19. *Gregorius de Alberico.*

19. *Girardus de Galera.* 60. *excommunicatus, raptor.*

19. *Benedictus Antipapa, cognomento* Mincius.

20. *Nicolaus Papa consensu Imper. electus.*

22. *Diepoldus infestus Hẽrico Ep. Augustano.*

23. *Henricus Gallorum Rex obit;*

23. *Philippus Gallorum Rex.*

24 *Alex. II. Papa.* 28. *legitimus Papa declaratur.* 31. *sine Regis auctoritate consecratus sub tutela Mathildis, & Godefridi* 44. *iubetur continuare.* 56. *an rationaliter sine Imper. consensu electus.* 75. *corripitur ab Hannone Archiep. Colon.*

24. *Robertus Nortmannorum Princeps Papam comitatur.* 100. *Apulia, & Calabria donatur.* 115. *Siciliam occupat.* 210 *excommunicatur.* 224. *Dux Apuliæ confirmatur.* 237. *Romam properat in Henricum, Papam liberat.*

24. *Cadalus Antipapa sub tutela Henrici IV.*

&

Sal. An 1055.

80. Theo-

Sal. An 1055.

277. Me-

Sal. An. 1055. 277. *Mediolanenses vnde viperam aßumerent prò insignibus*
279. *Balduinus Rex Hierosol.* 11.
279. *Itha Austria sacram suscipit expeditionem: carnaliter infideli iungitur*
279. *Paschalis Papa Clementem Antipapam fugat.*
286. *Henricus V. insurgit in patrem.* 287. *mouet in patrē, eum dolo capit* 294. *mouet in patrem.* 297. *patrem citat ad comitia.*

Natalia Henrici IV.

I. NAscitur ex patre Henrico III. ex matre Agneta Vuilhelmi Pictauiensiū Principis, & Ducis Aquitaniæ; *An.*
II *Sal.* 1050. *die XI. Nouemb.* ait *Sigeber.* Vel An. 1051. III. Id. Nouemb. ait *Schafnaburg.* Matri eius visum est in somnis Draconem parere, si vera profert auctor Vitæ Mathildis

III *Cuius erat mater Regina videlicet Agnes*
Hūc in vētre gerēs vidit, quod sit draco vere
In somnis infans. Hoc multis retulit ipsa.

Vxores

IV DVas habuit. I. *Bertham* filiam Otthonis Marchionis Italiæ, quam sibi desponsauit An. Sal. 1055. Obijt illa An. Sal. 1088. Moguntiæ primum, deindè Spiræ sepulta.

Secunda fuit *Praxedis* Auentinus dicit
V *Adhelcidem* Vidua Vdonis Marchionis Brādeburgensis, filia Regis Russorum, cum qua nuptias celebrauit Coloniæ An. Sal. 1088.

VI *Liberi.*

Iuditha Regi Poloniæ MAsculi tres Henrico fuere, & forsan plures.

Mathild. Rudolph. Sueuorū Duci. I. Ille qui in expugnatione Carpineti mortuus est; cuius nomen reticetur in historijs. *Sigonius.*

II. *Conradus* Italiæ Rex

III. *Henricus* successor, à quo exauctoratus est pater.

Fæminæ.

Nupsit Salomoni Hungarorum Regi.

Imperij Occupatio.

VII HEnrico III. mortuo, sceptra arripuit
VIII Imperij *Henricus IV.* filius eius; in
Victor Papa pro Henrico laborat. quem seditiones quamplurimas ortas Papa Victor sedauit. *Sigeb. Chron. Aug.* Pueri tutela Agneti matri commissa, cui, ob spem pro-
IX lis, qua se ferebat grauidam, Boiariæ duca-
Sax. 5. c. 2. Rodulphus Dux Sueuiæ. tus est permissus. Saxoniæ memorant Annales, *Henricum* filium, cum Goslariæ diem Pentecostes ageret, graui perfunctum esse periculo. In dormientis conclaue excussum fulmen, eius clypeum & ensem è lecti spondâ suspensum, colliquefecit, Rege tamen illæso. Id coniectores ad sexaginta duos conflictus, quibus non sine vitæ discrimine interfuit, retulerunt. Interim regnante matre ducatus Sueuiæ varie iactabatur. Obierat *Otto de Svvinfurde* Suæuorum Dux, & *Rodulphus* (teste Krantzio) *de Rynfelde*, qui postea ad imperium aspirauit, ducatum accepit; malorum origo, & seminarium. Eundem namque ducatum Sueuiæ, *Henricus III.* Imper. supradicto viuente *Ottone*, comiti *Bertoldo*, qui postea X
Carinthiorum Dux fuit, concessit, & fidei pignore anulum suum tradidit. Hunc anulum *Henrico* moriente, *Agneti* Imperatrici pro documento veritatis exhibuit; quo recognito, datum confirmauit. Præuenerat tamen *Rudolphus*, qui filiam *Bertoldi* apud Episcopum Constantiensem nutritam (raptam an volentem, incertum?) coniugem accepit & ei Imperatrix Sueuiæ ducatum XI
permisit; ita *Krantzius*; sed vxor *Rodolphi* non erat filia *Bertoldi*, sed soror *Henrici* Imper. vt ait *Herman. An.* 1059. quod verius est, propterea datus est *Rodolpho* ducatus Sueuiæ. Inde *Bertoldum* exasperatum vt Imperatrix leniret, Ducem Carinthiæ promouit An. 1060. Non diù postea mutato consilio, Imperator *Henricus* ducatum Carinthiæ *Ludolpho* obtulit consanguineo suo. Vndè Bertoldus iustè commotus in Regem, quia donatum reuocasset; in *Ludolphum*, quia aliena indebitè postulasset, cogitabat vltionem. Hæc tamen circa Annum Sal. M.LVIII. cum non longè ab obitu *Henrici III.* Imper. in fata concederet etiam *Conradus* Augustæ filius, quadrimus cui Bauaria destinata fuerat, ait *Auentinus*.

Interim (vt habet *auctor in vita Henrici* XII
IV.) paterna adhuc fulgente pace, non bella, non classica quietem rumpebant; nec rapina grassabatur, non fides mentiebatur. Adhuc iustitia sui vigoris, adhuc potestas sui iuris erat; Hunc beatum regni statum *Agnes* Imperatrix Serenissima, virilis ingenij fæmina, multum iuuit, vsque dum cum filio Remp. pari iure gubernauit, & consi-

Sal. An. 1058. XIII consilio Henrici Episcopi Augustani, tutelam pietate gessit materna. Maiestatis arcana affinitatibus potiùs, quàm armis, secura constituit; fuere.

NVPTIÆ INTER SALOMONEM HVNGARIÆ REGEM, & Sophiam sororem Henrici IV. Imper. Sal. An. 1058. & Iuditham sororem Henrici IV. cum Rege Polono.

XIV Cautè considerabat *Agneta* ex leuibus caussis, & euentibus sæpè in bellis rerum summā mutari. Propterea *Andreæ* Hungarorum Regis, filiæ nuptias suo filio *Salomoni* petentis, precibus locum dedit, vt ex hoste infestissimo amicum faceret. Eodem voto, affinitate amicitiam firmauit cum alijs Principibus; & *Iuditham* Regi Poloniæ nuptum tradidit. *Mathildem* tertiam & impuberem *Rudolpho* despondet, quæ mox *Rumoldo* Episcopo Constantiensi educanda traditur, ait *Auentinus* aduersus ea, quæ scribit *Krantzius*, vt supra diximus *nu*. 10.

XV Romæ *Victor* Pontifex hoc anno decedit: in cuius locum *Fridericus*, frater *Gotefridi* Ducis, dudum B. Leonis Papæ Archidiaconus, tunc autem monasterij S. Benedicti Abbas, ordinatur Papa, & *Stephanus IX.* nominatur. Iste fuit filius Gothelonis (ait *Sigebertus*) Imperatori Henrico exosus prò odio fratris sui *Godefridi* Ducis, post legationem Constantinopolitanam apud Cassinenses Monachus, & postea Abbas factus: comprobauit tamen in Pontificatu. *Auent. lib. 5.* p. 430. Propter quod Hildebrandus ad Imperatricem ab Ecclesia Romana legatus missus fuerat. *Dissidij caussa* (Leo Ostiensis) l. 2. c. 99. XVI *inter Cæsarem & Godefridum erat, quia crederetur iste Imperij inhiare coronæ. Nam electus Pontifex Fridericus mandauit Præposito Monasterij Cassinensis, vt omnem ecclesiæ illius loci thesaurum in auro dumtaxat, atq; argento festinanter sibi, & quàm posset latenter, per seipsum deferret; multo potiora his in breui se hùc remissurum promittens, disponebat enim fratri suo duci Gotfrido apud Tusciam in colloquium iungi, eique vt ferebatur, imperialem coronam largiri: demum verò ad Nortmannos Italia expellendos, qui maximo illi odio erant, vnà cum eo reuerti.* Ibid. c. 98 Hæc in Italia. Vltra montes, l. 5 pag. 429. autem sub idem tempus varijs fluctibus agitabatur Saxonia, quos *Auentinus* recenset.

Stephanus IX. Papa cōfirmatur ab Imp.

Godefridus cur Hērico inuisus.

TVMVLTVS IN SAXONIA.

XVII *Saxones gens efferata, nempe adhuc cruda carne vescuntur, finitimorum spolijs quæstuosa, viuere rapto, more veterum Germanorum insueta, à Francia Saxoniaque oriundis Imperatoribus in vnam legionem conscripti, obsequentes latrones cognominati, Danis, Cimbris, Venedis hostibus tum Reipub. & nostræ religionis oppositi fuerunt, quo in illos impunè furta, latrocinia exercerent: vbi illi armis perdomiti, sub iugum pietatis missi sunt. Saxonum equestris ordo, atque nobilitas, pacem seruare, pietatem iustitiamque colere, finem cum armis vagandi, mandataque facere coacti sunt: coerciti sapientissimorum, pacisq; amantissimorum principum superiorum potentia. Posteaquam ergo Cæsarem impuberem, ætatem obnoxiam iniuriæ, rebus impositum vident, rati eundem vbi adoleuerit, haud dubiè aui, parentisq; vestigia consectaturum, res nouas in tempore moliri statuunt. Nactiq; ducem Ottonem quendam, impare natum matrimonio (qui à puero apud Boiemos exularat, auditaque morte Imperatoris, fratrisq; sui Vvilhelmi Saxonici limitis præfecti, hisce diebus in Saxoniam redierat) atauos æmulari, imperata detrectare, nemini omnium parere, omne ius in viribus ponere, viduas, pupillos (iuxta prouerbium vulgatissimum) deglubere, laniare, inopes opprimere, in seruitutem redigere, ciuibus inuidere, horum opibus insidiari, oppida diripere, mercatores & alios quosuis vltro, citrò commeantes, vbi modò spes lucri sit, deprædari, spoliare: latrocinia passim, vt hæc sub rege puero quasi vsucaperent, tandem quasi sua iusta vsucapione atque consuetudine defenderent, agitare cœperunt. Istæc & nostro æuo in plerisque regionibus Germaniæ à nobilitate impunè committi solent: ipsi libertatem auitam, & ius equestre vocant. Cæsar in Boiaria concilio soluto, in Saxoniam ad tumultus comprimendos proficiscitur. Proceres Saxonum Mersburgium accersit, ipsiq; cateruatim armati, hostiliq; animo aduentare nunciantur. Idcirco Bruno & Eckbertus patrueles Cæsaris, fratres germani,*

Sal. An. 1058. *ni, rebus militaribus præfecti, cum casu in Saxonum cohortem incidissent, statim Orto Saxonum ductor, signo dato illos inuadit: nec illi pugnam detrectant. Vtrinq; maxima vi diu certatur, ancipiti fortuna modò huc, modò illuc inclinante. Primo impetu Bruno & Otto admissis habenis, calcaria equis subdunt, infestis armis concurrunt, inuicem equis deturbant, vterque perijt. Eckbertus quamquam saucius, tamen dolore amissi fratris concitatus, in confertissimos irrumpit, Bernardi præfecti filium, alterum huiusce tumultus authorem interficit, cæteros in fugam vertit. Saxones amissis antesignanis, armis abiectis, deditionem faciunt, vltraq; armis regem lacessere omittunt.*

STEPHANI PONTIFICIS OBITVS Sal. An. 1058. dissidium Papæ & Antipapæ.

XIX HOc eodem Anno Summi Pontificis renouātur funera. Obit Florentiæ *Stephanus*; Romæ gliscit Ambitio, & puerilem ætatem agente Cæsare, Romani triumphāt tumidi. Inter quos *Gregorius de Alberico Lateranensis, & Tusculanensis comes, sociato sibi Girardo de Galera, & Romanorum potentium aliquot, nocturno tempore cum armatorum turbis, Ecclesiæ iura peruadunt, & Ioannem Veliternensem Episcopum, Mincium postea cognominatum, Papam constituunt, Benedicti nomine illi imposito*. Leo Ostiensis *lib. 2. c.* 100. Interim ex Germania regrediens *Hildebrandus* Florentiam venit ad Ducem *Gotfridum* Stephani defuncti (*Beneditus Antipapa.*)

XX Pontificis fratrem, ibique vocato Episcoporum conuentu, *Gerardus* Episcopus Florentinus Pontifex eligitur, ad excludendum *Benedictum* Antipapam; cui vt Cæsarem conciliarent, *Romani Principes* (ait Lambertus) *satisfactionem ad Regem mittunt, se scilicet fidem, quam patri dixissent, filio quoad possent, seruaturos, eoq; animo vacanti Romanæ Ecclesiæ Pontificem vsque ad id tempus non subrogaße, eius magis super hoc expectare sententiam: orantq; sedulò, vt quem ipse velit transmitat, nihil eius ordinationi obstare, si quis non per legitimæ ordinationis ostium, sed aliunde ascendisset in ouile ouium. Rex habita cum primoribus deliberatione, Gerardum Florentinum Episcopum, in quem & Romanorum & Teutonicorum studia consenserant, Pontificem designat, Romamque per Godefridum Marchionem transmittit. Ita Benedicto, qui sine iussu Regis & Principum sacerdotium vsurpauerat, reprobato, Gerardus, qui & Nicolaus, Pontificatum obtinuit.* (*Pontifex Nicolaus ab Imperatore cōfirmatur.*)

XXI His Romanum congregauit Concilium, in quo damnato *Berengario*, constitutio etiam de electione Romani Pontificis edita est: vt legitur apud Petrum Damianum *in disput. Aduocati Regij, cum defensore Rom. Ecclesiæ*, & apud Gratianum. *cap. 1. In nomine. d. 23.* Quod defuncto primario Mundi pastore, primò flamines, deinde cæteri sacerdotes, Senatus Populusque Romanus coeant, in communeque de capiundo animarum parente consultent: *saluo tamen* (inquit) *debito honore, & reuerentia dilecti filij nostri Henrici*; *qui in præsentiarum Rex habetur, & futurus Imperator, Deo concedente speratur, sicut iam sibi concessimus, & successoribus illius, qui ab hac Apostolica sede personaliter hoc ius impetrauerint*. Contigit hoc *An. Sal.* 1059. (*Damnat. Berengarium.*) (*priuilegiū Imperatoris de confirmando Papa.*)

XXII His erat Italiæ status: quùm in Germania inuidia perciti Principes aduersùs *Henricum* Episcopum Augustanum, *Diepoldum* comitem concitant prætextu Comitatus ad altare S. Mariæ per cartæ firmitatem traditi, *Rapoto filius eiusdem Comitis Matichinga inuadit: sed Aurrarij, qui eius sequaces erant, ab Augustensibus plurimi occiduntur, plerique vulnerantur dehinc à Comite Matinchinga, alijsque vici concremantur. Regina cum puero Rege in festo Omnium Sanctorum Augustam veniens; inuasores Augustæ ad pactionem compulit*. Cæteri rebellionem meditantes, occasionem quærebant. Moritur interim Sal. An. 1060. XXIII *Henricus* Rex Galliarum; *Philippus* eius filius, adhuc puer regnum cum matre gubernandum suscepit. Anno sequenti 1061. obit *Nicolaus* Papa. (*Tumultus in Henricū Ep. Augustanū*) (*Chron. Aug.*) (*Henricus Rex Gallorū moritur.*)

ELECTIO ALEX. II. ROM. PONTIF. Sal. An. 1061.

XXIV DEfuncto *Nicolao* Pontifice, cum ingens inter Romanos seditio de ordinando Pontifice cœpisset oriri: *Hildebrandus* Archidiaconus, habito consilio cum Cardinalibus, nobilibusq; Romanis, ne dissensio incresceret, *Anselmum Lucensem* (*Alex. Papa*)

Episco-

Sal. An. 1058. *Episcopum post menses fermè tres in Romanum Pontificem eligunt, Alexandrumque vocari decernunt. Romam eum comitante Principe Nortmannorum Roberto Guiscardo.*

l.3.c.20. *Quod cum Imperatrix* (ait Leo Ostiensis *audiisset vna cum filio tulere grauiter, hæc sine sua auctoritate gesta fuisse: Cadalumque Parmensem Episcopum à Placentino dumtaxat & Vercellensi Episcopis, ipsa die festiuitatis Apostolorum Simeonis & Iudæ, in Papam eligi faciunt.* Cadalus Antipapam. *Qui porrò Augustæ & Regis sollicitauerint animos, Comites fuere Tusculani, Galerani, qui Nortmannis infensissimi ad Regem Henricum legationem miserant. Legatus fuit Comes Galeriæ, qui cum ad Regem venisset, coronam auream dono ferens, salutauit eum Romanorum Patricium, & prò electione Summi Pontificis rogauit.* Vel vt Auentinus scribit
XXV
XXVI
l.5.p.430 Conuocato Basileæ concilio ex omnibus Italiæ Episcopis, adstantibus Romanis legatis post salutatum Cæsarem Tribuniciæ Potestatis Cons. patricium; *Cadolus Parmensis Episcopus Senat. Consulto Pontif. Max. capitur, Honorius secundus nominatur. Dum hæc fiunt, Nortmanni quibusdam Romanis auro sibi conciliatis, Anselmum Lucæ Vrbis Tuscorum Episcopum ante consecrationem Honorij, Pontificatui Maximo imponunt, Cui Romam ducunt, moxq; inaugurant, Alexandrum secundum nuncupant. Honorius igitur exclusus Roma, quam iam alius occuparat, ingenti pecunia Augustam in Germaniam redit. Purpuratos sibi pecunia placare, aulicos cunctos auro ambire non cessat, donec Cæsar ei (vt tum mos erat) mitram, pedum, siue lituum traderet.* Cæsar inuestit Pontificē. *Quidam etiam Romani furto sublata aurea cruce, cæteris Pontificalibus insignibus surreptis, quæ Episcopo Romano præferri solebant, ea ad illum præferunt, quibus ipse vsus, Pontificem quoque se primarium duxit.*

Romæ interim ciuilis grassabatur seditio. Quidam *Honorio*, alij *Alexandro* studebant. Romani cum mandatis legatos ad Cæsarem
XXVII mittunt, & Augustæ duodeuicesimo Calen. Septemb. Flamen, qui Alexandrum inaugurarat, sic verba facit. Auent. l.5.pag. 432. legatio Romanorum ad Cæsarem. *Suppetias ferte Orbi Reginæ, principes pientissimi, opitulamini pro iustitia vestra, primariæ Christi Seruatoris nostri Ecclesiæ cuncta terrarum per prudentiam vestram pace festa fruuntur, soli nos qui caput Mundi, sacrosancti imperij domicilium incolimus, & vrbis æternæ ciues sumus, domestico atterimur tumultu. Alexander inturbat omnia, is contra morem maiorum, absque consensu vestro sacerdotium sibi vsurpat, à Nordmannis Pontificatum emit, vi & armis tenet, lupus atque latro, non pastor, tyrannus, non Pontifex est. En ego, qui ipsum à Nordmannis, Deum testor, coactus consecraui, præsto sum.* Hæc vbi Senatus, Principes, Pontifices audiuere, Cæsar habito consilio, vtrisq; Pontificibus diem dicit: ad cognoscendam, dirimendamque litem *Bouonem* Episcopum Halberstatensem Romam legat. Cæsar Pōtificibus diem dicit. XXVIII Hic vbi Romam venit, partes audiuit, auspicio Cæsaris *Alexandro* Pontificatum addicit.

In hos tamen nouatores Romana Ecclesia ad Cæsarem *Stephanum* presbyterum XXIX Cardinalem legauit, qui obstantibus Regijs ministris, fautoribus *Guiberti* Parmensis Regij Cancellarij, & à *Cadalo* munerum mercede conductis, ad audientiam non admissus, ad suos vacuus est redire compulsus, (vt *Petrus Damianus* scribit) nec legationis arcanum regijs potuit præsentare cōspectibus, sed clausum & signatum retulit, quod curialium plectenda temeritas non admiserat. Hæc legatio an Alexandri electionem præcesserit, dubitatur. Quonam die creatus fuerit Alexander? *Kal. Octobris*, cum tres plus minus menses intercurrisse, XXX ex quo Nicolaus occubuit, testatur *Damianus*.

Rem paucis & clarius Sigonius sequentibus explicat. Mortuo Nicolao Pontifice, *Clerus Populusq; R. de surrogando successore conuenit. Orta dissensione cum nemo ex Romana Ecclesia probaretur, Cardinales tandem, Hildebrando auctore, proximum Nicolai decretum amplexi, ex aliena sumpserunt. Hic fuit Anselmus Badagius Mediolanensis, Lucæ Episcopus, homo singulari doctrina, & vitæ disciplina probatus, & qui paullo ante Nicolai in Germania fuerat legatus. Is pridie Kal. Octob. creatus, imminente Romanorum seditione, statim sine Regis auctoritate consecratur, atq; Alex. II. vocatur. Henricus iam inde ab initio discordiæ, à Romanis quibusdam Ecclesiæ inimicis, & exulibus, vt vetere instituto Pontificem daret, instinctus Episcopos in eam rem ex Lom-* XXXI

Sal. An 1062. *bardia euocarat. Vbi verò Alexandrum per Cardinales iniussu suo consecratum audiuit, ex matris & suorum sententia frequentem Basileæ conuentum habuit; atq; Placentino & Vercellensi Episcopis ex Italia assentientibus, Cadaloum Parmensem Episcopum ad se profectum Pontificem V. Kal. Nouemb. renunciauit, & Honorium II. vocauit. Postero anno scilicet 1062. Cadaloum in Italiam ab Henrico per Bucconem Halberstadensem Episcopum missum sũmo excepit honore Gibertus Lombardiæ Præfectus. Gibertum* verò Mediolanenses & pleræq; ciuitates Lombardiæ, Episcopis suis auctoribus, sunt sequutæ. XXXII *Alexandrum* Gothifredus Dux vnà cũ *Mathilde* coniuge recepit in clientelam.

HENRICVS RAPITVR IMPER. Sal. An. 1062.

XXXIII Otto Dux Bauariæ lib. 5. p. 432. AVgusta hoc anno ducatum Boiariæ, quem hactenus *ex Auentino* quatuor annis administrarat, *Ottoni* ex Saxonia clarissimis natalibus oriundo, viro tum ciuili prudentia, militarique disciplina inclyto, in fidem commendat.





querelæ in Augustam. Tantisper Augusta muliebri tutela rectè summæ rerum præfuit, *Henrici Augustani* potissimum vsa consilio, & opera: Cæteri inuidere (ita homines sunt præcipuè purpurati) clanculum mordere; conuenire,
XXXIV Augustam Pontificemq; criminari, eos incestus simulare, alia huiuscemodi vociferari cœperunt. Quod longè à veritate aberrat, nam *Agnes* omnium pudicissima habebatur, teste *Lamberto*; tum quia Pueri raptus Reginæ non obstaret lasciuiæ, sed habenas laxaret, cum longè à filio, & aulicorum frequentia, absque arbitris, & testibus libera remaneret lubrica vidua. Vndè potiùs fuisset abducenda mater, quàm filius. Verius puto ob imperij cupidinem, & vt ministerium vsurparent, raptum fuisse puerum. Ita enim, aiebant: *Quæ malum dementia tot fortissimis atque sapientissimis regulis, principibus, dynastis, tetrarchis, præsidibus, præfectis, tot sanctissimis patribus, tot eruditissimis Episcopis, nationi orbis reginæ, victori gentium populo, fœmina dominatur? haud dubiè infaustum, dirum ue Reip. omen. Aqua, ventoque (sicuti vulgò dici solet) magis fluxa est muliebris fides: modò ait, modò negat: nunc odit, rursus amat: in vnius potestatem ob stupri consuetudinem, ius atque ditio cessit. Vnus omnia regni commoda, tributa, vectigalia, census potitur, cæteri omnes boni, nobiles, vulgus sine gratia, sine authoritate sumus: iusticia, denique cuncta venalia sunt. Omnis gratia, potentia, honor apud vnum, aut vbi ille vult, existit: ingens ludibrium, atque dedecus bellicosæ Germaniæ. Cæsar qui iam pubescit, procul à viris, in Senatulum mulierum relegatus, inter pensa colusque seruilibus ministerijs effœminatus. Tempus nunc est, vt columen Reipublicæ publica cura adolescat, senatu principum, publicis functionibus, armis & militaribus exercitijs insuescat: ipse*

denique

Sal. An. 1062. *denique Imperij munia obeat. Hæc & hu-*
iuscemodi vbi crebrò iactata sunt, tandem
XXXV *Anno archimysta Agrippinensis, Eckbertus*
patruelis Cæsaris, Otto Boiorum regulus,
communicato consilio, Hainricum muliebri
potestate, dolo, ne seditio concitaretur (quip-
pe populo Augustæ indoles, mite ac quietum
perplacebat imperium) emancipare statuunt.
Nauim preciosæ artis magna opulentia ador-
nant, tapetis, aulæis insternunt, auro, ar-
gento, pictura, cælatura, cæteris quibus ani-
mum Cæsaris oblectari opinabantur, in-
struunt. Cæsar cum matre Goslaria, vbi
hyemauerat, egreditur, Nemetum Augu-
stam petit, ibi Paschalia concelebrat. Anno
archimysta, cæteri principes frequentes coeunt:
nauim ad insulam Rheni, quam Diui Sud-
berti vocant, applicant. Cæsarem, cum hi-
larior post cœnam foret, ad spectandum naui-
gium ita exornatum inuitant. Cæsar adhuc
puerorum more simplex, nihil minus quàm
insidias suspicatus, nauim ingreditur. Con-
festim subornati ab Annone latera principis
stipant, ex composito nautæ soluunt, repentè
remiges remis incumbunt, nauim in altum
XXXVI *prouehunt. Cæsar se ad necem præsentem du-*
Henricus IV. rapitur. *ci ratus, se è nauigio in flumen proijcit: iam-*
que in oculis omnium submergebatur. Eue-
stigiò Eckbertus patruelis eius in flumen de
XXXVII *naui prosilit, dextra Cæsarem prehendit, ad-*
nauigatque nauigio. Apparebat anceps peri-
culum, tam prænatantis, quam sequentis.
Qui vehebantur, adnauigant, ambos eripiunt,
in nauemque excipiunt. Cæterum optimates
Hainricum circumsistunt, caussam edocent:
eum blandimentis placant, Agrippinamque
deducunt. Populus, qui in ripa procurrebat,
acclamare, minari, sæuire indignissimum fa-
cinus vociferari cœperunt, ius violatum,
XXXVIII *maiestatem Cæsaream læsam esse, ferro cri-*
men vindicandum clamitant. Quamobrem
Anno ad leniendam inuidiam, quæ hoc faci-
nore coorta erat, conuocato concilio, facti sui
rationem reddit, Cæsarique satisfacit: vul-
gique tumultu pacato, ne id ob suum compen-
dium fecisse videretur, statuit vt Pontifex
Max. Germaniæ sex curijs, iuxta numerum
Aristocratia. *archimystarum Germaniæ rem consociarent,*
singuli publica munia obirent, Imperiumque
per omnes in orbem iret, finiretur. Vno mense
popularia hæc, atq; præclara primum vide-
bantur: non tamen ea concordia mansit. Sub
huiuscemodi tutela magis auaricia, ambitio
inualuit: magis leges spretæ, iura contempta
sunt. Quippe Cæsare à matre abstracto, pau-
corum potentia creuit: qui nacti habenas re-
rum adolescentulum à curis Reip. in angulos
ablegant: Nemini adire, nemini salutare
Cæsarem, ne huic quidem salutare quempiam,
nisi ex præscripto principum, licuit. Teneræ
ætati parcendum esse: venationi, gaudijs cor-
poris indulgendum docent. Ipsi interim om-
nia venalia habent: cuncta vtilitate metiun-
tur. Honorem magistratus, opes, in se, &
quò volunt, transferunt. Cæsarem, vt ab
eo cuncta extorqueant, suo more viuere, ea
quæ fert ætas, factitare passim permittunt:
quin etiam officia à voluptatibus instituunt,
ad omnia conniuent. Et vt ab vno cætera
discas crimina, discordiæ quoque malis Rem-
pub. adterunt. Bezelinus Hyldes haimensis epi- XXXX
scopus, & Vuideradus Fuldensis præsul Gos- Episcopi
lariæ natalibus Christi, pugnis, subselijs in pugnis
templo inter se concertarunt: vterq; dextra certant
Pontificem Mogontinum assidere connitebatur. in ecclesia.
Rursus Quinquagenalibus eadem concertatio
inter eos fuit. Eckbertus partium pontificis
templum armatis militibus occupauit, ad-
uersarios exigere sacris ædibus conatus. Ful-
denses socijs suppetias ferunt: res strictis gla-
dijs peracta est. Vtrinq; multi occisi, fanum,
ara, sanguine humano polluta sunt. Augusta XL
autem tam graui affecta contumelia, tamen Agnes
necessitatem in rationem vertit, vt rumorem Imper.
de se temerè coortum coargueret, maluit tace- monasterium ingreditur.
re, patienterque ignominiam tolerare, quàm
iniuriam more gentium expostulare, in contu-
bernium sacratarum fœminarum se abdidit:
dotalia præsidia retinet, cætera omnia relin-
quit: beneficio in pauperes insignis.

Annonis gesta non omnes cum lauda-
rent, *Petrus Damiani* sequenti confirma-
uit epistola, & in *Cadaloum* excitauit.

Domno Annonis Reuerendiss. Archiep. Petrus peccator
Monachus, dignæ deuotionis obsequium. LXI

IN *expeditionis exercitio constituti, dignè nō*
possumus eisdem manibus & styli curren-
tis articulum texere, & frænis equorum flui-
tantibus, vt dignum est, deseruire: sed licet
melius sit luculenter eloqui, quàm mutire,
verumtamen cùm necessitas imminet, melius
est vtcumque mutire, quàm penitus obmute-
scere. Cùm nobis ad memoriam, venerabi-
lis Pater, labor tuus, & studium venit, no-
bilis

Sal. An. 1062. *bilis illa fides atque prudentia Ioiadæ sacerdotis menti nostræ subsequenter occurrit. Sicut enim sacra, vt optimè nosti, testatur historia, Athalia vxor Ioram, cùm Ochoziam filium suum, regem videlicet Israel, videret extinctum, cœpit in omne semen regium immaniter fremere, posteritatemque Dauid crudelis Bellona tentauit funditus abolere. Sed insignis ille sacerdos Ioas filium Ochoziæ, pia & multis laudibus efferenda fraude surripuit, & occultè vsque septennium intra templi septa seruauit, cui post modum regalis sceptri iura contradidit; eumque ad præsidendum Israelitico populo iuxta proauorum suorū consuetudinem roborauit: mox verò tamquam hoc egregio non sufficeret Sacerdoti, confirmato Regis imperio, ad vtilitatem Sacerdotij, siue templi, suam porrexit industriam, & cum præfato Rege ad ordinandam, & disponendam consacerdotum suorum contulit disciplinam. Nam & sacra tecta templi, vt instaurarentur, instituit, & nonnulla, quæ Sacerdotibus competebant edicta deprompsit. Sciebat enim quoniam vtraq; dignitas alternæ inuicem vtilitatis est indiga, dum & Sacerdotium Regni tuitione protegitur, & Regnum Sacerdotalis officij sanctitate fulcitur. Sed quid mihi per sacræ lectionis seriem currere, nisi quia in te video eiusdem operis similitudinem nostro tempore conuenire? Seruasti, venerabilis Pater, relictum tuis manibus puerum, firmasti regnum, restituisti pupillo paterni iuris imperium: ad Sacerdotium quoque manum tuæ prudentiæ protinus extendisti, dum & Parmensis bestiæ squamea colla Euangelici mucronis vigore præcidere, & Apostolicæ Sedis Antistitem in suæ dignitatis elaborasti filium reformare: sed cœpto operi nisi postrema manus accedat, nisi adhibeantur adhuc illa, quæ restant; sanctum vestri operis ædificium minatur, vt corruat. Cadalous enim ille sanctæ perturbator Ecclesiæ, euersos Apostolicæ disciplinæ, inimicus salutis humanæ: ille, inquam, radix peccati, præco diaboli, Apostolus Antichristi, sagitta nimirum producta de pharetra Satanæ, virga Assur, filius Belial, filius perditionis, qui aduersatur, & extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, velut draco teterrimus adhuc sufflat, adhuc fœtore venenatæ pecuniæ nares hominum fœdat, fidemque multorum vento perfidiæ vacillantem nouus hæresiarcha perturbat. Sicut enim Iouem in Dianæ gremium per aureum imbrem descendisse fabularum commenta confingunt; sic iste per aurum de suæ Ecclesiæ sacrilega deiectione quæsitum, adulterium Sedis Apostolicæ concubitum quærit, & tamquam petoclus adulter suam explere libidinem in Romanæ Ecclesiæ violatione medullitus inardescit.*

Quamobrem, venerabilis Pater, vt sanctus studij tui labor ad effectum omninò perueniat, & per caudam titionis huius, immò per vnum putridum diaboli membrum, apud opinionem hominum Romana Ecclesia non vilescat, & hac occasione, quod absit, Christianus populus in errore permaneat, necesse est vt vestra prudentia totis nisibus elaboret, quatenus generale Concilium quantocyus fiat, & perniciosi huius erroris spinas, in quo miser mundus versatur, euellat. Præterea libenter ad vestræ sanctitatis alloquium, si occasio daretur, attingerem, vt communicandum consilium, quod absentia prohibet, viua conserti sermonis verba conferrent. Sed quoniam id fortasse non mereor, peto, quæso, & humiliter suggero, vt sancta vestra prudentia Cadaloicam rabiem, quæ latrare non desinit, omninò conetur extinguere; quatenus Christiana religio pacifica per vos valeat tranquillitate gaudere, vt dum Regnum, ac Sacerdotium optata per vos pace perfruitur, is, qui vtriusque dignitatis auctor est, pacis æternæ digna vobis præmia largiatur. Sed dum equus offertur, dum socij omnes iter arripiunt: Ecce breuem sperno, streui vestigia sterno.

Dum hæc in Germania fiunt, in Italia Cadalous, *quoniam Pontificatum iure obtinere non potuit, vi eundem extorquere conatur. Rebus eius Romani quidam studebant. Idcirco comparatis haud contemnendis Longobardorum copijs, vrbem versus contendit. Inter Sutrium Romamq; castra facit: vbi aliquot dies statiua habet, sperabat metu sui sponte ad se Romanos conuolaturos, atq; Alexandrum deserturos. Nam partium eius Romani turrim Crescentij, item aliam ad pontem Miluium occuparant, firmoq; præsidio tenebant. Verum Alexandrini explorato Honorij aduentu, vim quoq; se armis defendere statuerant, arma, pila, tormenta, arcus, sagittas, machinas, quæ ad resistendum necessaria forent, comparaerant. Parmensis vbi*

Auentinus lib. 5. p. 433

XLII Cadalous Romam aggreditur.

hoc

Sal. An. 1062. *hoc per speculatores comperit, castra mouet, infesto intentoque exercitu Romam contendit. Alexandro fauentes armati obuiam procedunt, plebs, quæ suo more rerum nouarum auida est, pars indignantes quòd quispiam armatus Romam accedere auderet, mixti militibus equitibusque erumpunt. Sed primo congressu Alexandrini Romanique ab Honorianis & Longobardis in fugam vertuntur, cæduntur, trucidantur. Maxima pars ad Tyberim aufugit, nauim irrumpit. Vbi cum se constipassent, Honorianus miles pilo turbam petit: quæ telum vitabunda, in diuersum latus cedens, nauem inuertit, aquis obruitur. Hisce peractis, nomen, factio, fauor Honorij gliscit, Alexandri pars diminuitur. Cumque iam Honorius Romam intrare in animo haberet, Gotfridus Lotharingius, qui auspicio Cæsaris rebus Italicis præsidebat, aduenit in tempore, partes ab armis discedere imperat. Paret populus, parent milites, desertis Honorio & Alexandro domos dilabuntur. Gotfridus deinde vtrunq; ad se vocat. En, inquit, pastores, qui oues (quarum lana teguntur, lac consumunt) committunt, pacem quam Christus Dominus Deusque noster reliquit, violant, pietatem polluunt. Ite in Germaniam ad Cæsarem, & ibi potius iure, quam bello, vter Pontifex sit, disceptate. Quem Cæsar principesque & episcopi Pontificatu Max. donare dignati fuerint, is absque vi cum pace omnium primario potiatur sacerdotio. Placuit vtriq; conditio quippe vterq; suæ caussæ confidebat. Alexander quòd inauguratus, à Cæsarisq; legato probatus Pontificiam possidebat ædem: Honorius quòd ipse prior, lituum mitramq; à Cæsare accepisset, comitijsque curiatis, ad huncce honorem (ita enim iam est, olim onus fuit) cooptatus foret. Posteaquam autem ad Cæsarem peruentum est, quòd expeditio Vngarica vrgeret, & hæc res absque Ecclesiastico conuentu componi nequiret, iussus est is interim, qui consecratus erat, & Lateranense templum insideret, nomen & titulum Pontificalem vsurpare;* Is forsan conuentus, illud est *Osboriense* Concilium, quod *Petrus Damiani* nominat; qui suâ illa disputatione inter defensorem Romanæ Ecclesiæ, & Regium Aduocatum ad Cæsarem, & Annonem Archiep. Colon. præmissa, cum ipse interesse haud posset, in partes traxit Alexandri, Cæsarem & Archiepiscopum. *Donec Concilio* (prosequitur Auentinus) *edicto, per suffragia more maiorum lis dirimeretur. Alexander ergò Romam, Honorius Parmam se confert. Cæsar in Boiaria hyemat.*

(Margin, left, beside "beret, Gotfridus Lotharingius": XLIII; margin, right, beside "Posteaquam autem ad Cæsarem peruentum": XLIV)

Disputationem supra citatam hic inserere placuit; vndè illorum temporum status, controuersias, iura depromere liceat.

XLV *Disceptatio Synodalis inter Regis Aduocatum, & Romanæ Ecclesiæ Defensorem.*

A R G V M E N T V M.

Inoleuerat praua consuetudo, vt Romanus Pontifex, nisi Cæsare confirmante, eligi posset. Cùm verò Henricus III. puer esset, sinè eius consensu Pontifex electus est: quod cùm ab Henrici Legatis in crimen adduceretur, prò defensione electi Disputationem instruit. Fingitur hæc Disceptatio habita coram Synodo Episcoporum qui, vt hac de re pronunciarent, in vnum conuenerant.

Cadaloū Antipapā hisce verbis cōpellat S. Auctor.



Ed ad hæc gloriaris, & iactas: Rex me, & Imperatrix mater elegit, ad hunc apicem me regia celsitudo prouexit: sed cùm hinc aula regia suum tueatur electum, illinc Romana Ecclesia proprium defendat Antistitē, iam in solio constitutum; dignum est, vt sāctorum, atque prudentium Sacerdotum multitudo conueniat: & hanc quæstionem ventilans sub Canonici iuris auctoritate discernat. Et quoniam in proximo, vt speramus, fiet hinc Osboriente Concilium, hic iam eiusdem Concilij constituamus velut in quadam tabellæ pictura præludium. Iuxta visionem ergo Danielis, Patrum throni sint positi, iudicium sedeat, libri aperiantur, & solutionis indiga quæstio in medium deducatur. Hinc itaque Romanæ Defensor Ecclesiæ suas allegationes inserat: illinc Aduocatus regius propriæ partis argumenta depromat. Taceat Parma cum

(Margin, right, beside "sedeat, libri aperiantur": Dan. 7.)

suo

Sal. An. 1062. *suo hæresiarcha aduocatio tantum regia, & Romana inuicem obloquatur Ecclesia Sanctorum capite suo populus eligat, & ei, quem non elegit, verò Sacerdotum erecti sint animi, vt & quæ vtrimque dicenda sunt, conferant, & perorata causæ iudicialis sententiæ calculum ponant, Age igitur, Defensor Apostolicæ Sedis incipiat, deinde regius Aduocatus, quæ sibi videbuntur obtendat.*

Causa Romanæ ecclesiæ qualis.

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

XLVI *CVm Beatitudo vestra, venerabiles Patres, super Apostolicæ Sedis negotio disputat, ad cunctas Ecclesias pertinere, quod versatur in manibus, non ignorat. Hac enim stant; reliquæ stant: sin autem hæc, quæ omnium fundamentum est, & basis, obruitur: cæterarum quoque status necesse est collabatur. Omnes autem siue Patriarchiui cuiuslibet apicem, siue Metropoleon primatus, aut Episcopatuum cathedras, vel Ecclesiarum cuiuscumque ordinis dignitates, siue Rex, siue Imperator, siue cuiuslibet conditionis homo purus instituit, & (prout voluntas, aut facultas tulit) specialium sibi prærogatiuarum iura præfixit; Romanam autem Ecclesiam solus ille fundauit, & super petram fidei mox nascentis erexit:* Qui beato vitæ æternæ Clauigero, terreni, simul & cælestis Imperij iura commisit. *Non ergo qualibet terrena sententia, sed illud Verbum, per quod conditum est cælum, & terra, per quod denique omnia condita sunt elementa, Romanam fundauit Ecclesiam; illius certe priuilegio fungitur, illius auctoritate fulcitur. Vnde non dubium, quia quisquis cuilibet Ecclesiæ ius suum detraxit, iniustitiam facit: qui autem Romanæ Ecclesiæ priuilegium ab ipso summo omnium Ecclesiarum Capite traditum auferre conatur, hic proculdubio in hæresim labitur: & cùm ille notetur iniustus, hic est proculdubio dicendus hæreticus. Fidem quippe violat, qui aduersus illam agit, quæ mater est fidei, & illi contumax inuenitur, qui eam cunctis Ecclesijs prætulisse cognoscitur. Cùm hæc igitur vestra Sanctitas indubitanter agnoscat, vos, qui non quilibet, sed nobiliores, & egregij estis filij Romanæ Ecclesiæ, pietatis viscera circa matrem vestram compatientes ostendite: & vtrum destrui debeat, sibimet eligendo Pontificem, iudicate. Mirum quippe est, si quod minoribus Ecclesijs Canonicus vigor attribuit, illi soli, quæ caput est omnium, non permisit.*

Matt. t. 6

Ecclesia Christi auctoritate fundatur, & fulcitur.

Regius Aduocatus.

PRolixa declamatio dedit attentionem, beneuolentiam, atque docilitatem: & hoc potiùs iuxta consuetudinem fori iudicialis, quàm secundum regulam Concilij synodalis: vbi scilicet non magnopere curare debemus elucubratæ locutionis vrbanitatem, sed viuæ potius sententiæ puritatem. Ad querelam ergo coram sanctis Sacerdotibus deponendam, sufficiat nobis dicere: quoniam inthronizastis Papam sine consensu domini nostri Regis, ad iniuriam scilicet, atque contemptum regiæ maiestatis.

Def. R. E. *Ordinationem Papæ factam diffiteri nec possumus, nec debemus; Regis autem iniuriam modis omnibus propulsamus. Sed videamus primo, si placet, vtrum Papa sine Rege potuerit fieri, & sic postmodum de Regis disputemus iniuria.* XLVII

Reg. Ad. *certe liquidò nouimus, quia illi debent Pontificem, cùm ordinatur, eligere, quos sibi, postquam ordinatus fuerit, Canonica decernit auctoritas obedire: Papæ verò, quia vniuersalis est Pontifex, non modò Romanus populus, sed & Romanus Imperator, qui caput est populi, obedientiam debet. Censendum ne ergo est, vt Papam sine capite suo populus eligat, & ei quem non elegit Imperator, obediat? Cõstat ergo, quia nisi Romani Regis assensus accesserit, Romani Pontificis electio perfecta non erit.*

Def. R. E. *perhibendum est itaque iuxta vestræ disputationis articulum, quia neque Stephanus, neque Sixtus, neque Cornelius, non denique Clemens, non Syluester, non ipse B. Petrus Apostolus Papali nomine digni sunt, qui ab Imperatoribus eorumdem temporum electi non sunt.*

Reg. Ad. *gentiles Reges non sunt adhibendi ad huius, de qua loquimur, electionis exemplum: qui quoniam Christianam ignorabant fidem, Christianorum non poterant ordinare Pontificem, Cæterùm Christiani Principes semper Romanos elegere Pontifices.*

Def. R. E. *qui mẽtitur in communi colloquio, mendax dicitur, qui autem in presentia venerabilium sacerdotum falsa protulerit, sacrilegij procul dubio crimen incurrit. Dixisti Christianos Principes Romanos semper elegisse Pontifices: percurre mecum ecclesiasticæ anti-*

Sal. An. 1062. *antiquitatis historias, Romanorum Præsulum catalogum studiose disquire, & cum perpaucis inueneris in electione sua regium accessisse consensum, confitere te perspicuum protulisse mendacium. Quis enim Rex Antonij filium Damasum Hispaniensem? quis Innocentium Innocentij filium Albanensem? quis denique Zosimum Græcum Ebramij filium elegit? Quis prætcrea Leonem Quintiani filium de Tuscia? quis Hilarium Crispini filium de Sardinia? quis Cælestinum Prisci Romani ciuis filium? quis Bonifacium, quis Anastasium æque Romanos? Denique multos attexerem, nisi fastidium generarem. Sed ne me putes non habentem copiam, ab eorum enumeratione deficere: Quis Imperatorum elegit Simplicium Tiburtinum? Felicem natione Romanum? quis Gelasium Afrum Valerij filium? quis Symmachum Sardiniæ Prouinciæ filium Fortunati? quis Hormisdam filium Iusti natione Campanum, Ioannem origine Tuscum, Felicem natione Samnitem, Bonifacium Gibaldi filium, Mercurium Proiecti, Agapitum Gordiani, natura Romanos? Quis enim Regum electioni cuiuslibet istorum suum legitur adhibuisse consensum? cum eorum temporibus Romanæ Reipublicæ Christiani Principes præfuisse legantur, idest, Valentinianus Senior; Valens frater eius, qui occisus est in pugna Gothica prope Hadrianopolim; Gratianus, qui à Maximo tyranno peremptus est; Valentinianus Iunior, qui necatus est à comite suo Viennæ; deinde Arcadius, Honorius, Teodosius; Ioannes ille, qui apud Rauennam occisus est; Valentinianus Tertius, qui in campo Martio est peremptus; Martianus, Leo, Maiorianus, Seuerus, Anthemius, Olybrius, Glycerius, Zeno Nepos ille, qui in villa sua occisus est iuxta Salonas, Augustulus, Anastasius, Iustinus, & ceteri Romani Imperatores; quos euitandi laciniosi styli causa prætereo. Da mihi ergo eorum, quos enumerauimus, aliquem vel Præsulem requirentem, vel*
XLVIII *Principem assensum in electione præbentem, & ego do manum, ac te perhibeo laureandum: alioquin si dare non poteris, in hoc te conuictum per omnia pernecesse est fatearis. Quod autem beato Gregorio legitur adhibuisse Mauritius Imperator assensum, & pauci alij Principes alijs promouendis: hoc dictauit perturbatio temporum & tempestas horrenda bellorum.*

In Rom. Pontificis electione non esse necessariū Imperatorum assensum, exēplis demōstratur.

Romani Imperatores, eorūque mors.

B. Gregorio electo assensum præbuit Mauritius Imper.

Reg. Ad. *Si mentiri est contra mentem loqui, temerarium est me mendacij tam procaciter argui, qui non vtique falsum, sed verum me dixisse putaui: tamen assentior, & in hoc superatum me esse non abnuo.*

Quid sit mentiri.

Def. R. E. *Vt autem id ipsum adhuc manifestius pateat, & te super hac dimicandi materia perdidisse, tibi metipsi clarius innotescat, lege Constantini Imperatoris edictum, vbi Sedis Apostolicæ constituit super omnes in orbe terrarum Ecclesias principatum. Nam postquam supra corpus beati Petri basilicam fundator erexit, postquam Patriarchium Lateranense in beati Saluatoris honore construxit, mox per Imperialis Rescripti seriem Romanæ Ecclesiæ constituit dignitatem. Vbi nimirum Beato Siluestro, suisque successoribus obtulit, vt regali more, & aurea corona plectatur in capite, & ceteras regij cultus infulas vsurparent. Verum Beatus Siluester ornamenta, quæ sacerdotali congruere iudicabat officio, in proprios vsus assumpsit; coronam vero, vel cetera, quæ magis ambitiosa, quam mystica videbantur, omisit. Cui etiam Constantinus Lateranense palatium, quod eatenus aula regalis extiterat, perpetuo iure concessit; regnum Italiæ iudicandum tradidit, nam & ipsius Regis hæc verba sunt: Vnde, inquit, congruum inspeximus, nostrum Imperium & regni potestatem Orientalibus transferri & transmutari regionibus, & in Byzantia prouincia in optimo loco nomini nostro ciuitatem ædificari, & nostrum illic constitui Imperium. Quoniam vbi principatus sacerdotum & Christianæ religionis caput ab Imperatore cælesti constitutum est, iustum non est, vt illic Imperator terrenus habeat potestatem. Audisti, quia terrenus Imperator non habet in Romana Ecclesia potestatem: quomodo ergo sine illius arbitrio, qui potestatem ibi non habet, non licet eligi sacerdotem? Ipse vero Constantinopolim, velut in secunda Roma perpetuo regnaturus abscessit. Longe vero post Theodosius Imperator beati Pauli basilicam cœpit; quo defuncto filius eius Honorius eamdem basilicam ad calcem vsque perduxit. Hi quoque Romanæ Eccle-*

Constant. Imp. pietas S. Saluatoris, ac S. Petri Basilicas erigit. lege Notas.

XLIX

Eiusdem Imp. Edictū ergà Rom. Pontifices.

B. Pauli Basilica à Theodosio & Honorio ædificata.

Sal. An. 1062.

siæ priuilegium nihilominus firmarunt. Quomodo ergo prærogatiuam sibi in Romani Pontificis electione relinquerent, qui Romanam Ecclesiam nequaquam sibi studuerunt subdere, sed præferre? non præcipere, sed parere? non præcellere, sed subesse?

Reg. Ad. Assentior plane & ratum duco, quod loqueris; sed esto quod nunc regia celsitudo ex antiquorum consuetudine Principum hoc sibimet allegare non possit; verumtamen tu hoc negare non potes, quod pater domini mei Regis piæ memoriæ Henricus Imperator factus est Patricius Romanorum, à quibus accepit in electione super
L ordinando Pontifice principatum. Huc accedit quod præstantius est; quod Nicolaus Papa hoc domino meo Regi priuilegium, quod ex paterno iam iure susceperat, præbuit, & per synodalis insuper decreti paginam confirmauit. Cum ergo priuatus quisque à suo decidere iure non habet, donec ventilato negotio iudicialis in eum sententia promulgetur: quo pacto maiestas regia prærogatiuam hanc suæ dignitatis amisit, quam & ex Apostolicæ Sedis liberalitate percepit, & ex paterno Imperialis fastigij iure suscepit? quo, inquam, modo in Romana Ecclesia dignitatis adeptæ locum sine iudicio perdidit, qui Romanam Ecclesiam non offendit?

Priuilegium cōcessum Henrico Imp. in Pontifice eligendo.

LI Def. R. E. Priuilegium inuictissimo Regi nostro ipsi quoque defendimus, & vt semper plenum, illibatumque possideat, optamus. Porrò autem Romana Ecclesia multo nobilius atque sublimius, quam mater carnis, mater est Regis: illa siquidem peperit, vt per eius traducem reuertatur in puluerem; ista genuit, vt Christi sine fine regnantis efficiat coheredem, & cuncti liquido nouimus, quia Rex licet egregiæ indolis, tamen adhuc puer est. Quid ergo mali fecit Romana Ecclesia, si filio suo, cum adhuc impubes esset, cum adhuc tutela egeret, ipsa tutoris officium subijt, & ius, quod illi competebat, impleuit? Quis nescit, quia sacerdotem eligere puer ignorat? Sæpe mater iudicis tribunal irrumpit, testes adsciscit, Notarios conuocat; sicque per astipulationes & rata, & insuper apicum monimenta omnia bonorum suorum filio iura delegat: interim tamen, vsque dum ille ad iuuenilis ætatis incrementum perueniat, & rationis capax fiat, illa cuncta dispensat, omnia ordinat, sicque quod iam alieni iuris est patrimonium, ad propriæ disponit prouisionis arbitrium. Numquid ob hoc dicenda est mulier illa filio suo concessa subtrahere? immo verius perhibetur, vt puto, pietatis studio deseruire. Quia quæ rudis adhuc filius dilapidare ac prodigere poterat; hæc illa sibimet apte disposita, caute retenta, & rationabiliter ordinata conseruat. Carnalis ergo mater adiuuat filium in rebus terrenis; & mater Ecclesia filio suo Regi præbere non debet auxilium in spiritualibus donis? Obtumescat ergo plectenda versutia, quæ scilicet hoc damnat, quod prædicare debuerat, illi crimen imponere nititur, quæ pro beneficijs gloriam promeretur. Huc accedit, quia non nunquam ob varietatem temporum sæpe mutandus est ordo causarum. Tunc enim, quoniam Pontificem sibi Romana percepit Ecclesia, tamen simultatis fomes in seditionis ciues accenderat, tantus liuor & odium tumultuantis populi corda turbauerat, vt de tam longinquis terrarum spacijs nequaquam regiæ clementiæ præstolari possemus oraculum. Nisi enim quantocyus ordinaretur antistes, perniciosus in populo gladius mutuis vulneribus dæseuiret, & non parua Romanorum ciuium strages fieret.

Romana Ecclesia spiritualis mater est Regum.

Reg. Ad. Obtende quod vis, argumentare quod placet, dummodo constet, quia nullatenus debuit immutari, quod Papa concessit, quod decreto constituit, quod scriptione firmauit.

Def. R. E. Quid mirùm si hominis carnis adhuc fragilitate circumdati statuta mutentur, quoniam omnipotens Deus, qui videlicet omnia quæ futura sunt nouit, ea quoque, quæ à semetipso constituuntur, immutat? Nam ex eo quod promittit, aliquando aliquid minuit, vel etiam totum subtrahit, aliquando mala minatur, & non infligit. LII

Deus quando promissa mutet.

Regius Aduocatus. Ea quæ proposuisti scripta declarentur exemplis, quid est ergo quod Deus vnquam promisit, & minuit?

Def. R. E. Si non excidit, reminisci potes, quod dixit Dominus ad Noe: Non permanebit spiritus

Sal. An 1662. spiritus meus in homine in æternũ, quia caro est, eruntq; dies illius centum viginti annorum. *Sed cum Scriptura commemorat quingentorum tunc annorum extitisse Noe, quando hæc sibi Dominus loquebatur sexcentorum tunc iam esse, cum cataclysmus erupit: liquido patet, viginti annos de præscripti numeri spacio fuisse subtractos, vitæque spacium, quod humano generi Deus promisit, imminuit, quia peruersitatis eorum reatus excreuit. Inde quoque per os Patriarchæ Iacob promisit Spiritus Sanctus, dicens:* Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est. *Et tamen nec temporibus Iudicum legimus viros de tribu Iuda semper super Israel, tenuisse ducatum, nec Reges ex eadem tribu principatum tenuisse vsque ad Christi reperiuntur aduentum. Constat ergo, quia Deus omnipotens sæpe, quod homini promisit, imminuit, quoniam homo, quod Deo debuerat, non impleuit.*

Reg. Ad. *Doce, & vbi Deus promittit bonum aliquod, & efficaciter non impleuit.*

Def. R. E. *Recordare quid dixit Dominus*
4. Reg 22. *ad Iosiam Regem Iuda:* Pro eo, *inquit*, quod
Cur Deus quæ promisit nonnullis non tribuit vidisti verba voluminis, & perterritum *est cor tuum, & humiliatus es coram Domino, auditis sermonibus contra locum istum, & habitatores eius, & scidisti vestimenta tua, & fleuisti coram me: idcirco colligam te ad*
Nechao *patres tuos, & colligeris ad sepulchrum*
4. Reg. 23. *tuum in pace, & tamen paulo post Scriptura dicit: In diebus eius ascendit Pharao Nechao Rex Ægypti contra Regem Assyriorum ad flumen Euphratem, & abijt Iosias in occursum eius, & occisus est in Magedo cum*
Magedo *vidisset eum. Ad Sedeciam quoque Regem*
Hier. 34. *Iuda per Ieremiam dicitur:* Audi verbum *Domini Sedecia Rex Iuda, hæc dicit Dominus ad te: Non morieris in gladio, sed in pace morieris, & secundum combustionem patrum tuorum Regum priorum, qui fuerunt ante te, sic comburent te, & væ Domine, plangent te, quia verbum hoc ego locutus sum, dicit Dominus. Quod nimirum quomodo potuit fieri, qui seriem scrutatur historiæ, numquam poterit inuenire. Nam postquam à Rege Babylonis semel est captus, Babyloniamque translatus, numquam legitur vlterius ab eius vinculis absolutus. Iusto ergo iudicio subtrahit Deus nonnumquam homini bona quæ promisit, cum rebellis homo illius seruare mandata contemnit.*

Reg. Ad. *Prosequere etiam, quomodo Deus quod minatus est, non infligit.*

Def. R. E. *Nemo, qui limen ecclesiæ terit, ignorat, quia Ionas ad Niniuem à Domino* Ionæ 3
missus exclamauit, dicens: Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur. Sed quia, ciuitas illa ad Deum toto est corde conuersa, nequaquam iuxta minacem Domini sententiam excidij est euersione deleta. Quomodo & cur Deus pœnas quas minatur nõ infligat. *Cum ergo Deus omnipotens non modo verax, sed & ipsa sit veritas, inuiolato consilij sui manente* Hier. 17
proposito, exterioris iudicij sui sæpe variat ordinem, iuxta humani siue probi siue improbi meriti qualitatem, quatenus & à prauitate correctus, quod Deus iuste minatur, euadat, & prolapsus in culpam, nullatenus quæ pollicetur bona percipiat, hinc est quid per Ieremiam dicit: Bonas facite vias vestras & studia vestra, & audite vocem Domini Dei vestri, & pœnitebit Dominum mali, quod locutus est aduersus vos. Hinc est, quod ab Heli quoque per virum Dei Dominus ait: Loquens locutus sum, vt domus tua, & domus patris tui ministraret in conspectu meo vsque in sempiternum. Nunc autem, dicit 1. Reg. 2.
Dominus, absit hoc à me, sed quicumque glorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.

Reg. Ad. *Recte plane cuncta proposueras, perspicuis roborasti testimonijs Scripturarum; attamen ad superiora paulisper reuertere, & iuxta tuæ sponsionis elogium de domini mei Regis iniuria rationem redde.*

Def. R. E. *Glorioso Regi in eligendo Pontificem, absit vt nos intulerimus iniuriam, cum ad hoc nos, sicut superius dictum est, necessitas impulerit, non rapina; ad hoc, inquam, nos inuitos traxit imminens periculum ciuilis belli, non lædendi, vel minuendi huiusmodi Imperij.* LIII.

Reg. Ad. *Ciuile bellum obijcis, imminens periculum in tuæ allegationis defensione prætendis; dicatur etiam, si placet, quia cælum rueret, terra cædem ciuium pateretur, perge adhuc addens, quia pontus aresceret, terra diluuium inundaret, quid mihi omnia hæc, dum constet, quia quidquid accidet, nullo pacto sancti Papæ sententiam debuisti*

 infrin-

Sal. An. 1062.

infringere, nulla ratione Synodalis decreti mysterium licuit violare? Sicut enim Scriptura perhibet: Meliùs est vt oriatur scandalum, quàm vt veritas relinquatur. Nam si hoc bellum timuissent beati Martyres, fierent proculdubio sanctæ militiæ desertores.

Def.R.E. Non ignoras, quòd inter omnes sanctos martyres Petrus, & Paulus in Apostolici Senatus culmine possident principatum.

Reg.Ad. hoc sicut negare sacrilegum est, ita etiam affirmare superfluum.

Def.R.E. eorum sunt nobis tenenda vestigia, eorum forma iuris est actibus imprimenda, sub eorum magistra debemus viuere disciplina.

Reg.Ad. Hoc vtiq; clarum est ac perspicuum. sed quid à te portenti, quid præstigij sub hoc funiculo inductionis alatur, ignoro.

LIV

Def.R.E. Tolle præstigium, intellige veritatem, times me tamquam tibi tendiculas substruentem, audi Paulum de Capite suo Petro veraciter perhibentem: Petrus, antequam veniret quidam à Iacobo, cum Gentilibus edebat; cum autem venissent, subtrahebat se, & segregabat, timens eos qui ex circumcisione erant. Cernimus ergo Petrum non rigidum, sed discretum. Timebat enim Iudæos, ne per occasionem Gentium à Fide recederent Christianorum, & ne perderet gregem creditum, boni pastoris est imitatus exemplum: factus est enim Iudæis tamquam Iudæus, vt Iudæos lucrifaceret. Sicut Christus apparuit in forma carnis peccati, vt à peccatis hominem liberaret: & cum legem Moysi non ambigeret abolendam, consulens tamen adhuc rudibus & infirmis fratribus, tenuit ad tempus vmbram legis, vt eos quoque proueheret ad perfecte noscendam plenitudinem veritatis. In hoc ergo beatus Petrus discretionis nobis regulam dedit, quatenus aliquando, vbi tamen non plurimum noceat, declinemus aliquantulum a tramite rectitudinis, vt consulere valeamus infirmis.

S. Petri Apostoli discretio in Iudæorum salute curanda,

Infirmorū causa an liceat interdum à rectitudine nonnihil declinare

Galat. 2.

Reg. Ad. Qui dicis, quod Petrus aliquando legem Iudaicam tenuit, cur non dicis quod in eadem Epistola legitur, nimirum quia Paulus in facie eum reprehendit: In faciem, inquit, ei restiti, quia reprehensibilis erat, eique dixit: Si tu, cum sis Iudæus, Gentiliter, & non Iudaicè viuis, quomodo cogis Gentes Iudaizare? Cum ergo illud permisisti, istud quare silentio suppressisti?

Cur B. Petrum B. Paulus reprehendit.

Def. R. E. Quod Petrus egit compassione misericordiæ, hoc Paulus arguit pro magisterio disciplinæ: ille quod fecit dispensatiue, vt infirmis tolleret scandalum; hoc iste corripuit, ne indiscretus quilibet passim adduceret in exemplum: in Petro discamus, vt periculo imminente discreti Pauli sermonibus instruamur, vt sanis rebus vita nostra mire deseruiat rectitudini.

Reg. Ad. Laudo quidem redditam rationem, sed cum duorum Apostolorum proposueris magisterium, mirum cum prætermiſſo Paulo, solum Petrum adduxeris in exemplum.

IV

Act. 16.

Def.R.E. Noli, frater, pueriliter currere, immo noli volare, sed perge; pro grauitate quippe negotij prolatio est quoque moderanda sermonis. Audi etiam consequenter & Paulum, discretionis aureæ lineam nostris oculis opponentem, eiusdemque dispensatiuæ compassionis auctorem. Sicut enim Apostolicorum Actuum testatur historia, perambulabat Paulus Syriam, & Ciliciam, confirmans ecclesias, peruenitque in Derben, & Lystram: & ecce discipulus quidam erat nomine Timotheus, filius mulieris viduæ Fidelis, pater autem gentilis. Hunc ergo, vt ad compendium veniamus, Apostolus circumcidit, quoniam Iudæos, immo Iudæis, qui in illis erant regionibus, timuit. Cur itaque circumcidit Fidelem hominem, non Iudæum, qui videlicet incircumcisus erat, & natione gentilis, nisi vt discretionis studio deseruiret, ne Iudæi Fideles in scandalum corruentes à Fide recederent? Hoc etiam nunc ad memoriam redit, quoniam aliquando iuxta morem Nazaræorum comam ex voto nutriuit, & postquam nauigasset in Syriam, in Cenchris positus caput iuxta legis mandata totondit. Refert adhuc Lucas sacræ scriptor historiæ: Cum venissemus, inquit Ierosolymam, libenter susceperunt nos fratres, & sequenti die Iacobus, & omnes seniores, qui cum eo erant, Euangelio illius comprobato dixerunt ei: vides frater, quot millia sunt in Iudæis, qui crediderunt in Christo, & omnes æmulatores sunt legis. Audierunt autem de te, quod discessionem doceas, à Moyse eorum, qui per Gentes sunt Iudæorum, dicens non debere, eos circumcidere filios suos, nec secundum consuetudinem ingredi. Quid ergo est? vtique oportet conuenire multitudinem: audient enim te superuenisse. Hoc ergo fac quod tibi dicimus:

S. Paulus aliorum scanda[l]ū quantopere vitate studuerit.

Act. 18.

Act. 21.

Sal. An. 1062. mus: Sunt nobis quatuor viri, votum habentes super se, his assumptis, sanctifica te cum ipsis, & impende in illis vt radant capita: & scient omnes, quia quæ de te audierunt, falsa sunt, sed ambulas & ipse custodiens legem. Tunc Paulus, assumptis viris posteriori die purificatus cum illis intrauit in templum, annuntians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro vnoquoque eorum oblatio. Cur itaque Paulus iuxta cæremonias Iudæorum caput rasit, nudipedalia exercuit, sacrificia obtulit, & legem destruens, legis præcepta seruauit? cur inquam hæc omnia, nisi vt his qui ex Iudæis fideles extiterant, scandalum tolleretur? formam suscepit ægritudinis, vt morbos auferret ægrotis; seruauit cæremonias legis, de quibus tamen in Epistola dicit: Quæ mihi fuerunt lucra, facta sunt detrimenta, & propter Christum arbitror velut stercora. Circumcidit hominem, & tamen hoc terribiliter clamat: Dico, inquit, vobis quia si circumcidamur, Christus nihil nobis proderit. Quod, quæso maius peccatum esse poterit, quam Christum perdere, Christianæ religionis regulam violare, Iudaicæ legis ritus inducere, nouam Euangelij gratiam impugnare? & tamen hæc Apostolus Paulus in superficie fecisse conspicitur, ne in ipsis nouæ Fidei rudimentis mentes adhuc teneræ scandala paterentur. Quantum namque in exterioribus cernitur, Cherintus, & Ebion nil pene peius inueniuntur egisse, quam Paulus, qui, nimirum in Christum credentes, propter hoc solum à Patribus anathematizati sunt, quia legis cæremonias Christi Euangelio miscuerunt, & sic noua confessi sunt, vt vetera non mutarent. Sed ecce cum dicitur, quoniam Iacobus, & omnes seniores hoc Paulo consilium dederunt: omnes ergo Discipuli, quod Paulus fecit, pariter fecerunt; vnumque scilicet habent in hoc meritum, & qui fecit, & qui faciendi dedere consilium. Si ergo ipsi Principes mundi, quorum legibus parent non modo regna terrarum, sed ipsa etiam celsitudo cælorum, non dubitauere pro paucis, qui tunc erant, hominibus, in tam periculoso negotio condescendere: cur nobis vtique paruulis, & infra eorum vestigia longe iacentibus non licuit innumerabili Romanæ Vrbis multitudini subuenire? Sed quid Apostolus, loquimur scandalum cauisse debilium, & nouiter conuersorum; cum & ipse illorum Magister & Dominus, cuius nimirum omnia sæcula substernuntur imperio, ad nostræ imitationis exemplum, scandalum præcauerit Iudæorum? Simon, inquit, Reges terræ à quibus accipiunt tributum, à filijs suis, an ab alienis? quo respondente, ab alienis: Iesus subiungit: Ergo liberi sunt filij. Vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare, mitte hamum, & eum piscem qui prius ascendet, tolle, & aperto ore eius inuenies staterem, illum sumens da eis pro me & te. Ad molliendum ergo rigorem rectitudinis, ad tuendam virtutem discretionis, si tibi Petrus non sufficit ad exemplum, iunge & Paulum. Quod si procaci contumaciæ nequeunt vterque sufficere, pudeat te vltra Iesum per dicacitatis ineptiam prosilire: Finis enim legis Christus ad iustitiam omni credenti.

Philip. 3

Galat. 5

Heresis Cherinti, & Ebionis.

Matt. 17. Christus miraculo scandalū tollit.

Reg. Ad. Discretionis virtutem tot Scripturam testimonijs approbatam improbare non possumus; sed absit vt vlla virtus sit tam sublimis, tam ve præcipua, cuius tuendæ studio in anathematis barathrum corruere debeamus. Nam cum omne, quod nobis ex diuina lege præcipitur, ad hoc procul dubio tendat, vt nos Creatori nostro societate æterna coniungat; si nos ab eo, quod absit, per maledictionis sententiam contingat abscedere, quæ virtus, quæ discretio, quæ, sicut dicitur, pia compassio tam incomparabile damnum nobis poterit compensare? Sanè si propter hoc solum virtus appetitur, vt omnipotens Dei societas acquiratur, qualis iam illa virtus esset, quæ nos à diuini contubernij societate repellat?

Rom. 10

Def. R. E. Hæc cur prosequaris, quia nobis occulta sunt, euidenter expone.

Reg. Ad. Synodalis enim decreti pagina, quam cum Concilij totius assensu beatus Nicolaus Papa constituit, cui quippe manus articulum indidit, quam tot Episcoporum venerandus celebrisque conuentus subscriptione firmauit, anathematis vinculo iuxta morem carere non potuit. Vnde vos pro compassione, vel condescensione, nescio quam dicitis furentis populi, nequaquam vosmetipsos deberetis tam inenodabiliter sententiæ nexibus irretire. Ridiculum quippe est, sic obrutum de voragine marini fluctus eruere, vt ipse compellatur ereptor vndosis procellarum spumantium cumulis subsidere.

Diuinæ legis finis.

Def. R. E. Cum hæc inconsultius loqueris, Anda-

Sal. An. 1062. Andabatarum aduersum me more confligis, qui nimirum dum clausis semper oculis pugnant, alios quidem vulnerant, sed quomodo seipsos à vulneribus tueantur, ignorant. Dicis quia nequaquam debemus in anathema corruere, etiamsi per hoc valeamus infirmius fratribus subuenire. Huc vibrasti gladium, tentasti vulnus infligere, sed tibimet vbi clypeum oponeres, non vidisti. Numquid tibi iam de memoria excidit, quod superius protuli quoniam beatus Paulus in Epistola sua dicit, quia si circumcidamur? Christus nihil nobis proderit? Et tamen quod tam districte prohibuit, ipse pro charitate fratrum infirmantium, ne scandalum paterentur, impleuit. Quod enim maius, siue deterius poterit quis anathema subire, quam cui negatum est. Christum pro sui reatus damnatione prodesse? Nam cui Christus non prodest, procul dubio anathema est: nihilq; est aliud anathema aliquem fieri, nisi à Christi, in quo benedicuntur omnes gentes, societate repelli. Si ergo Paulus hoc anathema pro charitate fratrum subire non timuit, immo prorsus euasit, cum non qualemcumque hominem, sed Christianum vtique discipulum circumcidit: tu, quæso, vbi cordis oculos amisisti, qui, quod Apostolus fecit, non faciendum esse testaris? ipse enim dicit: Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.

Andabatarum os in pugnando Lege not.

Galat. 5.

Reg. Ad. Verisimile est, quod sicut Paulus Coapostolum suum Petrum de Iudaizandi rediuiua vsurpatione corripuit: ita nihilominus & in semetipsum, postquam discipulum circumciderat, reprehendat: nec mihi hoc aliter vmquam poterit persuaderi, nisi fortassis in eius verbis aliquatenus valeat inueniri.

Rom. 15.

Def. R. E. Vt nullus ambiguitatis næuus in tua mente remaneat, vt nulla cor tuum super hoc negotio deinceps caligo confundat, audi quid idem Paulus ad Romanos dicat: Veritatem dico in Christo non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu Sancto, quoniam tristitia est mihi magna, & continuus dolor cordi meo: optabam enim ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israelitæ. Ecce Paulus cum non sit sicut nos necessitate coactus, sponte ac voluntarie desiderat anathema esse pro fratribus; & tu mihi proponis anathema timendum, vbi me perspicis & ineuitabili prorsus necessitate fuisse constrictum, & charitatis studio, ne tanta fratrum multitudo corrueret, inclinatum. Audi etiam quid Moyses pro populo Israelitico postulans dicat, Obsecro Domine, peccauit populus iste peccatum maximum, feceruntq; sibi deos aureos; aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facias, dele me de libro tuo quem scripsisti, quod nimirum pleniter fiet, cum reprobis in Iudicio dicet; Ite maledicti in ignem æternum. Ecce hic Paulus optat anathema pro fratribus fieri; ecce illic Moyses postulat ex Dei libro pro populi, quem ducebat charitate deleri; & sola Romana Ecclesia, quæ pietatem, & charitatem toto terrarum orbe spiritualiter & principaliter docet, ex imminentibus vibratis vndique gladijs filios suos, quos quotidie per sacri baptismatis mysterium generat, liberare non auderet? Maledictus vir, ait Saul, qui comederit panem vsque ad vesperam, donec vlciscar me de inimicis meis. In hoc, sicut legitur, anathema Ionathas cecidit, sed eum ab imminenti mortis sententia, charitas, qua pro populo strenue dimicauerat, liberauit. Vis audire quid etiam de ipso Iesu, totius benedictionis auctore idem Apostolus dicat? Christus, inquit, vt nos liberaret à maledicto legis, factum est maledictum. Si ergo ipse auctor benedictionis æternæ, vt nos à vinculo maledictionis absolueret, maledictioni non dedignatus est subiacere; si Sancti quique vel noui, vel veteris Testamenti, dum sui capitis imitantur exemplum, & infirmis subuenire fratribus in periculis concupiscunt, anathematis subire sententiam nullatenus perhorrescunt; cur vni mihi niteris imputare peccatum, & charitatem ad hoc me induxisse non perspicis, quæ operit multitudinem peccatorum? Quomodo autem me cuiuslibet hominis sententia ligat, quem charitas ipsa, quæ Deus est, liberat? Erubescat igitur humani anathematis imputator, cum per charitatis gratiam mecum sit æternæ benedictionis indultor.

Perfecta S. Pauli charitas in suos.

Exod. 24. Moysis amor erga suos perfectus.

Matt. 25.

1. Reg. 14.

Galat. 3

perfecta Christi imitatio

1. Pet. 4

1. Io. 4.

Reg. Ad. Cuicumq; in disputatione certanti veritas ipsa defecerit, ineptum est adhuc per ambages, atque versutias pertinaciter niti; ridiculum est diutius verbis prolixioribus immorari; de vinculo siquidem anathematis, quo te hactenus arbitrabar astringi; ita te nauiter LVI

Sal. An. 1062. uiter expedisti, vt nihil de cetero tibi valeat obijci, nihil super hoc capitulo rationabiliter possit opponi. Veruntamen adhuc video mihi materiam superesse, quam tibi valeam non sine causa reluctatori obijcere. Dicitis quia necessitate constricti, & velut angusti temporis breui spacio coarctati nequaquam potuistis in electione Pontificis expectare consensum regiæ maiestatis, quod profecto friuolum esse perspicuum est. Constat enim tres plus minus menses interim decurrisse, ex quo sanctæ memoriæ Papa Nicolaus occubuit, vsque ad Kalen. Octobr. cum iste successit. Videamus ergo si per tam morosam longitudinem trimestris videlicet spacij non potuerit ab aula regia pragmaticæ sanctionis vobis apocha reportari.

Def. R. E. Ecce compellis me vulgato sermone depromere, quod ob Imperialis palatij reuerentiam decreueram silentio præterire; sed iuxta vestræ scilicet exactionis instantiam iam proferatur in medium opus egregium vestrum, sæculis omnibus inauditum. Rectores enim aulæ regiæ cum nonnullis Teutonici regni sanctis (vt ita loquar) Episcopis conspirantes contra Romanam Ecclesiam Concilium collegistis, quo Papam quasi per synodalem sententiam condemnastis, & omnia, quæ ab eo fuerunt statuta, quassare incredibili prorsus audacia præsumpsistis, in quo nimirum non dicam iudicio, sed præiudicio idipsum quoque priuilegium, quod Regi prædictus Papa contulerat, si dicere liceat, vacuastis. Nam dum, quidquid ille constituit, vestra sententia decernente, destruitur; consequenter etiam id, quod ab eo Regi præstitum fuerat aboletur. Sed absit a nobis, vt propter cuiuslibet hominis insolentiam Rex, qui innocens erat, quantum ad nos, rem sui iuris amittat: & quem auctore Deo votis omnibus præstolamur ad Imperiale fastigium, non permittemus ob alienam culpam regiæ dignitatis incurrere detrimentum. Sed vt totam inauditæ calamitatis nostræ percurramus historiam, Stephanus Cardinalis presbyter Apostolicæ Sedis, vir videlicet tantæ grauitatis & honestatis nitore conspicuus, tantis denique, sicut non obscurum est, virtutum floribus insignitus, cum Apostolicis libris ad aulam regiam missus, ab aulicis administratoribus non est admissus, sed per quinque fere dies, ad Beati Petri & Apostolicæ Sedis iniuriam, pro foribus mansit exclusus. Quod ille, vt pote vir grauis & patiens æquanimiter tulit: Legati tamen officium, quo fungebatur, implere non potuit. Clausum itaque signatumq; mysterium Concilij, cuius erat gerulus, retulit, quia regijs eum præsentari conspectibus Curialium plectenda temeritas non permisit. In qua nimirum inopinatæ præsumptionis audacia tanta disputandi videtur inesse materia, vt & Demosthenis eloquentiam vincat, & copiam Tullianæ facultatis excedat. Vnde si vellemus iniuriam nostram districtius persequi, iure possemus obtendere, quia vos Romanæ Ecclesiæ vosmetipsos dono priuastis, qui scilicet ei præiudicij vestri gratis contumeliam intulistis. Ille quippe fœdus amicitiæ violat, qui gratis amicum per offensionis molestiam pulsat. Nam & Dominus Iudæis per Ieremiam ait: Ecce feriam domui Israel, & domui Iuda fœdus nouum, non secundũ pactum, quod pepigi cum patribus eorum, Hier. 31. pactum quod irritum fecerunt. Ille ergo irritum reddit beneficij pactum, qui prior violat amicitiæ sacramentum. Veruntamen Romana Ecclesia non vult exaggerare quod pertulit, sed perseuerare cupit in munere quod regio culmini liberaliter prorogauit.

[Marginalia: Synodus iniqua cõtra Romanam ecclesiam. LVII — quomodo principes indignos se faciant priuilegijs sibi ab ecclesia Romana concessis. — Stephani Cardinal. laudes. LVIII — fœdus amicitiæ quomodo violetur.]

Reg. Ad. Quod domino nostro Regi reuerenter adscribis innocentiam, digne facis; quod autem administratoribus aulæ publicæ deuoluis è diuerso calumniam, videtur iniustum. Quidquid enim circa vos in eiusmodi casibus actum est, ad hoc nos Regiæ munus impulit, Imperiale præceptum, non propriæ libertatis arbitrium.

Def. R. E. Et ego tibi secundum cordis tui duritiam respondebo: dico enim quod Dei omnipotentis obtemperare sermonibus aliquando peccatum est.

Reg. Ad. Ad hoc quod asseris, mens humana concutitur, & Christianæ pietatis ferre non valet auditus.

Def. R. E. Quia hoc tantopere miraris, illud etiam consequenter adijcio, quia propter hoc quod Deo quidam promptus obediuit, funditus perijt: alius ob id quod obtemperare contempsit, ad cumulum gratiæ plenioris ascendit.

Reg. Ad. Incredibile est valde quod dicis, verumtamen si vales exemplis approbare quod loqueris, dic quis vmquam Deo obediuit, ac propterea perijt?

Def. R. E.

Sal. An 1062.

Def. R. E. *Non te latet quod Iudæ Ischarioti, qui iam accepto consilio cum traditurus erat, ait Dominus:* Quod facis, fac citius. *Postmodum quoque, cum ad eius osculum accedere præsumpsisset, adijcit:* Amice, ad quid venisti? *subauditur*, perfice, *sed quia miser hic sermonibus efficaciter obediuit, irreuocabiliter periit.*

Reg. Ad. *Huius propositionis ratione reddita, redde consequenter alterius, quis scilicet Dei omnipotentis obedientiam spreuit, & propter hoc copiosiorem gratiam meruit.*

Hier. 35. *An Deo non obedire possit non esse malum.*

Def. R. E. *Si placet, hoc in memoriam reuoca, quod Dominus ad Ieremiam dixit:* Vade ad domum Rechabitarum, & loquere eis, & introduces in domum Domini in vnam exhedram thesaurorum, & dabis eis bibere vinum. *Et paulo post Propheta subiungit:* Et posui coram filijs Rechabitarum scyphos plenos vino, & calices, & dixi ad eos: Bibite vinum, *qui responderunt:* Non bibemus vinum, quia Ionadab pater noster præcepit nobis, dicens: Non bibetis vinum vos & filij vestri vsque in sempiternum. *Vnde postmodum Ieremias ait eis:* Hæc dicit Dominus Deus exercituum. Non deficiet vir de stirpe Ionadab filij Rechab, stans in conspectu meo cunctis diebus. *At ecce ille male obediens, perfunctus obedientiæ munere cucurrit ad laqueum: isti feliciter inobedientes, perpetuum sui Conditoris meruere conspectum. Hoc etiam ad hoc valet, quod superius dictum est, quia cum Papam sine consensu Regis eligimus, non debetis quod extrinsecus actum est, diiudicare, sed potius quo animo, & qua intentione sit factum, diligenter attendere.*

Res ex intentione attendendæ sunt.

Reg. Ad. *Hæc argumenta nobis domestica sunt, & numquam deficiunt, quia de promptuarijs proferuntur; semper enim possumus in praui operis exhibitione delinquere, sed quia occulta est, ad puræ mentis debemus patrocinium conuolare.*

LIX

Def. R. E. *Censesne semper debere iuxta rerum, atque verborum superficiem iudicari? quid enim iuxta verborum strepitum magis est absonum, quam cum Deus Pater & Filius & Spiritus Sanctus mediatorem Dei & hominum dicitur tradidisse? Christum tradidit Iudas, tradidit & Deus Pater; numquid non quasi similis casus videtur? ergone traditor est Iudas, & traditor Deus Pater?*

Scripturæ verba interdum non sunt iuxta sonum accipienda.

Reg. Ad. *Vnde probas quia Pater & Filius & Spiritus sanctus tradiderint Saluatorem?*

Rom. 8.

Def. R. E. *Audi Apostolum dicentem:* Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. *Cui & Salomon ait:* Cùm sis iustus, & omnia iustè disponas, ipsum quoque, qui non debet, puniri, condemnas. *Quod autem se Filius tradiderit, idem dicit Apostolus:* Qui me dilexit, & tradidit seipsum pro me. *Quod autem & Spiritus sanctus tradiderit Filium Sapientia perhibet, dicens:* Benignus est enim Spiritus sapientiæ, & non liberabit maledictum à labijs suis. *Maledictum apud veteres dicebantur omnes qui suspendebantur in ligno. Christus autem, vt Apostolus dicit, vt nos liberaret à maledicto, factus est maledictum. Spiritus ergo sanctus non liberauit maledictum à labijs suis, quia quæ per ora Prophetarum de Christi passione locutus est, non cohibuit, sed super eum sine dimissione compleri cuncta permisit. Ergo secundum te, qui non de cordis intentione, sed semper ex operum vis superficie iudicare: si Pater tradidit Filium, & ipse se tradidit Filius, & Spiritus sanctus, Iudas quid malè fecit? Facta est traditio à Patre, facta est à Filio, necnon à Spiritu sancto, facta est à Iuda: vna res à pluribus facta est, sed eadem res in operatoribus decernenda est. Quod enim Deus omnipotens ex charitate: hoc Iudas fecit ex cupidine acquirendæ pecuniæ, quod Deus fecit ad salutis nostræ remedium; hoc ille fecit ad explendum insatiabilis auaritiæ votum. Vides ergo, quia non quid homo faciat, debemus attendere, sed quo animo & voluntate faciat, diligenter examinare. Nam si sola dumtaxat exteriora perpendimus, inuenimus ipsum Dominum Saluatorem & dixisse quod prohibet, & fecisse aliter quod iubet.* Quisquis, *ait*, dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis: *& tamen ipso Resurrectionis suæ die duobus de se dubitatiue loquentibus ait:* O stulti & tardi corde ad credendum? *Dixerat etiam in monte Discipulis:* Si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi & alteram. *In passione vero positus, percutienti se in maxillam puero sacerdotis non modo non alteram præbuit, sed insuper dixit:* Si male locutus sum, exproba de malo; sin autem benè, cur me cædis? *Et quomodo*

Sap. 11. *Quo discrimine Christũ morti tradiderit Deus ac Iudas.* Sap. 1. Galat. 3. Matt. 5. Matt. 25. Matt. 5. Ioan. 18.

Sal.An 1062. *quomodo iam verum est, quod de illo Lucas ait:* Quod cœpit facere & docere, *si quod docuit, non impleuit? Sed procul dubio intelligendum est, hoc cum præcepisse ad præparationem cordis, non autem ad ostensionem operis. Quomodo enim paratus corde non fuit in maxillam alteram cædi, qui pro hominum salute decreuerat toto corpore crucifigi? Paulus etiam palma percußus iussione pontificis, ait:* Percutiet te Deus, paries dealbate, *quod minus intelligentibus videtur in verbo conuicium, sed in sensu prophetici tenet oraculi Sacramentum. Paries enim dealbatus hypocrisis est, sacerdotalem sub hoc nomine præferens dignitatem, sed occultans intrinsecus luteam malitiæ turpidinem: nam quod humilitatis fuit, mirabiliter custodiuit. Cum enim illi diceretur:* Principi sacerdotum maledicis? *respondit:* Nesciui frater, quia princeps esset sacerdotum, scriptum est enim: Principem populi tui non maledices. *Vbi patenter ostenditur, quanta idem tranquillitate dixisset, quod iratus intulisse videbatur. Quibus Scripturarum testimonijs quid aliud edocetur, nisi quia non iuxta verba nuda semper debemus sententias iudicare, sed quo animo qua mentis intentione proferantur, suspicere?*

Act. 1. Præceptũ Christi de præbenda maxilla percutienti, quomodo intelligendum.

Act. 23.

Reg. Ad. *Dubia quæ proponis, luculenter elucidas per exempla quæ subijcis: sed quæso te vt ad superiora paulisper redeas, & cur nos calumnieris, vobis præiudicium intulisse, qui regiæ ditioni paruimus, patenter exponas.*

LX Def.R.E. *Recte plane ordinabiliter & congruenter, postquam omnis vestræ partis obiectio non rhetoricis argumentis, non coloribus oratorijs, non denique dialecticis syllogismis, sed viuæ potius atque perspicuæ veritatis est ratione purgata: versa vice iam dignum est, vt de vestris excessibus vel breuiter differatur. Enimuero damnatio Papæ tum grauis & inexpiabilis, vt non humano, sed diuino dumtaxat sit tractanda iudicio. Reges autem nostros tum ætatis infirmitas, tum fragilitas sexus excusat: quibus vtique non reatus adscribitur, sed eorum Consiliarijs, vt dignum est, imputatur. Omissis itaque peruersitatibus cæteris, vt quid ignorante Roma, reprobũ dominũ in Romanũ Pontificẽ eligere præsumpsistis?*

Regum peccata Consiliarijs adscribenda nõ semel.

Reg.Ad. *Electionem quidem, vt palam est, fecimus, sed longe prius Gerardo Comite, alijsq; Romanis, vt videbatur, ciuibus infatigabiliter insistentibus ad hoc inducti sumus. Nam & Abbas monasterij, quod dicitur, Cliuus Scauri, non defuit. Non ergo, vt asseris, ignorante Roma, sed præsente, atque petente, Romani Pontificis electio facta est.*

Def.R.E. *In hoc pro me facis, dum Gerardo sub anathemate constituto te communicasse testaris: nam vt de Abbate & alijs interim sileamus, de Gerardo liceat tantummodo dicere, Ecclesiæ hominem non fuisse, & Christi nequaquam pertinuisse Fidelibus. Illud enim vnum caput anathemati, male dictioniq; subiacuit omnium fere Pontificum, quicumque Romanæ Ecclesiæ eius temporibus præfuerunt: demum paulo ante quam moreretur, propter Comitem Anglum & Archiepiscopum, quos à beati Petri Liminibus redeuntes inuasit, spoliauit, & vsque ad mille Papiensis monetæ libras appendentia rapuit. Propter hoc itaque in plenaria Synodo, Papa Nicolao præsidente, excommunicatus est, & extinctis luminaribus sub perpetuo fuit anathemate condemnatus. Perpendat igitur sancta Synodus, si illius eiusq; complicum rata iure videatur electio, qui tam terribiliter atque horribiliter est ab Ecclesiæ visceribus euangelica atque canonica falce præcisus, vt ne in morte quidem de Christianitatis fuerit titulo reformatus; & si per eum ordinari Romanam Ecclesiam dignum fuit, qui eius semper cruentus extitit inimicus; qui eam semper est feraliter persecutus.*

Gerardus Galeriæ Comes à Nicolao II. excõmunicatur.

Excõmunicati non habẽt ius ad electionem Pontificis.

Et quomodo summam debet Ecclesiam ordinare, cui cuiuscumque limen ecclesiæ non licet attingere? Clamat Dominus ad Israel: Anathema in medio tui Israel, nec poteris stare contra hostes tuos, donec deleatur ex te, *qui hoc cõtaminatus est scelere, & hoc quare? Quoniam Achan filius Charmi de anathemate Hiericho ducentos dumtaxat argenti siclos, regulamq; auream quinquaginta siclorum, & coccineum abstulerat pallium. Et ob hanc vilem videlicet summam auctor sceleris non modo lapidatur, sed & lapidum aceruis obruitur. Si propter illum hominem, qui dumtaxat vnum sacrilegium fraude commiserat, Israel ante suorum hostium faciem ruiturus erat: quomodo stabit Ecclesia, si per virum tot criminibus inuolutum fuerit ordinata? præsertim cum & talem elegerit, in quem, teste mundo, omnium vitiorum sentina confluxit, pseudoepiscopi apostolum Antichristi aduersarium Christi, amici puellarum*

Sal. An. 1062.

mangonem ecclesiarum. Quis igitur istorum iusto videbitur examine præferendus? vtrum is quem elegit vnus vir perpetuæ maledictionis anathemate condemnatus; an ille potius, quem Cardinales Episcopi vnanimiter vocauerunt, quem Clerus elegit, quem populus expetiuit non ab extremitate terrarum, sed intra mœnia Romanorum, & in ipsius Sedis Apostolicæ gremio?

Reg. Ad. *Tot à te rationibus redditis possemus fortassis adhibere consensum, si semel emißam doceret regiam maiestatem mutare sententiam; principali quippe gloriæ velut inconstantiæ næuus imprimitur, si quodcumque suæ constitutionis edictum leuiter annulletur.*

1.Reg.15. Sententiã in melius mutare non est dedecus.

Def. R. E. *Quis nesciat Rege Deum eße maiorem, & tamen dicere non erubescit:* pœnitet me, quod constituerim Saul Regem, *& per Samuelem ei denuntiat, dicens:* Proiecit te Dominus ne sis Rex super Israel. *Si pœnitere se Deus asseruit, qui futura cuncta cognouerat: cur homo suam mutare in melius sententiam erubescat, qui qualis & ipse quoque sit futurus ignorat? Ille de bono factus est malus? iste videlicet Cadalous dolosus de malo vtique quod iam erat, fit quotidie diaboli more deterior.*

LXI.

Reg. Ad. *Quam inconsulte nunc loqueris, qui diabolum deteriorari posse testaris, qui certe tam malus est, vt deterior esse non possit.*

Isa.14.

Def. R. E. *Mentior, si quod proposui, Scripturæ testimonijs comprobare non valeo. Nam Isaia teste, dicebat superbus in mundi principio:* Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. *Paulus autem dicit,* quod in fine mundi veniens aduersatur, & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aũt quod colitur. *Qui ergo tunc affectauit Deo se similem esse; in fine mundi iam deterior factus qui vult prior eminere. Per quod manifestè colligitur, diabolum adhuc in deteriora posse corruere: & quia diabolus interpretatur deorsum fluens, Cadalous à cadendo dictus, ruinam populi sonat, ipsisque nominibus aptissime inuicem concordant. Dic ergo: quomodo iste Pontifex eßet quem non Romanus populus, sed vnus homo cum suis complicibus idemque non Romanus, sed suburbanus (* nempe Gerardus Galeriæ dominus, est Galeriæ oppidulum prope Vrbem situm, ideoque suburbanum appellatum) *& non Ecclesiæ filius, sed maledictus & anathematizatus elegit? Illene esset tuo iudicio Pontifex, qui suam vendidit, vt Romanam Ecclesiam obtineret? qui Romanos occidit in ore gladij, vt Romanus Pontifex fieret? Dices me non debuisse Pontificem sine consensu Regis eligere, & magni pendendum mihi fuisse, vt populus non periret. Ecce hinc beatus Augustinus Hipponensi ecclesiæ, Valerio viuente, præficitur: ecce illinc Ambrosius octauo die postquam baptizatus est, perceptis cunctis Ecclesiasticis gradibus Episcopus ordinatur. In quibus vtique ob nihil aliud canonicæ auctoritatis ordo deseritur, nisi dumtaxat vt saluti populi consulatur. Et tu mihi dicis in seruando populo ipsi Regi me debuisse consulere, vt sibimet in dando consensu vnius epistolæ gloria proueniret. Nam vnde postmodum Romanus Imperator fieret, si tunc se Romanus populus mutuis vulneribus peremisset? Porro autem, quia in constituendo Pontifice Romana Ecclesia à charitate regia non recessit, hoc etiam indicio est, quia cum in Clero suo religiosis viris & sapientibus abundaret, non de proprijs, sed eum, qui Regi tamquam domesticus & familiaris erat, elegit.*

2.Thess.2. Diaboli interpretatio.

Gerardus is est Galeriæ dominus est enim: Galeria oppidũ prope Vrbem situ, ideque suburbanũ appellatum.

SS. Aug. & Am. breuiter ordinatio

Præmissæ disputationis Epilogus.

1.Io.5

Reg. Ad. *Quisquis veritatis, postquam patefacta claruit, obstinate renititur, Dei omnipotentis aduersarius non immerito iudicatur, cuius aduersum se iram inextinguibiliter prouocat, si veritatem, quæ ipse est, pertinaciter & arroganter impugnat. Nam vt ipse disputationis tuæ velut epilogum faciam, cum inter nos quæstio moueretur, vtrum sine Regis assensu Romani Pontificis fieri possit electio, recensitis historiarum catalogis, tantam Romanorum Imperatorum atque Pontificum copiam coaceruasti, & velut nubem mihi testium opposuisti, vt his conspectis, ne nuttum quidem me aduersum te super hoc vlterius facere libuisset. De anathemate vero, quod Nicolaus Papa constituit, in quo etiam vt verum fatear, totã victoriæ vim intentio nostra posuerat, tam inuictis Scripturarum testimonijs, tam lucidis certe modo beatorum Apostolorum, modo ipsius Domini Saluatoris tuæ disputationis aßertio se purgauit exẽplis, vt & nos eatenus ignota doceret,*

Sal. An. 1062. *doceret, & vos ab illius sententiæ vinculo patenter absolueret. Deinde à domini nostri Regis quam dicebamus, iniuria, quæ scilicet nos aduersum vos acrius accendebat, tam strenue se purgauit oratio, vt euidenti clarescat iudicio, quia in eo, quod sibi Pontificem populus Romanus elegit, maiestati regiæ potissimum ministrauit; nec ei, sicut dicebatur priuilegium tulit, sed potius roborauit, dum non de Romana Ecclesia, sed ex aula regia sacerdotem ad Apostolicæ Sedis culmen euexit. Postremo de electione Parmensis Episcopi quid dicimus? loquar, an sileam? Sed iuxta Scripturam* conceptum sermonem tenere quis possit? *Et* Iob. 4. *certe vbi nuda veritas cernitur, temporis ignominia est, si commentæ fallaciæ deseruitur. Ipsi plane liquido nouimus anathematizatum esse Gerardum, nec ignoramus eius instinctu potissimum hunc Episcopum in hoc negotium fuisse pellectum; & vt ita loquar, arbor quæ de venenata radice anathematis oritur, antequam perniciosum prorumpat in fructum: modis omnibus ne noceat, euellatur, testante Veritate, quæ dicit:* Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, exci- Matth. 3 detur, & in ignem mittetur.

Def. R. E. *Ecce audiuit Beatitudo vestra, venerabiles Patres, quoniam qui inspector est mentium, confœderat nos in concertatione verborum; videt enim nos non malitiæ causa confligere, sed inueniendæ veritatis studio deseruire; ideoque dignatus est motam inter nos sopire querelam,* Ephes. 2 *& suam nobis inspirare concordiam; Pax enim nostra, quæ fecit vtrumque vnum, conflauit & in eodem sensu corda duorum. Agamus ei gratias, qui prius sagenam Petri periclitari permisit, & turbine ventorum, & procellis vndarum; sed ecce vt regrediens manum tetendit, Petrum erexit, ventis imperauit, & discrimina marina compescuit, confestim mare, quod in cumulos erigebatur, obruitur, tempestatis procella sedatur, ventorum turbo reprimitur, & aurea cæli facies serenatur.*

Sagena pro nauicula sepius vsurpata à S. Doct.

Clausula dictionis.

LXII *Amodo igitur, dilectissimi, illinc regalis aulæ Consiliarij, hinc Sedis Apostolicæ comministri, vtraque pars in hoc vno studio conspiremus laborantes, vt summum sacerdotium & Romanum simul confœderetur Imperium, quatenus humanum genus, quod per hos duos apices in vtraque substantia regitur, nullis, quod absit partibus, quod per Cadaloum nuper factum est, rescindatur, sicque mundi vertices in perpetuæ charitatis vnione occurrant, vt inferiora membra per eorum discordiam non resiliant, & quatenus ab vno Mediatore Dei & hominum hæc duo, regnum scilicet, & sacerdotium diuino sunt conflata mysterio; ita sublimes istæ duæ personæ tanta sibimet vnanimitate iungantur, vt quodam mutuæ charitatis glutino & Rex in Romano Pontifice, & Romanus Pontifex inueniatur in Rege, saluo scilicet suo priuilegio Papæ, quod nemo præter eum vsurpare permittitur. Ceterum & ipse delinquentes, cum causa dictauerit, forensi lege coerceat, & Rex cum suis Episcopis super animarum statu prolata sacrorum canonum auctoritate, decernat. Ille tamquam parens paterno semper iure præemineat; iste velut vnicus ac singularis filius in amoris illius amplexibus requiescat. Attalus plane Rex Asiæ & Nicomedes Rex Bithyniæ in tantum Romanam Republicam dilexere, vt vterque moriens Romanum populum testamenti reliquerit heredem. Sanctæ ergo Ecclesiæ Principes quam propensiori inuicem debent charitate congruere, quibus iniunctum est charitatem præcipuè Christiano populo prædicare; vt ex eorum, quæ procedat ex pietate concordia, sancta vniuersalis gratuletur Ecclesia, ac gemino vtriusque studio Christianæ religionis refloreat disciplina. Verum nos piscatoris nostri nauiculam ex hiatu Scyllæ voraginis extrahentes, dum successorem Petri fidei, labente vestigio mersum ad litora quieta deducimus, pium ereptori nostro celeusma cantemus; Te Deum laudamus; Te Dominum confitemur. Hactenus synodalis disceptatio, cui in codice mox subscripti leguntur hi versus.*

Romani Pōtificis & Regū vnio ecclesiæ vniuersæ salutaris.

Nemini. Lege Not.

Vltio diuina, populi Cadaloe ruina,
Te manet, vt diro mediū transuerberet ictu.
Altipetax Simonē sequeris Simō astra petētē
Te quoq; tartareus simul absorbebit hiatus.
Sit nomen Domini benedictum.

In Cadaloum Pseudo-pontif. Versus.

AD Osboriense redeamus conciliū, quod contigisse Sal. An. 1062. die festiuitatis S. Apostolorum Simonis & Iudæ, vt idem Petrus Damiani testatur *in ep. ad Cunipertum Episcopum Taurinensem*, in qua vaticinium

Sal. An. 1062. cinium suum de Cadaloi interitu protegit adimpletum. Spiritualiter nempe, & quoad depositionis honorem. Cui concordat Leo Ostiensis.

LXIII Agnes Imp. Romam pergit. Hoc anno Romam profectam *Agnetem* Imperatricem ad Apostolorum Limina *Sigebertus* scribit: *Imperatrix necessitatem vertens in voluntatem, vt obstrueret os loquentium de se iniqua, non solum honore regni, sed etiam honore seculi reiecto, Romam ad Limina Apostolorum se contulit, ibique vsque ad finem vitæ omnibus bonis exemplo, & miraculo fuit.* Ibi namque *Petrum Damiani* nacta, & apud eum confessione suorum peccatorum facta, sanctum dedit odorem vitæ præteritæ.

Epistola Petri Damiani ad Agnetem Augustam.

LXVI Baronius p.226 SCuto bonæ voluntatis Dei coronatæ Agneti Augustæ Imperatrici, Petrus peccator monachus seruitutem.

Regina Saba venit in Hierusalem audire sapientiam Salomonis: *Imperatrix Agnes Romam adijt addiscere stultitiam piscatoris, nam sicut Paulus ait:* Quia non cognouit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes. *Illa, sicut sacra testatur historia,* ingressa est cum multo comitatu & diuitijs, camelis quoque portantibus aromata, & aurum infinitum nimis & gemmas pretiosas; *ista vero cum Hermisinde cognata sua non dispari sancti Spiritus feruore succensa, tamquam Maria Magdalena cum altera Maria*
3.Reg.10 *veniunt ad sepulchrum, non vt corpus IESV*
1.Cor.1 *perungant fomentis aromatum, sed vt pedes*
Matt.28. *eius fluentis irrigent lacrymarum, non enim iam quærunt viuentem cum mortuis, sed adorantes tenent vestigia resurgentis. Carnalis plane Salomon Reginæ Sabæ quæstionum nodos & mysteria reserauit ænigmatum: nostra vero Regina nihil sibi solui proposuit, nisi suorum vincula peccatorum. Salomon inquam fuit figura Christi, & quædam velut imago*
3.Reg.4 *sua prophetia personam nostri Saluatoris expressit. De illo quippe dicitur,* quia locutus est tria millia parabolas, & fuerunt carmina eius quinque millia, *vbi presto subiungitur:* quia disputauit etiam super lignis, a cedro quæ est in Libano vsque ad hyssopum, quod egreditur de pariete, & disseruit de iumentis, & volucribus, & reptilibus, & piscibus: *quæ scilicet Redemptori nostro non ambiguum erit cuncta congruere, cui vacat hæc diligenti consideratione tractare. Ipse nimirum tria millia parabolas est locutus, qui & per mystica patrum præcedentium facta, per allegorica Prophetarum oracula, vel etiam per consonantis Euangelij documenta, dum sub figurarum velamine pene cuncta disseruit, quasi tria millia in verbis suis parabolas numerauit. Vnde & in Euangelio Matthæus ait:* Hæc omnia locutus est IESVS in parabolis, *& sine* parabolis non lo- Matt.14.
quebatur eis. *Cuius etiam carmina quinque millia sunt, quia chorus Virginum sub quinario numero describitur ante thronum eius (sicut Ioannes in Apocalypsi dicit) canticum nouum iugiter modulari, & post plura alia de collatione Christi cum Salomone ista subiungit:* Apoc.

Qualis Agnes Aug. venerit, & cur aduenerit. *Ad hunc ergo tu nuper Salomonem, ô Regina, venisti, non vt illa Sabæorum curribus & equitibus, & elephantis; sed in lacrymis potius gemitibus & lamentis. Tu ergo veraciter es Regina Saba; Saba siquidem interpretatur humilis vel campestris. In campum quippe certaminis descendisti, vt manus manibus conferas, & pro castris Christi stans non eneruiter cum hoste confligas. Venisti, inquam, non vt ænigmatum tibi mysteria scrupulosa dissolueret, sed vt per simplicis Clauicularij sui ministerium regni cælestis aditum reseraret. Venisti humilis ad humilem, pauper ad pauperem, & quasi & incultis gregum pastoribus adorare venisti puerum in præsepio vagientem. Venisti nempe. Tu & quique circa te, mirandum valde spectaculum, & imitandum Saluatoris eras ædificationis exemplum: videtur significare, venisse Romam Agnetem Imperatricem Natalis diei Domini tempore.* (Pergit de habitu quo est Vrbem ingressa) *Vestis enim pulla & lanea, is cui insidebas, non dicam, equus, sed potius burdo, vel burricus, vix mensuram desidis excedebat aselli. Mutaueras enim coronam velo, purpuram sacco, & manus, quæ in modum columbæ gestare* columbe
consueuerat sceptrum, attrita iam erat portare psalterium reuera, quia omnis gloria filiæ Regis ab intus. *Vernantium decor ille gemmarum, & coruscantium auro vestium cultus iam ad interiora migrauerat, & in occulti speculatoris obtutibus interior sponsæ*

species

Sal. An. 1062. *species relucebat, cui Sponsus:* tota, *inquit,* pulchra es amica mea, & macula non est in te, *& iterum:* Pulchra es amica mea, suauis & decora.

Cant. 4. Ibid. 5

Delicatam porro ceruicem illam, ex qua cum bracteolis aureis & rutilantibus margaritis dudum murena pendebat, nunc margo aneæ vestis exasperat. Vnde ministri cælestis illius Sponsi tibi blandiuntur & dicunt: Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento. *& Sponsus adhuc:* Coronaberis (*inquit*) de vertice Sanir, de capite Amana & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum. *Amana quippe mons esse Ciliciæ dicitur, qui & Taurus à compluribus appellatur, Sanir & Hermon terræ Iudaicæ montes sunt, in quibus leones & pardi habitare creduntur, per hos ergo montes Reges & Principes, diuersæque mundi huius intelligendæ sunt potestates, quæ velut montes sese in superbia culmen attollunt, & malignis spiritibus tamquam pardis atque leonibus habitaculum faciunt. De his ergo montibus coronaberis, quia quotquot mundi Principes ac potestates ad Deum per tuum conuertentur exemplum: pro his omnibus æternæ gloriæ tibi cumulabitur præmium. Eris quoque non modo coronata, sed & ipsa corona, Propheta testante, qui ait:* Et eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu

Isai. 61 Dei tui.

Amisisti Regina virum, post quem dedignata es thalamos iterare, vel proci cuiuslibet fœdi admittere, nisi qui priorem virum excellentioris gloriæ dignitate transcenderet. Quid ergo faceres? Vir ille tuus Imperator extitit, regiæ dignitatis apicem tenuit, & quod in hominibus singulare est, Romani Imperij monarchiam dispensauit. Quia igitur in tantæ celsitudinis arce præeminuit, eo superior quispiam in humano genere reperiri non potuit, quæ ergo in terris idoneum, & qui tuis placeret oculis inuenire non poteras virum: in cælestis Sponsi prouolasti violenter amplexus, violenter inquam: Regnum quippe cœlorum vim patitur, & violenti diripiunt illud. *O beata ista superbia, o beata mentis elatio & omnibus digna præconijs? quæ dum carnalis thalami vitam contempsit, in dotalitium regis æterni gloriosa transiuit. Carnalis plane virginitatis arcanum corrupit sponsus terrenus; Sponsus autem ille cælestis eas etiam*

Consiliũ Agnetis Aug. in dedicando se Deo.

Matt. 11

quas sibi violatas associat, in virginale decus ilico sine difficultate reformat, vt nimirum contracti squaloris inquinamenta deponant, & velut aridæ prius arbusculæ denuo comantes in pristinam decoris gratiam reuirescant. Porro autem cum carnali viro nuptura exornatur: mox apud affines & notos vndique pecunia quæsita congeritur, & quidquid valet acquiri, sacculis ilico vel obsignandis........ & quo magis ad virum mulier ornata deproperat, eo & gloriosior appareat, & ille propensius in eius amore sedulus inferuescat.

Tu contra vt nuptialia cum cælesti Sponso fœdera contrahas, regalis ærarij congeriem prodigis, radiantia quoque cum auro vel argento margarita dispergis, aulæa tua blattina, vel potius deaurata templorum laquearibus appenduntur, ornamenta regalia sacris famulantur altaribus. Nullis (vt ita fatear) parcitur rebus, & hoc solum indigentibus & Ecclesijs confertur, quod extra tui iuris peculium reperitur, cuncta projcis, cuncta dilapidas, vt ad Sponsi cælestis amplexus exornata prorsus, immo nuda peruenias. Hæc autem non propter te, venerabilis Imperatrix, edissero, quàm & his verbis potius offendere pertimesco: sed ob id potius, vt dum tuæ virtutis insigne vtcumque depromitur, non parua legentibus ædificatio procuretur. Vbi enim tanta sublimitas pro sui Creatoris amore ad pauimentum vsque deijcitur: quæ ceruix superbiæ protinus à sui rigoris tentigine non flectatur? Quæ tumidæ cuiuslibet mentis inflatio præsto non folleat, cum tantæ gloriæ Principem nunc velut despicabile mancipium cernat? Quis præterea rerum transeuntium pertimescat, inopiam, cum spontaneam videat in ea muliere pauperiem, quam tot vtique regnis paulo ante aspexerat imperantem? Aut quis inculti habitus iniuriam perhorrescat, cum aureo subtegmini & regalibus pompis à regia maiestate vile stamen prælatum esse considerat?

Profusa Agnetis Aug. magnificentia

Veniam ad mensam & ad famelicam (vt ita loquar) epularum affluentium vbertatē. Quale, rogo, est, congestam ante se struem lancium & renidentium carnium epulas per mensas circumquaque transmittere, & carnium nec ipsam quidem pinguedinem degustare? contrectare manibus dapes, & eas in ore non ponere? immo ipsum panem vel quælibet incultioris apparatus edulia cum timore sum-

Agnetis mira abstinentia.

Sal. An. 1062.

summotenus ligurire? Vnde mihi sæpe conquesta es, eatenus non posse cohibere te ab edendi prurigine, vt ex his quæ apposita cerneres, non aliquid tibi quandolibet immoderatius indulgeres: hinc sæpius lacrymæ, hinc gemitus, hinc profunda suspiria. Lugebas enim, quia quantauis disciplinæ cautela cuiuslibet districtionis instantia naturam funditus superare non possent: sed sicut ex tunc forte non tacui, ieiunium Regina tuum multiplex est. Nos enim aliquando ieiunamus à cibis, sed tu ieiunas à purpura, ieiunas à corona, atque à quotquot magnificis Imperialis gloriæ pompis. His enim abstinere, non immerito ieiunium nuncupatur, quibus vtique mens quãquam carnalis delectabiliter pascitur. Nam si simplex aqua à Dauid proiecta, Scriptura teste, in sacrificium vertitur: tot rerum honorumque contemptus quantam apud Deum gloriam promeretur? O quam grauis est, quamque laudabilis abstinentia, assuetam iuuenculam à virili ieiunare complexu? Nũquid & hoc graue ieiunium non est, vt quæ consueueras istos in honorem culmen attollere, illos insolentes à dignitate priuare: nunc regulis contenta domesticis, aspectus hominum fugias, & in orationibus & psalmodiæ sedula modulatione persistas? Et quia fueras olim Susanna cum viro: merito nunc facta es Anna post virum. Et quia tunc coniugalem pudicitiam immaculate seruaueras, nunc cum filia Phanuel (quod templum Domini dicitur) in ecclesia perseueras. (2. Reg. 23)

Hinc est quod à me per venerabilem Rainaldum Comanum Episcopum requisisti: Vtrum liceret homini inter ipsum debiti naturalis egregium aliquid ruminare psalmorum? Ad quod ego, quod ad tempus occurrebat, exposui. Quoniam Iob Deus omnipotens visitauit in sterquilinio constitutum, & beata martyr Agnes, cuius & tu æquiuoca es, in obsoletis ac sordidis lupanarium locis & Angelum simul & angelicum reperit indumentum. Nam & Apostolus vbique nos præcipit orare, cum dicit: Volo ergo vos viros orare in omni loco, leuantes puras manus sine disceptatione: Quamquam hæc magis eo loci versanda tunc in corde, quam explicanda sermone, hoc ego quamquam silentio dignum fuerit, & nequaquam per multorum ora vulgandum, idcirco dixerim, vt liquido legentibus innotescat, quantus sancto pectori diuini amoris candor incalescat; vt ne ad breuem quidem punctum à diuinis obticescere laudibus acquiescat. Quid ad hæc dicent, qui de Ecclesia non oratorium, sed locutorium, & non oraculum, sed conciliabulum faciunt? ac per hoc in ea domo sæcularia verba permiscent, quæ dumtaxat ob hoc constructa dignoscitur, vt in ea prorsus à negotij secularis actione vacetur?

(Agnetis Aug. serupulus eius mentis candorem patefacit ipsam egeriem. 1. Tim. 2.)

Sed vt his qui ad Apostolorum Limina confluunt, sanctæ deuotionis tuæ salubriter imitentur exemplum; sub arcana quoque beati Petri Confessione ante sacrum altare me sedere fecisti, ac per lugubres gemitus & amara suspiria, ab ipsa quinquenni infantia tenera adhuc & nuper ablactata cœpisti, & tamquam illic ipse beatus Apostolus corporaliter præsideret, quidquid subtile vel minutum in humanitatis tuæ potuit titillare visceribus, quidquid in cogitationibus vanum, quidquid præterea subrepere potuit in sermone superfluum, fidelibus est relationibus euolutum. Ad quod mihi visum est, vt nullum aliud pœnitentiæ pondus iniungerem, vt illud diuinæ legationis elogium iterarem: Age quod agis: operare quod operaris; vel illud quod ijs, qui Thyatiræ erant, per Angelum mittitur: Non mittam super vos aliud pondus: tantum id quod habetis, tenete. Nam Deo teste, ne vnum quidem diem ieiunij vel cuiuslibet afflictionis indidi, sed vt in cœptis solummodo sanctis perseuerares operibus, imperaui, & vtinam à quibusdam homicidis vel diuersorum criminum reis illi gemitus, illi fletus in confessione prorumperent, sic tabescentis ac acerrimo dolore transfixæ mentis spiritus fremeret, sic male sibi conscia pectora singultirent, sicut illic plangebantur vel inanium phantasmata cogitationum, vel quarumlibet puerilium ineptiæ leuitatum. Hoc prouoeentur exemplo, qui ad veneranda Sanctorum corpora pia deuotione festinant. Illic itaque proprij reatus morbos, quasi noxios humores euomant, quibus per conatus puræ confessionis egestis, pœnitentiæ salutaris antidotum sumant. Illic baptismum pœnitentiæ statuant, in quem per iudicium officij sacerdotalis immersi vetusti hominis indumenta reponant, iamq; de veteribus noui viuant.

(Ad S. Petri cõfessionẽ Petro cõfitetur peccata sua. Apoc. 2)

Tu autem domina mea (nam quia te Redemptoris mei sponsam esse non ambigo, meam te vocare dominam nullatenus erubesco) domina

Sal. An. 1062. *mina inquam mea fige pedem in radice perseuerantiæ, & in amorem illius, ad quem per manus sacerdotum & pauperum quotidie cuncta transmittis, medullitus inflammare, vt illud tibi iure contingat, quod in lege præcipitur, videlicet;* Vt qui captam in bello mulierem forte diligeret, eamque suscipere voluisset vxorem: prius eius cæsariem radat, vnguesque præcidat, ac vestem in qua capta est auferat, *sicque ad ingenuitatem Israelitidis ex more prosilientem, iure sibi matrimonij copularet. Iam igitur vngues tui cum cæsarie cœpere præcidi, iam vestis, qua tegebaris auferri, quia quidquid in tui cultus ornatibus pulchrum, quidquid in facultatibus pretiosum te velut ambire vel comere in exterioribus cernitur, in pietatis opera quotidie profligatur. Restat ergo, vt ad intimi Sponsi tui iam peruenire dulcedinem, & suauissimam illam confœderati spiritus cupias vnitatem,* qui enim adhæret Domino, vnus cum eo spiritus est. *Videlicet, vt ille diuini amoris sapor tuis visceribus influat, illa suauitatis flamma tui pectoris arcana succendat quam & miser mundus, & mens quæque carnalis ignorat. Vt illud Canticorum ardenter exclames:* Guttur dilecti mei suauissimum, & totus desiderabilis: & ille tibi vicissitudine grata respondeat: Fauus distillans labia tua sponsa, mel & lac sub lingua tua, & odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.

Deut. 21. 1. Cor. 6. Cant. 5 Ibid. 4.

Petrus roborat eam in tolerantia aduersitatum per exempla. *Nec turberis, si quæ te aduersitas feriat: ob id enim fit, vt internus ille dispositor ad hanc te dulcedinem trahat. Nam & mater cum ablactare vult filium, aliquando felleribus adhibet, vt dum aspernatur illud quod horret, compellatur ad alimentum se transferre quod roboret. Israeliticum populum idcirco Rex Ægypti percellere ac lacerare permittitur, vt ad repromissionis arua contendere festinantius prouocetur. Porro vt de te sileam, quod talione vicaria & odis mundum, & perosa iam exploderis à mundo: numquid & ipsis Regibus, a quibus mundus iste diligitur, & quibus captiosa fraude blanditur, non quantocyus in amaritudinem vertitur? vt nimirum hodie qui ex hostibus victoriæ signa reportat, triumphalis eum gloriæ pompa præcedat: & cras illum ignobiliter terga vertentem hostilis mucro transfodiat? Balthasar nempe ipso die quo vasa templi Domini iam temulentus concubinarum labijs fœdare præsumpsit, Medorum gladijs Dario victoriam obtinente subiacuit. Galba Rom. Imp. quatuor tantummodo mensibus imperauit, & in Romano foro, gladio percussus occubuit, taceo Neronem, prætero Ottonem, quos à semetipsis interfectos, Romanæ Reipublicæ testantur historiæ. Nonne Vitellius interemptus est à ducibus Vespasiani? Nonne & Pertinax occisus est à militibus Prætorianis? Macrinus, Antoninus, Alexander, Philippus, Gallienus: nonne omnes hi Imperatores militaris impetus gladij pertulerunt? Domitianus præterea suorum coniuratione confessus est. Probus dum castra super Tigridem haberet, cælesti fulmine repente peremptus est. Sed qui vult plenius nosse, seriatim Romanæ antiquitatis percurrat historias, ibique liquido videbit quam pauci Reipublicæ Principes communi morte defecerunt. nam & Gordianus, & Philippus, Decius, Gallus, Vollusianus, Gallienus, Quintillus, Aurelianus, Numerianus, Licinius, Constans, Constantinus Iunior, Iulianus, Valens, Gratianus, Valentinianus Iunior, Ioannes, Valentinianus Tertius, Maiorianus, Anthemius, Nepos, omnes isti Romani Imperij rectores, nonne initio seditiosa suorum sunt fraude necati, vel in procinctu hostilibus perierunt gladijs interempti?*

Dan. 5.

Sed & quibusdam quid profuit, quod eorum in hoc sæculo prolixius durauerit annosa vita? Nam vt infinita prætercam, Valerianus Imperator in Mesopotamiam cum Sapore Rege prælium commisit, & perdidit, quem ille protinus captum irreuocabilis custodiæ vinculis mancipauit, qui nimirum ignobili (sicut tradit historia) apud Parthos seruitute consenuit, & quoad vixit, huic probrosæ addictus est pœnæ, vt eiusdem prouinciæ Rex, incuruato eo, pedem ceruicibus eius imprimeret, & sic in equum arrogantia tumidus assiliret, quis est enim cui se fortuna non transferat, & modo de aduersis ad prospera, modo de prosperis in aduersa scenicæ varietate conuertat? Quanta plane gloria, quantus suorum fauor arrisit Hannibali, cum apud Cannas Paulum Æmilium cum tot Romanorum militum agminibus strauit, cum denique tres anulorum aureorum modios, quos equitum Romanorum, Senatorum, & militum manibus detraxerat, Carthaginem destinauit?

Sel. An. 1062. nauit? plurimas etiam Italiæ sibi ciuitates subdidit, adeo ut iam Romani ciues Italiam relinquere decreuissent, & statum labentis Imperij funditus desperarent. Sed quam in contrarium successus iste conuersus est, cum Mago frater eius à Scipione apud Carthaginem Hispaniæ capitur, Asdrubalis alterius fratris caput mucrone refectum ante ipsius Hannibalis castra proijcitur? ipseque deinceps post incuasibile fugæ periculum, ut ueneno se perimat, imminente necessitate compellitur? Quam & in contrarium uersa est illius eximij fortuna Pompeij, qui post tot triumphos, clarasque uictorias, quas diuerso terrarum orbe confecit, postquam uigintiduos Reges in solo Orientali climate superauit, uilis Achillæ gladio detruncatus occubuit? Cæsar etiam, quem uictoriæ cupidum totus occiduus orbis satiare non potuit, cui uelut quidam contradictionis obex (ut ita loquar) importunus & arrogans oceanus obsistebat, cuius ora flammantia innumerabilium strages Gentium non complebat, Senatorios intra Curiam pertulit gladios, à quibus utique uigintiduabus plagis confossus interijt.

Numquid & mulieres ab huius mundanæ deceptionis rotali uertigine reperiuntur immunes? Cleopatra nempe magnifice toti dominabatur Ægypto, quod uidelicet regnum centum millia uillarum includere perhibetur. Huc accessit, quod Antonius, qui Orienti simul imperabat & Asiæ, Octauiani Augusti sororem repudio spreuit, & hanc sibi infaustis auspicijs in matrimonium copulauit. Verum ad quem finem tam gloriosi, tamque magnifici coniuges peruenerunt? Antonius siquidem ab Augusto apud Actium nauali prælio superatus in Ægyptum fugit, ibique desperatis rebus, ipse sibi propria deliberatione mortem consciuit. Sed & Cleopatra postmodum non dissimili necessitate coacta in pretiosi uiri sui sepulchrum se sponte proiecit, aspidemque proprijs uberibus adhibens, dum & ille sanguinem sugeret, & hæc in se uenena contraheret, expirauit. Semiramis etiam post obitum uiri sui quot strages dederit, quot sibi regna subdiderit, quo demum fine decesserit, liquido ueterum testantur Annales.

Recentioribus monet exemplis. Cum ergo fallax huius mundi felicitas tot calamitatibus sit obnoxia, cum potentia temporalis tot casibus barianda subiacet, & rerum ordo sese ut scenicæ uertiginis alternitate confundat: quis sanæ mentis à rebus tam friuolis, tamque fugacibus animum non auertat? Nam ut & ipsa, quæ tibi sunt notissima, non prætercam, cum quanta gloria Papa Victor, & uir tuus Imperator Henricus, uterque uir sanctæ memoriæ tum erant & ætate uirentes & dignitate florentes, cum luna serenissimo terram fulgore perfundens eclipsim passa repente contabuit, & rutili splendoris speculum non dicam pallore, sed obscuritate mutauit? quod profecto sicut in proximo patuit, nil aliud quam uicinum utriusque Principis interitum præsignauit, nam eodem anno uterque defunctus est. Quod autem postea ante hoc ferme biennium luna in sanguinem uersa est (quia sanguis peccata significat: Libera me, inquit Dauid, de sanguinibus Deus) in quantum mihi uidetur, nil aliud nisi sanctam significauit Ecclesiam, Cadaloici sceleris sanguine cruentandam. Cadalous enim millies anathematizatus, dum pro uenaliter acquirenda Romana Ecclesia infinitas per populos pecunias spargit: corda hominum per auaritiam in æris speciem, uelut in sanguinem uertit, sicque dum pestilentes homines metalli huius non desinunt habere rubedinem, splendor Ecclesiæ quodammodo uertitur in cruorem. Cor enim quod cupit, eius ante Dei oculos speciem induit, sed hæc alias.

Vt igitur ad id unde digressus sum redeam: omnes homines siue potentes, siue sint inopes, eamdem sortiuntur originem, nec dissimilem habituri sunt finem. Inter hos autem est quædam uitæ diuersitas; ut alij se glorientur esse spectabiles, alij se doleant indigentes: sed hæc humanæ uitæ uarietas momentanea breuitate concluditur, ut & elati quique diutius de sua prosperitate non gaudeant, & inglorij suæ deiectionis incommodum festinanter euadant, quod est ergo principium nostrum & qui finis, quæ (sicuti dictum est) uariare non possumus; sed omnes in commune mortales hæc indifferenter possidemus? Sed audi sapientem uirum in libro Sapientiæ perhibentem: Sum, inquit, & ego mortalis homo, similis omnibus, & ex genere terreno illius qui prior factus est, & in uentre matris figuratus sum caro, decem mensium tempore coagulatus sum in sãguine ex semine hominis, & delectamento somni conuenientis, & ego natus accepi communem uocem, & in similiter factam decidi terram, & primam uocem

Sap. 7 Ex humana miseria ad mundi contemptum eam roborat.

Sal. An. 1055. vocem similem omnibus emisi plorans, in inuolumentis nutritus sum & curis magnis; nemo enim ex Regibus aliud habuit natiui. tatis initium, *vbi & protinus additur:* Vnus ergo introitus est omnibus ad vitã, & similis exitus. *Si ergo vnus qui dicitur introitus ad vitam, & exitus similis diligenter attenditur, varietas illa quæ versatur in medio, tamquam volax fugacis somnij vanitas contemnatur. Hoc etiam quod præmißum est: Decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine, ex semine hominis & delectamento somni conuenientis, si non pigeat, vigilanter aduerte, quæ mens hæc audiens typho superbiæ valeat superbire? Et quis continuo non compellatur sese nosse putredinem, dum tamen obseruans ortus sui considerat fæditatem? dicens intra se: Quid superbis terra & cinis? quod etiam post exitum futurum est, primo vermis, deinde puluis. Erubescat ergo cordis elata superbia, & qui se considerat inter ortum & exitum communi cùm ceteris naturæ lege constringi: desinat de sublimiori gloriæ singularitate iactari.*

Ad perseuerātiā exhortando perorat. *Tu autem, venerabilis domina, quæ de cœno terrenæ superbiæ ad sublime veræ humilitatis fastigium conscendisti ita: constanter in eius arce persiste, sic in ea, quam per spem semel ingressa es, terra viuentium perseuerantiæ pedem immobiliter fige, vt in sæcularis viæ lubricum non libeat vlterius declinare. Nam quæ dudum terreni fuerat vxor Imperatoris, nunc per sanctæ professionis dotem sponsa facta es Redemptoris. Sic igitur ei te in vera cordis humilitate suppone, sic illi glutino feruidæ charitatis vnire, vt cum mystica illa sponsa congruenti valeas voce cantare:* Inueni, quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam. *& illud:* Dilectus meus intra vbera mea commorabitur; *vt quoniam cor hominis inter vbera situm latitat, continuus sponsi tui amor à visceribus cordis tui non recedat. Et cui nunc sancta anima tua in amore coniungitur, nequaquam de cetero à dulcedinis eius amplexibus auellatur, quatenus illud in te Esaiæ vaticinium solemniter impleatur:* Gaudebit sponsus super sponsam, & gaudebit super te Deus tuus.

Cant. 3. Ibid. 1. Isai. 62

Petrus Damiani Agnetem consolatur. Romæ itaque degens consolatorem habuit *Petrum Damiani*, & Patrem spiritualem, qui omni humano destitutam solatio (cum & *Hermisinda* Comitissa cognata Agnetis ad propria remeasset) sequenti visitauit epistola. Sal. An. 1063.

Dominæ suæ Imperatrici Agneti Petrus peccator monachus seruitutem.

LXV *Arbitror, venerabilis Domina, quoniam ex quo Dominus Rainaldus Comanæ sedis Episcopus, & sancta mulier Hermisinda relicta quondam germani tui, ego quoque seruus tuus, ad propria quique recessimus: mens tua nunc fluctuat, & velut omnium destituta solario, solam se remansisse deplorat. Grauat fortè longioris censura silentij, & tædium est colloquentium nunc deesse præsentiã: quos sæpè refugiens, dum adeßent, remotioris anguli latibulum expetebas. Tolcramus enim sæpè quod gratis offertur, perfruimur, quod difficilius, obtinemus: paruipendimus quod abundat: & quod deeße conspicimus, inhianter optamus. Verum pia mens tua, quæ diuini amoris igne succendi votis omnibus æstuat, nequaquam ex humanæ societatis absentia contabescat: immo quanto sibi terrena solatia deeße considerat, tanto magis de propinqua sancti Spiritus Paracleti præsentia confidat. Vnde Saluator cum iturum se ad Patrem post resurrectionis gloriam declararet, & ex hoc Discipulorum animos non mediocriter perturbandos esse conspiceret, præsto subiunxit:* Quia hæc locutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum: sed ego veritatem dico vobis: expedit vt ego vadam. Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos. *Si ergo illuminator mentium Spiritus Apostolicis illabi pectoribus plena diffusione non poterat, nisi Veritas ipsa, quæ eis illum missurus erat, corporalem sui præsentiam ab eorum subtraxisset obtutibus; quanto magis necesse est vt purus homo ab hominum se frequentia subtrahat, quatenus superni muneris capax fiat? Sicque mens humana dum vacat ab aspectibus hominum, sancti Spiritus mereatur ingreßum. Eorum ergo, qui tecum conuersabantur, absentiam, noli deputare iacturam, immo salutis occasio, perfectionis lucrum, & propensio nostri meriti deputetur argumentum: quia dum strepitus humani ceßat alloquij, construitur in te per silentium templum Spiritus sancti. Hinc est, quod de Israelitici templi constructione sacra testatur Historia, quia*

Ioan. 10

Carnalis hominū præsentia Spiritus sācti impedit aduentum.

3. Reg. 6

 malleus

Sal. An 1062. *malleus & securis, & omne ferramentum non sunt audita in domo Domini cum ædificaretur. Templum quippe Dei per silentium crescit: quia cum mens humana per exteriora se verba non fundit, in sublime fastigium spiritualis ædificij structa consurgit: tantoque subcrescens, in altiora sustollitur, quanto per silentij custodiam circumclusa, sese extrinsecus fundere prohibetur. Custos* Silentij bona *enim iustitiæ silentium. Et per Hieremiam dicitur.* Bonum est præstolari cum silen- Thren. 3. tio salutare Domini. *Bonum est viro cum portauerit iugum ab adolescentia sua: sedebit solitarius, & tacebit, quia leuabit se super se. Solitarius planè dum tacet, se eleuat super se, quia mens humana, dum intra silentij claustra vndique circumcluditur, in superiora sublimis erigitur, ad Deum per cæleste desiderium rapitur, & in amore eius per ardorem Spiritus inflammatur: & tamquam fons viuus, dum per verborum circulos fluere hinc inde non sinitur, vndis excrescentibus in altiora cumulatur. Templum ergo tui pectoris nunc per silentium crescat, virtutum spiritualium tamquam cælestium lapidum in te structura consurgat, vbi supernus ille Sponsus, quem totis visceribus diligis, velut in thalamo suo delectabiliter requiescat. Memento itaque quod Apo-* 1. Cor. 3. *stolus ait:* Quia fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, Christus Iesus. Si quis posuerit super hoc fundamentum aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulas, quale cuiusque fuerit, ignis probabit. *Quid enim per aurum argentum, & lapides pretiosos, nisi robur, & ornamenta virtutum? Quid verò per ligna, fœnum, & stipulas, nisi fragilitas innuitur vitiorum? Attende ergo, vt ædificium quod in te fit, non ex fragili sit materia, quæ flammis esse possit obnoxia, quæ ventis sit impellentibus ruitura. Lignum plane, fœnum, & stipulas facile potest vorax flamma consumere; aurum verò, vel argentum, siue lapides pretiosi, nesciunt incendio subiacere. Et certè per eumdem Apostolum dicitur:* Sumentes scutum Fi- Ephes. 6. dei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. *Ignis ergo, quem clandestinus hostis immittit, inueniat in te pretiosa metalla virtutum, non stipulas, & fomites vitiorum, vt furentibus flammis, quas callidus insidiator exsufflat, non materia putris, ac fragilis eneruiter cedat, sed impenetrabilis, ac robustæ soliditatis vigor obsistat: vt illa virtus Altissimi, quæ virginalis vteri visceribus obumbrauit, mentem quoq; tuam in perpetuo vernantis pudicitiæ virore custodiat: eamque, quod absit, à duris spiritualis nequitiæ vaporibus non permittat.* Luc. 1.

Consolare igitur, venerabilis Domina, & à corde tuo omne tædium noxij mœroris expelle. Christus sit confabulator tuus, Christus tibi cõtubernalis sit, & conuiua: immò Christus ipse tuæ sint deliciæ, ipse quotidianæ refectionis epulum, ipse tibi sit intimæ dulcedinis alimentũ. Cum illo simul lege, cum illo iugiter psalle, cũ illo denique te in pauimento oratura prosterne, cum illo te erige, cum illo te dormituram lectulus capiat, cum eodem sopor inueniat. Eius te pudicus, atque virgineus amplexus astringat, vt in te quoque veraciter impleatur quod per Esaiam dicitur: Gaudebit sponsus super spõsam, & gaudebit super te Deus tuus; *& tu specialis dicere valeas, quod generalis sponsa dicit in Canticis:* Dilectus meus inter vbera mea commorabitur. *Constat enim, quod inter vbera pectoris cor hominis situm est. Dilectus ergo inter Sponsæ vbera commoratur, cum à fideli qualibet anima Christus toto corde diligitur: Huic ergo sponso dicit anima sancta tua:* Ecce tu pulcher es, dilecte mi, & decorus: lectulus noster floridus. Ipse enim speciosus forma præ filijs hominum. *Et quia propter eius amorem regales infulas contempsisti, imperiale fastigium despexisti; ipse corona, ipse tibi sit purpura, ipse totius gloriæ tibi præparet beata ornamenta; vt meritò debeas cũm Propheta cantare:* Induit me Dominus vestimento salutis, & indumento lætitiæ circundedit me, quasi sponsus decoratus corona, & quasi sponsa ornata monilibus suis. *Hic in te societatis humanæ consoletur absentiam: hic tibi vel pro omnium iussione, & allocutione sufficiat: hic velut alter, sed longè præstantior, Helcana veraciter dicat:* Non iam Anna, sed Agnes, cur fles, & quare non comedis, & quam ob rem affligitur cor tuũ? numquid non ego melior sum quàm decem filij? *Et quoniam Helcana, Dei zelus dicitur, zelus Dei dilectio Redemptoris animum tuum in omni mœroris, & angustiæ tædio consoletur, vt in eum te in omni, quam pateris, aduersitate proijcias: sub eius vmbraculum ab humanæ*

Marginalia: Consideratio Christi præsentis cũ virtutum exercitijs vtilis est. — Esai. 62. — Cant. 1. — Ib. v. 15. — Psal. 44. — Christus amantest instat rerum omnium — Esai. 61 — 1. Reg. 1.

Sal. An. 1062. *humanæ persecutionis ardore confugias, & in eius amplexibus secura suauiter requiescas: quatenus ipse vel semetipsum quietis intimæ præbeat portum, qui pro te dignatus est in mundanis fluctibus inundantium procellarum perferre naufragium.*

Cum etiam audisset eandem mærentem quia censu subtracto, quem sibi prò alimonia reseruarat, pauperior reddita, nullius existimationis apud suos esset, in solatium sequenti occurrit epistola.

Dominæ suæ Imperatrici Agneti Petrus peccator Monachus quidquid seruus.

LXVI. *Quoniam à sancta præsentia vestra remotus sum, & hoc tempore vobiscum esse non possum, satis doleo, & quotidiana lamentatione suspiro: interim tamen, antequam ad vos redeam, hortor sanctam patientiam vestram, vt non ei graue sit aspera quælibet, ac dura perferre, & pro amore cælestis Sponsi solicitudinem, vel etiam necessarij sumptus inopiam sustinere. Cum enim Christus pro te pertulerit Crucem, quid mirum si tu sustineas pro illius amore pauperiē? Si ille, cui Virtutes & Dominationes famulabantur in cælo, sputa, flagella, opprobria, colaphos, & alapas patiebatur in mundo; quid magnum si tu, quæ terra es, imperialis gloriæ vanam proijcias pompam: & non mundi Reginam, sed, quod longe gloriosius est, te præbeas æterni Regis ancillam? Recordare, quod dicit Apostolus,* Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium eius portantes, non enim habemus hic manentem ciuitatē, sed futuram inquirimus. *Felix nimirum tale commercium, vbi datur lutum, tollitur aurum; pro tenebris lucem, pro terrenis honoribus cælestis gloriæ comparamus dignitatem. Sicut enim per Prophetam dicitur:* Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius tamquam flos fœni: ruit fœnum, & flos eius cecidit: qui autem seruat verbum Domini, manet in æternum. *Porro autem qui hodie induitur purpura, cras includitur sepultura. Hodie quis hominibus dominatur, cras autem à vermibus factus putredo, corroditur. Hodie regalibus infulis redimitur, cras vilibus panniculis exanime cadauer obuoluitur. Hodie splendet coronatus in regalis excellentiæ solio, cras fœtet marcidus in sepulchro. Hæc igitur, & huiusmodi, Domina mi, subtiliter pensa, & huius vitæ labores cum Iesu nunc æquanimiter tolera; vt cùm ipse, qui iudicatus est, iudicaturus aduenerit, tu velut vna de sapientibus Virginibus ornatis lampadibus, ei decenter occurras, & pro temporali purpura stolam immortalitatis accipias: ac pro corona, quæ de terreno fuerat fabricata metallo, illud diadema suscipias, quod in cælo factum est de lapide pretioso.*

Christi exemplū efficax ad superandos labores. — Heb. 13. — Esa. 40. — fragilitas rerum humanarū.

Expeditio Henrici IV. in Hungaros.

LXVIII Lugubris annus, vbique gemitus, & plurima mortis imago. Gallorum exercitus teste *Sigiberto*, in Hispanias ad debellandos Sarracenos profectus, cum regionem Sarraceni vastassent, fame correptus, infelix reuertitur. In Hungaria, *Post Andreæ Regis interitum, Bela fraterno bello superior, fusis hostibus, rerumque potitus, Abam contendit,* Bonfinius *vt à Pontificibus primatibusque Vngariæ vniuersis approbatus, ritè coronaretur. Inito regno, ad pacandam regionem, & curanda gentis commoda animum aduertit, & quod à principio intendit, è sententia consequutus est: siquidem absque graui hostium molestia, pacem & ocium in regno seruauit, ne qua in commercijs fraus ac dolus committeretur. Ex argento pustulato pecunia ex edicto decussa, æqua rebus venalibus indicta precia. Et ne quo argentariorum negotiatorumve astu ac versutia simplices rudesque deciperentur, & nummis & rebus venundandis leges præscripsit: quæ si contemnantur, magna hinc paupertatis & inopiæ detrimenta proueniunt: si verò bona curentur cautione, nemo emendo vendendoque circumueniri potest, monopolia instituit, diem sabbati mercatibus dicauit, emporijs omnibus locum tempusque præstituit, Byzantios aureos admisit, quorum vnus pro quadragenis argenti nummis solebat expendi: hac igitur aurea argenteaque pecunia promercali vtebatur: nulla quoad vixit, alia mutata. Sed illud facinus memoria non indignum præstitit.* LXIX *Quicunque enim Salomonem regem sequuti fuerant, eorum vxores, liberos, ac fortunas incolumes illæsasque seruauit, vt quum vellent, omnibus postliminio redire foret integrū, quin & solenni his edicto redeundi data copia. Quo beneficio victi, rediere quàm plurimi, hicque fidelissimi facti sunt. Aucta deinde regis pietas in vniuersum, nam vectigalium*

Bela Rex Hungarorum. — lib. 3. Dec. 2.

Sal. An. 1062. *grauitatem leuauit, prouincijs tributa remisit. Quare perbreui plebs cum nobilitate eousque diuitijs excreuit, vt ne minimus quidem rusticus inuentus sit egenus: & è finitimis nemo etiam diuturno adiutus ocio tanti census fuerit, qui cum Vngari opulentia conferre se potuerit. Quum orthodoxam fidem, ob rerum omnium copiam, & longum ocium, vnde*



ingenia facilè lasciuire solent, & ad quodque facinus esse prompta, clàm labefactari conspicaretur, promulgauit edictum, vt vicatim duo seniores euocati Albam conuenirent. At vbi conuentum propediem futurum omnes intellexere, non solùm agreste genus hominum, sed cætera multitudo iniussa confluxit, Rex, & cum optimatibus pontifices, admodum formidarunt, ne qua à cæca multitudine vis aut iniuria inferretur. Quare inito consilio, in vrbem omnes se recipiunt, contra vulgus eam seruant, & tuentur. Interea rusticorum agmina inter se pagatim, præfectos sibi creant, quibus mandata dant, vt per internuncios à Bela Rege pristinam Vngarorum fidem impetrent. Item abolendam nouam Christianorum superstitionem, lapidandos episcopos, presbyteros omnes è medio tollendos, amoliendas deorum ædes, & publicanorum demum exitium efflagitent, exorentque. Quum hæc Regi detestabilia renunciarentur, se tertio die responsurum esse dixit, & commodè deliberaturum. Interea pagorum præfecti, quos Præpositos appellabant, pro se quisque passim conciones habebant, vbi aduersus Christi fidem, & ad extirpandas fidelium opiniones triduo prædicabant, congratulabantur plebeiorum animi, & gratis concionibus cum magno plausu acclamabant. Tridui spacium Rex prudentissimus idcirco sibi dari postulauit, non vt quicquam de fide consuleret, quam exploratissimam habebat, sed vt interea exercitum tumultuarium cogeret, quo prophanam & inconstantem paganorum plebem circumueniret, de auctoribus factionum supplicia sumeret, ac reluctantes gladio interciperet. Tertio igitur die, quo responsa daturum se receperat, turmis equitum, multisque cohortibus insipientem multitudinē obducit. Mox dato signo, milites in eam strictis ensibus irruunt, à principio, vt metu percellant, nonnullos cædunt, capiunt Præpositos, captosque ad vnum omnes, ex altis turribus deturbant, captiuamque plebem, partim vinculis & carcere, partim flagellis afficiunt. Hæc tertia fuere iacta fidei fundamenta. Nam postquam à sancto Rege Stephano, exuta infidelitate, ad veram religionem conuersa est Vngaria, hac tempestate tertiò defecit, sed Andreæ, ac demum Belæ

Sal. An 1062. opera consilioque reuocata est. Deinde tertio regni sui anno, quum ad Demes oppidum venisset, ex Heliocauum ruina confracto solio, ita Regis membra contusa, ita nonnulla ossa luxata sunt, ut desperata valetudine ægrotare cœperit. Mox pro quibusdam regni causis, quæ magni momenti fuerant, ad Canisam fluuium, lectica succollantibus prætorianis militibus delatus est, ibique vitæ diem increbrescente morbo clausit. In Diui Saluatoris cœnobio sepultus, quod ipse exædificarat: locus ille Zegzardus ab Vngaris appellatus, quia claudus Bela fuerat, ac nigro colore suffusus.

LXX Salomon Audito Regis obitu, Salomon Henricum Quartum nomine Imperatorem ac Sophiæ uxoris fratrem indulgentissimum extemplo adit, rogatque, ut se in regnum restituat, hæreditario iure sibi debitum, neve patiatur, se cum Sophia Augustali sorore, ulterius regia dignitate carere. His precibus ille victus, validissimum repentè exercitum cogit, legiones & auxilia vndique conuocat. Deinde comparatis omnibus, quæ bello sunt vsui, in Vngariam castra mouet, quam & Rege orbatam, & propugnatore carentem offendit. Geysa, ac Ladislaus, viri quidem pro ætate circunspecti, quum se Imperatoris viribus impares esse intelligerent, saluti consuluere, se ad suos, vnde ex matre orti fuerant, in Poloniam recepere. Indoluere fortunam regulorum Poloni, eosque bono animo esse iussere, nam data occasione, in Vngariam, & opinione citius, se restituturos esse pollicentur. Henricus cum Salomone Albam contendit, ibique habito sacrorum prophanorumque ordinum conuentu, ita disseruit. Nescio Pannones, quonam fato vobis datum est, ut non solùm in rebus humanis, verùm etiam & Diuinis, tanta animorum imbecillitate, perfidia & infidelitate laboretis, ut sub nullo Deo ineatis tranquillitatem, sub nullo Rege verum ocium inueniatis. Diuo Stephano vestræ salutis auctore, in veri Dei agnitionem peruenistis. Subiuistis salutarem religionem, & non solùm documentis, sed ingenti miraculorum experientia, quàm vtile & beatum sit, Iesum Christum Seruatorem nostrum vnicè colere & adorare didicistis. Deinde, ut prima quæ à Carolo Magno rudimenta acceperunt maiores vestri, nunc omittam, bis post Diuum Regem, ab orthodoxa fide defecistis. Vtinam hac tantùm perfidia vobis exitio fuissetis, & familiarum dumtaxat vestrarum ruinam cum vestra traxissetis, ut pro vestris tantùm detrimentis vos pœnas luere oporteret. Verùm ita in alienam perniciem, præter ius & fas, scelera vestra grassata sunt, ut nisi clementissimum indulgentissimumque numen coleretis, neque humana, neque Diuina supplicia vobis digna excogitari possent. Quid enim in Andreæ Leuentæq; ingressu intactum prætermisistis? cæsi pontifices. Quid cæsos dixerim? immo rapidis curribus distracti, iacti è rupibus, sacerdotes ad aras ante numinum conspectum obtruncati, dum pro publica, immo nostra salute operantur. Basilicæ dirutæ, ignis deos patrios, ac potissimorum simulachra numinum passim absumpsit. Extincto hospitalitatis iure, in Italos & Alemannos, ita vsquequaq; sæuitum, ut nemo lachrymis commiserationem inuenerit. Ab Italis prouincias, leges, mores, lucem fidei, optimatesque disciplinas: à Germanis & Alemannis, politicas artes accepistis. Esto, in externum sanguinem sæuiatur, & in viros sacrosancti ordinis, quando Scythica immanitas neque veram religionem, neque peregrinam consuetudinem æquo animo pati potest, at quid in vos ipsi furitis, efferatissimi homines? Duos fratres vestro genere natos, præ intestino liuore, ac vestris factionibus dimisistis, commisistis in certamen, & nemini fidem, immo ne vobis quidem ipsi seruare potestis. Si mutuo dissidio laboratis, quam vobis quietem sperare licet? Cupidi semper estis nouarum rerum, & ab ipsa nouitate, sacrilegij, homicidij, ac rapinarum, & latrociniorum materiam quæritis. Bela pacato iam regno, vobis ocium pepererat, remiserat vectigalia, & quo potuit studio, à miseria & calamitate redemit. Contra ocio & opulentia vos abusi, nil aliud quærere occœpistis, nisi ut reiecta fide, iterum atque iterum in pristinam feritatem, & prophanam deorum opinionem recideritis. Quousque tandem Vngari vester hic furor, & immanitas inaudita, in Deos hominesque grassabitur? quando acerbissima hæc vestra ingenia mitescent? Sed hoc quod ad deos pertinet, Scythico generi tribuatur, quod ita ab humano consortio quondam secessit, ut prius cum Faunis, Syluanis & dæmonibus, quàm hominibus, maiores vestri versati reputentur. Ad vos ipsos

tandem

Sal. An. 1061. tandem veniamus, & peregrinam consuetudinem dimittamus, quid est, quod tantis inter vos factionibus & intestinis odijs quotidie laboratis? Nescitis, nescitis (inquam) Vngari, quanta vis concordiæ numini insit, quippe quæ humilia extollit, & illustrat obscura, & non modò rempublicam & regna conseruat, verùm etiam amplificat, ac immortalitate donat. Nonne maiorum exemplo iam didicisse debueratis, quantum coniunctio animorum & concordia valeat? illi è recondito septentrionis angulo incogniti, in Sarmatiam Europicam prodiere, non tam viribus, quàm vnione pollentes, quacunque iter fecerant, omnia subegere. Et ita subegere, vt non modò Illyricos, Gallos & Germanos, verùm etiam Italos rerum dominos protriuerint, spoliarint, ac ferro incendioque absumpserint. Contrà vos diuersa sentientes, & intestina labe contabefacti, non solùm potentatum amplificare, sed ne regnum quidem à maioribus traditum retinere potestis. Semper inter se fluctuat Vngaria, quæ si mutuis simultatibus carere posset, & à vera fide non deficeret, vnde hæc omnia mala prouenere, ò quanta splendoris & potentiæ rebus Vngaricis fuisset accessio. Proinde vos quæso, omnes malos mores exuite, inprimis timete Deum, Iesum Christum Seruatorem nostrum toto corde ac mente complectentes amate, Diuina mandata seruate. Post hæc, verum legitimumque Regem vestrum Salomonem, Diui Stephani pronepotem colite, & obseruate, huic vni obtemperate, hunc esse iubete Regem, huius imperio parete omnes. Abdicate regulos, & exigite, ac pronunciate hostes, quicunque in Salomonem aut arma sumpserint, aut obsequium detrectarint. Vos autem Pontifices, ac Satrapæ, hunc ex more create Regem, ac solennibus cæremonijs sacrosanctũ facite. Ego verò quem vos iusseritis esse Regem, Salomonem, Augustali auctoritate confirmabo. Ad postremum orthodoxam fidem obseruate, amate pacem, & mutuam inter vos charitatem, & concordiam retinete. Imperatoris dicta, primùm à Pontificibus & primatibus, deinde ab vniuersa multitudine approbata, Salomonem Regem pronunciant, & exclamant. Mox de more in sancti Regis basilica, sceptro ac diademate eum honestant. Omnes deinde ritè in eius manus, in solio collocati iurarunt, se nunquam eius imperium edictumue detrectaturos, sed sponte gratissima quæque obsequia præstituros. Restitutionem hanc sacris solennibus, magnis plausibus, & faustis acclamationibus celebrarunt. Item edita spectacula diebus aliquot, varijque ludi, & sparsa missilia. Henricus autem restituto Salomone, ac pacata Vngaria, ab eo magnificentissimè donatus, in Alemanniam reuertitur. Quod anno ab incarnatione Domini sexagesimotertio supra millesimum accidisse, Austrialium Annales prodidere.

CONCILIVM MANTVANVM Sal. An. 1064.

LXXI Occasionem Mantuani Concilij diuersam struunt Itali, & Germani Historici. Cæsaris collectum imperio scribunt isti, vt *Auentinus*. Necessitate cogente, im-
l.5.p.435 pulsos Germanos volunt illi, vt *Sigonius*, Cadaloo in vrbe Leonina à Romanis obsesso, cum obsidionem Germani soluere desperarent, ad pacem animos conuerterunt, & cum liberis mandatis *Hannonem*, Archiep. in Italiam miserunt. Interim cum fama inualuisset, *Godefredum* Thusciæ Marchionem *Beatricis* virum, à quo *Alexander* Papa aduersùs *Cadaloum* fuerat defensus, defecisse, & cum *Cadaloo* communicasse; adeoque illius exemplum reliqui Italorum Principes imitaturi timerentur, sequen- LXXII
tia eidem *Godefredo* scripsit *Petrus Damiani*.

D. Godefredo excell. Duci & March. Petrus peccator Monachus, Zeli feruentis obsequium.

Noua sanè inaudita de vobis apud nos fama percrebuit, quæ nobis non parui mœroris mæstitiam intulit, viscera tremefacta concussit, os nostrum à solita gloriæ vestræ laude compescuit, & tabefactum cor, velut acurissimo doloris intimi pugione transfodit. Vos scilicet communicasse cum Cadaloo, quem, vt liquido nostis, iamdudum vniuersalis Ecclesia, tamquam lethale virus euomuit: &, vt reuera putridum membrum, de proprijs visceribus amputauit, in gehennalis barathri profunda demersit: & quasi stercus hominum intra lattinæ cuniculos obrutum ne naribus hominum de cetero fœteat, spiramen obstruit.

Huic

Sal. An. 1062.

Huic itaque tali viro vestram communicasse prudentiam, ossores in agro, mercatores in foro, milites vociferantur in publico. Heu, proh dolor? vir eminentissime, ubi tunc erant uberes illi lacrymarum riui, quos velut torrentem, de feruentissima pij pectoris consueueras charitate profundere, & sancti Spiritus amore succensus, non cessabas madefacta fletibus ora rigare? Huccine redacti sunt eleemosynarum fructus, quibus utique per continuum quadragesimalis ieiunij cursum liberalis pijssimæ clementiæ tuæ largitas, non modò indigentium recreauit inopiam: sed etiã ad nostri Redemptoris exemplum, & pedes lauit, & oscula defigere non erubuit? Vnde timendum vobis est, quod per Aggæum de illo viro dicitur: Qui habuit pecuniam, & misit eam in sacculum pertusum. *In pertusum quippe sacculum quidquid per oris aditum mittitur, per irruptionis exitum necesse est elabatur. Et quid prodest si primo per constipationem pecuniæ crumena turgescat, & per iacturam incuriæ vacuefacta mox folleat? Et quidem aduersus Antichristum hunc viriliter dimicasti, eiusque conatibus sacrilegis, atque peruersis, cum serenissima, atque clarissima vxore tua frequentius obstitisti, nunc autem nescio quis sanctæ religionis vestræ constantiam ab hac intentione compescuit, tantumque virtutis, ac seueritatis honestæ rigorem, pestifera suggerendo molliuit, & quasi cœptum opus obruere persuasit. Vnde & Salomon ait:* Qui mollis, & dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis. *Quia videlicet qui cœpta bona districtè non exequitur, dissolutione negligentiæ manum destruentis imitatur.*

Gothifredi pietatis opera.

Eiusdem humilitas Aggæi 1.

Prou. 18. Sine perseuerãtia fructus boni operis perditus.

Dic mihi, vir magnifice, si quis honestis, ac pudicissimis thalamis tuis inferre moliretur iniuriam, quis necessarius tuus, quis domesticus auderet illi familiaritate coniungi? Quis illorum præsumeret in amicitiæ fœdere copulari? Si ergo homo cum aduersario domini sui concordiæ fœdus inire non audet, quo pacto sublimitas tua illi communicare non timuit, qui sponsam Christi, sanctam scilicet Ecclesiam quasi per obscœni lenocinij stuprum violare præsumpsit? Dei quippe hostis esse conuincitur, qui eius inimico in amicitia sociatur. Hinc est, quod cum Ioram Rex Israel, vir utique funestus, & impius, Elisæum consuleret, dicens: Quare congregauit Dominus tres Reges hos, vt traderet eos in manu Moab? *Respondit Elisæus.* Viuit Dominus exercituum, in cuius conspectu sto, quod si non vultum Iosaphat Regis Iudæ erubescerem, nec attendissem quidem te, nec respexissem. *Hinc est, quod eidem Iosaphat quia auxiliabatur Achab, Iehu filius Humani, Propheta dixisse legitur.* Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum, amicitia iungeris, iccirco iram Domini mereberis; sed bona opera inuenta sunt in te, eo quod abstuleris lucos de terra Iuda, & præparaueris cor tuum, vt requireres Dominum Deum patrum tuorum. *Hinc est, quod Achab, quia Benadab Regem Syriæ, quem bello contriuerat, abire permisit illæsum, ex ore Prophetæ, quod dignum erat, audiuit:* Qui dimisisti, *inquit*, virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius. *Hinc est quod Saul Regnum perdidit, quoniam impiè pius in Agag Regem Amalech, sicut dignum fuerat, non vindicauit. Quod si suam nunc in te Deus omnipotens expostularet iniuriam, & hanc tibi proponeret dignam retributione querelam: ego te inquiens, præ cunctis Regni tui Principibus extuli: ego per cunctos Romani fines Imperij insignem, atque conspicuum constitui: ego tibi in peregrinæ terræ partibus multo plures, quàm de paterno iure successiuas diuitias contulit; nullumque te, præter regalis Imperij principatum, non dicam præcedere, sed ne vel æquiparare permisi. Quod si hæc pauca sunt, adde quod & acuti cordis ingenium, & facundiam ad loquendum, & vires ad bellandum tradidi, ac rigida multorum hostium pedibus tuis colla substraui. Ego tibi hæc omnia cum multis aliarum virtutum dotibus contuli: & tu aduersarium meum à me proiectum, à membris meis prorsus abscissum, communi Sacerdotum meorum sententia condemnatum, in communionem suscipere decreuisti? Si hæc, inquam, tibi Deus per semetipsum, vir insignis opponeret, quid excusationis prætenderet? quod tergiuersationis aufugium prudentiæ tuæ subtiliora inueniret? Hæc, & his similia, quæ tibi possent, obijci, vir insignis, atque sublimis, attende; reatus admissi piaculum, dignæ pœnitentiæ fletibus abluet, lethalis amicitiæ fœdus abrumpe, te deliquisse palam omnibus confitere: & in gratiam Sedis Apostolicæ, cuius nobilis,*

s ecclesia Christi

est sponsa Qui Dei inimicis fauet, Deo est inimicus, & odibilis. 2. Reg. 3. 2. Par. 19

3. Reg. 20

1. reg. 11

Principes viri potestate à Deo tradita in Ecclesiæ suæ fauorem vti debent.

B. Petr. Dam. sãctalibertas.

Sal. An. 1062. *nobilis, & præclarus es filius, sub celeritate reuertere; quatenus qui, quod à membris diaboli laudabatur, explodis: & ipse per lamenta pœnitentiæ sponte corrigeris, simul cum Rege Dauid, non modò veniam à Deo, sed & gratiam consequaris. Parcat ori meo sublimitas tua, vir magnifice, necnon aduersum te, sed pro se locutum esse coniiciat: & quod à me dictum est, non liuoris, vel odij fomitem, sed medicinalis curæ potius deputet vstionem.*

In cassum hæc non sunt exarata; nam *Godefredus* omnem mouit lapidem, vt synodus congregaretur, cui Mantuam ciuitatem suam præparauit. *Petrus* verò vt etiam Cæsarem ad synodum excitaret, qua labanti ecclesiæ consuleret, sequentia scripsit.

Domno Henrico præcellentissimo Regi Petrus peccator Monachus seruitutem.

LXXIV *Subditi quique timent Regem, Rex necesse est metuat Conditorem. Sed cum Scriptura dicat:* Cui plus committitur, plus requiritur; *etiam in hoc expedit Regem propensius formidare, quod illi, quem cordis occulta non fallunt, cogitur de pluribus rationem reddere. Cum igitur Rex in iudicio discutiat hominem, Deus Regem, dignum ne est, vt puluis timeat puluerem, & idem puluis in Rege diuinam despiciat maiestatem? In diebus tuis, ò Rex, obortum est tale periculum, quod omnium penè transcendit nequitias sæculorum: Apostolica nimirum Sedes per Hæresiarcham Parmensis Ecclesiæ scinditur, Religio Christiana confunditur, Apostolorum labor euertitur, & vniuersalis splendor Ecclesiæ per tenebrosam vnius schismatici hominis concupiscentiam obscuratur. Quid ad hæc dices, qui Ecclesiasticæ defensionis officio fungeris? qui in paterni, vel auiti sceptri iura succedis? An plenæ fortè robur ætatis adhuc tibi deesse conquereris? Sed ecce Ioas Rex Iuda tenet adhuc de sartis tectis templi celeriter instaurandis cum Sacerdotibus disputat: eos quoque collatam à populo vetat retinere pecuniam; totamque artificibus operum indicat exhibendam. Dauid vix dum adolescentiæ limen ingrediens, aduersus Goliath, non cum gladio, sed cum lapillis, quasi pueriliter dimicat, sed ei caput tamquam vir fortis ictu pugionis obtruncat. Adolescentulus adhuc Iosias omnia vasa Baal de templo Domini cum Sacerdotibus proijcit & in conualle Cedron, flamma vorante, succendit. Illi igitur honorabant templum, in quo sanguinis brutorum animalium fundebatur; tu non succurris Ecclesiæ, in qua pro salute mundi Christi corpus offertur? Nam, vt ad Gentilium quoque recurramus historiam, Annibal ille, qui Carthaginensium Dux factus est, cum adhuc nouem esset annorum Amilcari patri iurauit ad aras, quia cum primitus posset, aduersus Romanos acerrimè dimicaret. Imbelles pueri bella iam spirant pro terrenæ vnius ciuitatis honore; & tute non excitas ad procinctum pro tuenda vniuersalis Ecclesiæ libertate?*

[Margin: Luc. 12. — Cadaloū intelligit. — 4. Reg. 12 Adolescētium Regum in tuenda religione fortitudo. — 1. Reg. 17 4. Reg. 23 — Annibalis pueri fortis animus T. Liu. Dec. 3. lib. 1. aliq.]

LXXIII *Quidam præterea consiliarij, tui videlicet aulici ministerij dispensatores (vt fœda per populum vulgatur infamia) de persecutione Romanæ gratulantur Ecclesiæ, vtrique scilicet parti fauentes, blandeque canentes; vt modò se venerabilis Papæ fautores per assentationis lenocinium afferant, modò primogenito Satanæ falsi successus læta promittant. Quod tamen de quibusdam Sanctis viris, qui tuis consueuere interesse consilijs, nefas est credi. Planè quisquis sanctam diuidere molitur Ecclesiam, timendum sibi est, ne secundum Euangelicam sententiam & ipse diuidatur:* Veniet, *inquit,* Dominus serui illius in die, qua non sperat, & hora, qua nescit, & diuidet eum, partemque eius cum infidelibus ponet. *Porro de Phaleg filio Heber scriptum est, quia in diebus eius diuisa est terra; de te quoque cauendum est, ne dicatur, quia in diebus tuis diuisa est Ecclesia. Scribantur annales, texatur historia, quæ dicat, quia Nerua clementissimus Imperator pacificauit Ecclesiam, Constantinus confirmauit, Theodosius exaltauit; & cum peruentum fuerit ad te, gloriosum ne tibi est, si dicatur, Heinricus diuisit? Absit hoc à te, vt hanc legat historiam posteritas ventura de te. Noli ergo esse Phaleg, qui coniuncta diuidas? sed esto Christi discipulus, qui diuisa coniungas. Is verò, qui ad diuisionem Apostolicæ Sedis diabolico succenduntur instinctu, Dathan, & Abiron, atque Chore ad memoriam reuocent, & ex eorum perditionibus colligant, qui finis etiam se, qui non dissimilia sectantur, expectat. Illi sanè schisma fecerant Synagogæ, isti diuisionem machinantur Ecclesiæ.*

[Margin: Mali cōsultores Principibus sunt perniciosissimi. — Luc. 12. — Gen. 19. — Imperatores Ecclesiæ defensores]

Sal. An. 1064.

Ecclesiæ. Quamobrem sicut illos vtique viuentes terra deglutit: sic isti per schismaticæ nequitiæ meritum prudentes, & scientes merguntur in tartarum. Nec glorientur qui manifestè Romanæ Ecclesiæ schisma non faciunt, sed tamen annuendo, & negligendo, scindentibus non resistunt; quia sicut non solus ille, qui dixit; In cœlum ascendam, super astra cœli exaltabo solium meum; sed & omnes fautores eius repente sunt è cœlo proiecti, ita non modò Chore, sed & complices eius, ducenti videlicet quinquaginta viri cælestis ignis sunt incendio deuorati. Vnde cauendum est, ne malitia subditorum redundet in regem, & si non delinquentem, non tamen pro viribus prohibentem. Nam Gregoriana sententia est: Facti culpam habet, qui, quod potest, negligit emendare. Cauendum est, inquam, ô Rex, ne dum tu pateris diuidi Sacerdotium; tuum quoque, quod absit, diuidatur Imperium. Nam sicut sacra testatur historia, mox vt Saul apprehendit summitatem pallij Samuelis, & scidit, protinus illi Samuel; Sic, inquit, scidit Dominus Regnum Israel à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te. Porro autem sicut pallium illud vestis erat Samuelis, sic & sancta Ecclesia vestis est vtique Redemptoris. Cui per Prophetam dicitur: Confessionem, & decorem induisti. Confessionem quippe Dominus induit, cum sibi peccatores associat pœnitendo sanatos; decorem verò, cum sibimet clementer agglutinat innocentes nitore iustitiæ speciosos. Pallium igitur Samuelis Saul abrupit, & Regnum perdidit; Christi scinditur vestimentum & licet non scindentis, tamen scindere permittentis, stabit Imperium: Inconsutilem vestem Iesu miles Gentilis metuit scindere, & Christiani non verentur Ecclesiam per errorem schismaticum separare? Cum ergo vestis Christi sancta dicatur Ecclesia, scissio vestis, diuisionem minatur regiæ potestatis. Hinc est fortè quod Vrbes, oppida, siue Prouinciæ huius regni ab exteris quotidie cernimus nationibus vsurpari.

Schismaticis fauentes, aut non resistẽtes pena digni.

Esai. 14.

Subditorum malitia in Regem negligẽtem redundat.

4. Reg. 15.

Saul cur Regnum perdidit.

Ecclesia est Christi vestis.

Ps. 103.

Scissio sanctæ Ecclesiæ diuisionẽ minatur regiæ potestatis.

Dan. 3.

1. Reg. 2. & 4.

Vrbium, ac Prouinciarũ ruina ex schismate nata.

Balthazar nempe, quia vasa Domini fœdanda labijs Gentilium protulit, mox ex ore Danielis audiuit: Diuisum est Regnum tuum, & datum est Medis, & Persis. Heli sacerdotij dignitate detruditur, dum non intentat filijs verbera, sed blanditur; vtcumque tamen corripuit illos, sed lenitate Patris, non austeritate Pontificis: atque iccirco ceruicibus effractis occubuit; quia peccantibus inclementer indulsit. Achias Propheta pallium suum in duodecim partes scidit, & dixit ad Ieroboam: Tolle tibi decem scissuras. Hæc enim dicit Dominus Deus Israel: Ecce ego scindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus. Diuisio ergo vestis scissuram regalis significat ditionis. Quod quia nequaquam Dominus in diebus Salomonis impleuit, sed in posteris eius hæc sententia viguit; de te quoque pium est credere, quod tibi qui innocens es, regnum integrum permanebit: post te verò subiectorum tuorum meritis, nisi fortè se corrigant, transferetur, & concedet in exteros. Sicut enim per Danielem dicitur, Dominatur Excelsus super regnum hominum, & cuicumque voluerit, dat illud. Nam & Assyriorum Regnum, & Lacedæmonum, aliorumque Gentium per definita temporum spatia se tenuerunt, nec diutius præfixit diuturnitatis terminum, sicut eorum testantur annales, excedere potuerunt. Huic etiam Italico Regno aliquando dominati sunt Græci, aliquando Galli, plerumque Latini. Tu quæso, gloriose Rex, à prauis consiliarijs, tamquam à venenatis serpentium sibilis, aures obtura, in virile te robur per ardorem spiritus excita, collapsæ matri tuæ Romanæ Ecclesiæ manum porrige: & tamquam Archangelus Raphael à Sara filia Raguel dæmonium, à quo viduatur, expelle; vt sicut Octauianus Augustus in hoc gloriatur elogio, Vrbem, inquiens, lateritiam reperi, relinquo marmoream: sic & tu multo gloriosius multoque nobilius dicere valeas: Romanam Ecclesiam iacentem quidem puer inueni, sed antequam plenè pubescerem, auctore Deo, in statum pristinum reuocaui. Vt de te quoque, sicut de illo, celebri quandoque per populum deuotione dicatur, Vtinam, aut non nasceretur, aut non moreretur: immo, vt de sacris paginis adhibeamus exemplum, illud impleatur in te, quod Dauid sibi Deum Israel dixisse commemorat: Sicut lux auroræ, oriente sole, mane absque nubibus rutilat: & sicut pluuijs germinat herba de terra: sic cum eodem Dauid non immeritò valeas & ipse cantare: Cuncta salus mea, & omnis voluntas, nec est quidquam ex eo, quod non germinet. Vtraque preterea dignitas, & regalis

Balthazar cur regno priuatus.

3. Reg. 11.

Heli in filios peccatores maulgẽtia et mortis causa.

Dan. 4.

Regum pietas in Deum regna cõseruat.

Deus est regnorũ largitor & conseruator.

Qui regnauerint in Italia.

Tob. 8.

Augusti laus.

Suet. in August.

2. Re. 23

Ibid. v. 5.

Sal. An. 1064. regalis scilicet, & sacerdotalis, sicut principaliter in Christo sibimet inuicem singularis Sacramenti veritate connectitur, sic in Christiano populo mutuo quodam sibi fœdere copulatur. Vtraque videlicet alternæ inuicem vtilitatis indiga est, dum & sacerdotium regni tuitione protegitur, & regnum sacerdotalis officij sanctitate fulcitur. Rex enim præcingitur gladio, vt hostibus Ecclesiæ munitus occurrat: Sacerdos orationum vacat excubijs, vt regi cum populo Deum placabilem reddat. Ille sub lance iustitiæ negotia debet terrena dirimere; iste fluenta cælestis eloquij debet sitientibus propinare. Ille constitutus est, vt nocentes, atque scelestos legalium sanctionum censura coerceat; iste ad hoc ordinatus est, vt per claues Ecclesiæ, quas accepit, alios zelo canonici vigoris astringat, alios per mansuetudinem Ecclesiasticæ pietatis absoluat. Sed audi Paulum de regibus disputantem, & rectam regalis officij lineam iacientem: nam post multa sic ait: Dei enim minister est tibi in bono: si autem malum feceris, time. Non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est: vindex in iram ei, qui malum agit. Si ergo tu es minister Dei, quare non defendis Ecclesiam Dei? Cur armaris, si non præliaris? Cur accingeris, si congredientibus non resistis? Qui sub æstiuo meridiatur vmbraculo securus poterit disputare de bello? Porro veraciter sine causa gladium portas, nisi resistentium Deo colla transfodias, nec vindex es in iram ei, qui malum agit, dum in adulterantes Ecclesiam non consurgis; & cum Simeone, & Leui violatæ sororis opprobrium à domo Israel non repellis. Vertatur ergo docta manus ad capulum, & cum Dauid in Amalechitas impetu fulguris irrue: & sicut ille latrunculos subegit; sic & tu hostes Ecclesiæ vibrato iustitiæ mucrone transfige. Sentiat, sentiat veterrimus ille draco, Cadalous videlicet perturbator Ecclesiæ, euersor Apostolicæ disciplinæ, inimicus salutis humanæ: sentiat, inquam, radix peccati, præco diaboli, Apostolus Antichristi: & quid plura dicam? sagitta producta de pharetra Satanæ, virga Assur, filius Belial, filius perditionis, qui aduersatur, & extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur: vorago libidinis, naufragium castitatis, Christianitatis opprobrium, ignominia sacerdotum, genimen viperarum, fœtor orbis, spurcitia sæculi, dedecus vniuersitatis, (Attexantur adhuc epitheta Cadaloi, catalogus videlicet nominis tenebrosi) serpens lubricus, coluber tortuosus, stercus hominum, latrina criminum, sentina vitiorum, abominatio cæli, proiectio paradisi, pabulum tartari, stipula ignis æterni: sentiat iste motum regiæ maiestatis, & terrenum metuat Principem, qui audacter prouocat in bella cælestem; & quia dicit insipiens in corde suo: Non est Deus; experiatur inesse regio pectori Christianæ Fidei pietatem, pro diuinæ militiæ castris non eneruiter confligentem. Regnum ergo tuum arma corripiat, vt cum Melchisedech stet sacerdotium; sacerdotium oret, vt auitum Dauid exaltetur imperium. Nam ad hoc pro te vniuersalis orat Ecclesia, vt & labor tuus ei quietem pariat, & orationibus illius gloria tibi triumphalis accrescat, sicut & Moyses orabat, eoque simul orante vincebat: si verò remitteret manus Moyses, superabat protinus Amalech. Hinc & Apostolus ait: Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt constituti. Quare hoc? Audi quod sequitur: Vt quietam, & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & castitate. Porro quia splendidæ memoriæ pater eius, magnificus Imperator sublimiter exaltauit Ecclesiam, tu quoque sicut eius hæres Imperij, sic etiam in Ecclesiasticæ cautionis iura succede. Igitur in Ecclesiastici status incolumitate seruanda clarissima soboles paternis respondeat institutis: & ab arbore sua non degerminet ramus in fructu, quam per traducem virtutis, & gratiæ decus exornat. Sed sicut olim per illum, non amodo per te & collapsu resurgat Ecclesia, & Ecclesiastica, quæ confusa est, refloreat disciplina. Durius fortè locutus sum Regi, præsertim cùm Salomon dicat: In cogitatione tua Regi ne detrahas, & in secreto cubilis tui, ne maledixeris diuiti, quia auis cæli portabit vocem tuam: & qui habet pennas, annunciabit sententiam: Et reuera, qui peculatus crimen incurrit, in diacoposin cogitur infercire quod tulit, sed tunc deferendum est regi, cum

Marginalia (left): Dignitas Sacerdotis, ac regalis in Christo connectitur. Quomodo Rex Sacerdotē, Sacerdos Regem tueatur. — Rom. 13. — Rex est Dei minister. — Gen. 14. — 2. Reg. 30 — Cadalous omnium nequissimus describitur. — 2. Thes. 2

Marginalia (right): Psal. 13. — Gen. 14. — Quare S. Ecclesia orat pro Regibus. — Exod. 17. — 1. Tim. 2. — Eccl. 10.

Sal. An. 1063. *cum Rex obtemperat Conditori; alioquin cum Rex diuinis resultat imperijs, ipse quoq; iure contemnitur à subiectis. Si quis enim proprius, non Dei Rex esse conuincitur, qui sic die pugnæ non stat pro castris Ecclesiæ, & in proprijs vtilitatibus specialiter metuit, vt ruinæ periclitantis Ecclesiæ non succurrat. Sed & cum per Esaiam Dominus dicat;* Venite, & arguite me; *cur homo ab homine despiciat argui, quem constat eadem mortalitatis lege constringi? Et cum lege Forensi cautum sit, vt qui in peremptores peremptum non vlciscitur, in ius hæreditariæ successionis nullatenus admittatur; Ego, qui in homicidam matris meæ, Romanæ scilicet Ecclesiæ, vlcisci nequeo, vltores saltem impellere non tentabo? Deputa ergo me, o Rex, fideliter consulentem, non procaciter obloquentem: vel si placet, æstimato me præ dolore peremptæ matris insanum, non aduersus excellentiam Regiæ maiestatis insolenter elatum. Sed, ò vtinam ego ante tribunal tuum adiudicer reus perduellionis, dum tu tamen in aduersarios Apostolicæ sedis vindices arbiter æquitatis. In ceruicis meæ iugulum securis vibrata deseuiat, tantummodo Romana Ecclesia propriæ dignitatis apicem per te reparata conscendat. Porro si Cadaloum cito velut alter Constantinus Arrium destruis, & Ecclesiæ, pro qua Christus mortuus est, pacem reformare contendis; faciat te Deus in proximo de Regno Imperiale fastigium scandere, & à cunctis hostibus tuis insignis gloriæ titulos reportare: alioquin si adhuc dissimulas, si mundi periclitantis errorem, cum possis abolere, detractas, & reliqua. Cohibeo spiritum, & consequentie relinquo lectoribus intellectum.*

Tunc Rex honorandus cùm suo obtemperat conditori.

Esa. 1.

B. Petri admirabile in ecclesiam Romanā studium ac zelus

Apostolici viri libertas.

HANNONIS LEGATIO AD ROMANOS. Sal. An. 1064.

ROmam cum peruenisset Hanno Archiep. Colon. *in conuentu progressus* (ait Sigonius) *in præsentem Alexandrum inuehi cæpit, neque ordine, neque rectè fecisse eum accusans, quod inconsulto, atque insciente Henrico Rege, sedem illam iniisset,*
LXXV *quam multos iam annos nemo, nisi à Rege probatus, ausus esset attingere. Quamobrem aut vltrò cederet, aut rationem audaciæ suæ redderet.* Cui *Hildebrandus* Cardinalis, vir promptissimus in dicendo, respondit: *Ius, quod Henricus in Pontifice legendo prætenderet, imminutum non esse. Alexandrum enim in dissensione Cleri ex recenti Nicolai decreto à Cardinalibus vno consensu ex aliena Ecclesia sumptum, eundemque propter imminentes tumultus sine Henrici auctoritate subitò consecratam. Henrici pupilli iura multo magis Ecclesiæ Romanæ esse tuenda, quæ spiritus mater esset, quàm Agneti parenti, quæ sanguinis tantùm necessitudinem prætendere posset.* Quibus rationibus victus *Hanno*, consilium ad rem cognoscendam postulauit. Annuentibus postulato eius Cardinalibus, verùm de loco ad conueniendum idoneo disceptantibus, Mantua eligitur in ditione *Mathildis*. Quò Alexāder ipse, & sacer Cardinalium cœtus, & Episcopi fermè Italiæ omnes venerunt. *Honorius* cum magno ho-
LXXVI minum numero ad Aquas Nigras substitit, cum mandatis ad *Annonem* mittit, qui dicerent, Magistrum à discipulis edoceri non oportere: *Honorium* nequaquàm venturum, nisi vicem Christi præsidendo defungi permittatur. *Hanno* consilio habito (ait Auentinus) paucissimis respondet: *Magistrorum sacrosanctæ concionis, Ecclesiæque sententiæ parendum, diuino oraculo obtemperandum esse. Proinde Parmensis hisce sibi relatis, venire Mantuam recusauit: cæterum per speculatores fidos singula acta diurna explorat. Alexander quidem præsto fuit. Postero die Quinquagenalium Episcopi, principes, præsules frequentes in templo conueniunt, opem dei exposcunt, sacrificium rituale faciunt. His ritè peractis, Alexander multa de pace ac concordia Christiana disseruit. Vbi finem dicendi fecit, Hanno surgit. Cæsar, & Imperij proceres (inquit) fama & literis à plerisq; certiores facti sunt, te Pontificatum emisse, atque conscientia huius criminis stimulatum, cum Nordmannis hostibus Reipub. amicitiā fecisse, aduersus Cæsarem conspirasse, vt eo* LXXVII
etiam inuito, fretus armis inimicorum nostrorum sacerdotium retineas. Nos vt veritatem inquiramus, & hancce rem cognoscamus, hic coiuimus. Suscipit Alexander: Si delatores veri sunt, cur hic, in hoc celeberrimo Christiani orbis conueutu, sicuti ego, non apparent? & crimina quæ mihi falso obijciunt, testibus, vti fas est, comprobant? Quod cum facere non queant, ego vt me pur-

Sal. An. 1064. *gem suspicione, vos falsa opinione expediam, Deum testor, per Spiritum sanctum, cuius ferias agimus, iuro, me inuitum atq; reluctantem ab his, penes quos copiam cooptandi pontificis, maiorum more esse credimus, absque omni penitus ambitus scelere captum esse. Quis innocens erit, si criminari satis est? De Nordmannorum amicitia nihil modò respondeo: quando illustris dominus Cæsar filius meus Romam veniet, re ipsa comperiet, nihil aliud magis à moribus meis alienum esse. Hæc vbi dixit, cuncti qui aderant, & quorum intererat Honorium, quòd venire grauaretur, abdicant: & Alexandrum quem crimina legitimè diluisse, insontemque esse existimabant, pastorem recipiendum decernunt, atque ritu solenni renunciant. Deinde Deum Opt. Max. Christum seruatorem nostrum celebri carmine consalutant. Postridie rursus cum in templo patres consedissent, & Hanno archimysta, quam ob caussam, non traditur, abesset, ij qui Cathochi rebus studebant, facto globo, excitato tumultu, strictis gladijs in ædem irrumpunt. Alexandrum hæreticum, pestiferum erronem vociferantur, eidem mortem intentant. Cæteri omnes diffugiunt. Alexandrum solum relinquunt. Vuentzeslaus præsul Altachij, Boiariæ monachorum antistes, qui probè mores Longobardorum notat (cum minacissimi enim verbis sint, ne digitulo quidem aduersarium attingunt) Alexandrum sibi quoque fuga consulere parantem, retinet: eidem animum reddit atque considere persuadet. Longobardos acriter increpat, maiestate vultuq; tristi territat. Eodem quoque momento Beatrix vxor Gotfridi ducis, cum multis ad templum procedit, vix limen attigerat, Honoriani omnes aufugiunt. Cæteri redeunt, Parmensem episcopum curia Pontificum mouent, atque deuouent.*

Peracto itaque conuentu, *Alexander* Mantua decedens, Lucam accessit, vbi Basilicam D. Marci consecrauit. LXXVIII Decedentem *Erlembaldus* honoris gratia prosequutus, nouum in Clericos edictum elicuit. *Si quis sacerdotum, Diaconorum, aut Subdiaconorum officium contumaciter deserens, fœminam sibi potius eligit, sicut sponte ob fornicationem dimittit officium, sic ob præuaricationem dimittere cogatur etiam inuitus beneficium.* Edictum in Clericos. Henricus verò Rex cum purificationem S. Mariæ celebrasset Augustæ; Ecclesiam S. Vdalrici, & S. Afræ à fundamentis incepisset, Anno regni sui IX. Ætatis XIV. gladio cingitur in nomine Domini, ait *Bertoldus*. LXXIX coronatur Henricus

PEREGRINATIO HIEROSOLYMITANA Sal. An. 1064.

LXXX Hoc anno celebris peregrinatio septem millium virorum Hierosolymam instituitur. Inter quos *Sigfridus* Archiep. Mogunt. *Vvilhelmus* Traiectensis, *Otto* Reginoburgensis Episcop. *Guntherus* Bambergensis Episcop. *Alemannus* à sacris Augustæ, *Fridericus* Damasiæ *Eckhardus* à Scheurn, *Orthulfus* ab Hohenuuart dynastæ, & alij complures Boiorum proceres. *Guntherus* omnes maiestate corporis anteibat, adeò vt ab omnibus, quà iter fuit, Imp. Romanus putaretur. *Sauum* (ex Lamberto) *amnem transgressi, multa à latrunculis perpessi (sicuti idem Guntherus scribit Vgrorum perfidiam, Bulgarorum furta, latrocinia Vzorum, arrogantiam Græcorum, Asiaticorum sensere sæuitiam. A Byzantio Laodiceam Syriæ, inde Tripolim nauigarunt. Vbi ab Arabibus irruentibus orta tempestate fulminibus & tonitru territis hostibus, liberati sunt. Inde littus legentes Cæsaream Galileæ, quæ & Turris Stratonis, nono Calendas Aprilis, quarto die ante Paschalia duorum itinere dierum ab Hierosolymis peruenerunt. Postero die Capharsalam vicum intrant. Rursus Arabum globus adest, primos trucidat, spoliat: cæteri cum resisterent, facile inermes à sagittarijs & armatis in fugam vertuntur, in proximumque vicum fugam capessunt. Magna cædes nostratium facta, Vvilhelmus episcopus Traiectensis grauiter vulneratus, spoliatus, semiuiuus & nudus relinquitur. Reliqui tres episcopi, Sigfridus, Otto & Guntherus basilicam duasque turres ex lapidibus constructas occupant, ibique quòd porta angusta nimis erat, muli, equi clitellarij nisi exonerati, intrare non quibant, se defendere parant. Hostes rebus iumentis nostrorum potiuntur, ea diripiunt, deinde turres expugnant: nostrates viriliter resistunt, turres duobus continenter diebus oppugnatas summa vi defendunt. Hostes tandem celeberrimo Paschalium festo die, pacem venalem offerunt, octoque Arabum principes in turrim admittuntur,*

Auent. p. 437. nu. 30

qui

Sal. An. 1062. *qui de pretio paciscuntur. Ibi hostium primarius, linteum, quo caput in modum coronæ colligarat, collo Guntheri episcopi, quem Principem esse rebatur, innectit: En inquit, te solo capto, cæteros omnes in potestate habeo, & simul ac iussero, ab arbore cum comitibus pendebis. Guntherus vbi hoc per interpretem intellexit prosilit, pugnam in faciem minantis impingit, vno ictu hominem humi sternit: deinde prosilit, socios cohortatur, cæterosque septem Arabes captos, nudatosque armis, duriter vinculis constringit, telisque sæuientium popularium opponit. Arabes eo die socijs parcentes manus abstinent. Postridie Ramulæ præses, quem rex Ægypti vrbi prefecerat, audito periculo nostrorum, ad liberandum eos cum magno equitum numero properat: non ob pietatem, sed quæstum suppetias fert. Deminui portoria vectigaliaque suo regi existimabat: præterea suum lucrum, censum, ciuitatumque compendia attenuari cernebat, si nostri ita accepti, fama in se commissa, dissiparent, neminem posthac Palæstinam petiturum. Arabes autem latrunculi de illius aduentu certiores facti diffugiunt. Satrapes Ægyptius, acceptis quos nostri in vincula coniecerant, fide data, nostrates Ramulam incolumes perducit: vbi ab incolis considere quatuordecim dies. Tandem pridie Idus Aprilis Hierosolymã peruenerũt, tresdecim ibi conuocati sunt dies. Inde Ramulam reuersi, nauim conduxere, Aliquiæ applicuere, postea in Europam nauigant. Sighardus & Otto rediere, cæteri interierunt.*

Ab hoc Chronico dissentire videntur Regalia Henrici IV. præcepta, quæ leguntur apud *Scriuerium* in vita Florentij I. exarata Anno Sal. 1064. in gratiam *Vuilhelmi Episcopi Vltraiectini* aduersus *Florentium* Comitem Hollandiæ ad recuperanda ea, quæ à fratre *Theoderico IV.* Hollandiæ comite per vim & iniuriam fuerant erepta Episcopo *Adelboldo*. Vndè ab Imperatore in integrum petebat restitui. Nec impetratu difficile erat, cum *Vuilhelmus* gratia præualeret apud eos, qui Imperatoris adolescentiam prò libito regebant, & Hollandicæ Domui infesti erant. Nam *Theodorico* Occiso, *Florentius* frater Reipublicæ gubernaculis susceptis, ab Archiepiscopo Coloniensi, bello petitus, dum hostibus occurrit, & victor repellit, sub quadam arbore (currendo an pugnando dubium est) defessum sedisse, ibique interemptum fuisse ab his, qui prælio superiori fugerant legitur. Filium reliquit *Theodericum*, huius nominis quintũ sub tutela Gertrudis matris, quæ transacto biennio, post mortem mariti nupsit Roberto iuniori filio Balduini Insulani, Comitis Flandriæ; qui nomine *Theoderici Domicelli*, iunioris adhuc ætatis, regimen suscepit Hollandiæ. *Vuilhelmus* autem Traiectensis Ep. attendens, Hollandiam sine defensore esse, ac in manus pueri, seù extranei Principis deuenisse, impetrauit ab Henrico Imper. *Comitatum Hollandensem, & Abbatiam Egmondensem*, constituens, adiutorio *Godefridi Ducis Gibbosi*, pupillum expellere, itaque *Godefridus* Dux Lotharingiæ cognomento *Gibber*, cum *Vuilhelmo* Pontifice armata manu Hollandiam intrauit: cui occurrit *Robertus* comes, & graui commisso prælio, *Robertus* terga vertens profligatur, populus Hollandiæ conciditur.

Vuilhelmus Vl. traiecten. Hollandiam occupat. *Florentius occiditur.* *Theodericus V.* *Gertrudes.* *Robertus*

Si hæc vera sunt, & Anno Sal. 1064. exarata ab Henrico Imperatore priuilegia pro Hollãdica expeditione, quomodo *Vuilhelmus* ep. Vltraiectinus in Syriã migrauit?

NORTMANNORVM TVMVLTVS IN ITALIA Sal. An. 1065.

LXXXI. DVm sub tutela Cæsar, ac negotijs impliciti Principes, Nordmanni per Campaniam, Apuliam, Calabriam finitimas regiones debacchantur, proteruè Cæsari scribunt, Principibus responsa superba reddunt, mandata procacia referunt, *sese scilicet inuictos armis fore iam vtrumque Imperatorem Germanum, & Græcum amplà ditione Italiæ expoliasse, Pontificem fulmine suo adflantem floci facere: victricibus armis parata, soli Deo restituturos, præter eum, nullum agnoscere superiorem.* Ricardus eorum Princeps, cum præter Campaniam, Vrbi etiam vicina loca occupasset, Vrbis ambibat Patriciatum. Quare permotus *Henricus*, tum vt Ecclesiæ bona e manibus Nortmannorum eriperet: tum vt à Pontifice coronam exigeret imperij, valido equitum, peditumque comitatu Augustam venit. Ibi expectans *Gotfredum* Tusciæ Ducem, qui exercitu suo, quasi iter ostendens, præiret, vbi eum longè terra-

LXXXII *Ricardus Nortmã. nus.*


FLORENTIVS·I·
COMES·HOLLANDIEVI
GERTRVDIS·
VIDVA·FLORENTII·I·
ROBERTVS·
FLANDER·
COGNOMENTO FRISIVS
GOTFREDVS·
DVX GIBBOSVS·

Sal. An. 1064. terrarum abesse cœpit, expiditionem dimisit. *Sigonius*. In Saxoniam deinde migrat: Lxxxiii. nam cum imperium per Episcop. in orbem iret, vti supra narrauimus, *Albertus* Archiep. Premensis tum vice sua defungens, *Albertus Premensis.* rebus præerat, diutiusq; quàm licebat, dominationem retinuit: Cæsarem per totum autumni, hyemisque spacium Goslariæ, & in Saxonia detinet, statiua Goslariæ habere persuadet, suo more viuere adolescentem permittit. Eundem in sua potestate, exclusis collegis habet: nec ex sua classe in alias regiones, sicuti decretum fuerat, remigrare sinit. Existimabat suæ demptum gloriæ atque vtilitati quidquid accessisset alienæ. Quamobrem cæteri fremere, tributa vectigalia, censum præter ea, quæ monachorum patres inuiti tribuebant, *pernegare, sum-* Auent. p. 439. n. 30. *ptusque deficere cœperunt, penusque in diem coemebatur. Aulici prædas agere, pecora abigere, vinum, pabulum incolis vi auferre incipiunt: hæcque de industria odio Premensis Episc. fiebat. Princeps tamdem atque Episcopi, Anno Agrippinensis, Eberhardus Treuerorum, item cæteri Francorum optimates, frequenti senatu Triburiæ in ripa Rheni conueniunt: Cæsarem more adolescentulorum scor-* Lxxxiv. *tari, venari, potare, huiuscemodi voluptatibus ætatem transigere, iuri dicundo, Reip. negocijs nequaquam vacare, ab eodem nobilissimos quosque opprimi, infimos tolli, filias optimatum obscuris, humilibus crepundijs ortis, vi in matrimonium dari, præsidia priuata comparari, principes negligi, horum omnium authorem & consultorem esse Archiepisc. Premensem, proponunt. Iccirco is Senatusconsulto, ni Cæsarem confestim reddat, hostis indicatur. Cæsari quoque ad principes venire detrectanti regnum abdicandum esse decernitur. Cæsar perlato atroci nuncio, Goslaria Saxoniaque relicta ad conuentum principum Mogontiacum properat, cum Bernardo præfecto prætorio. Postea quam ad Ingelheim peruentum est, comites Bernardi predas exagris agunt: incolæ, viri, mulierculæ conuo-* Lxxxv. *lant, vi armisque id fieri prohibent. Bernardus suis suppetias laturus procurrit, fit atrox pugna, saltatricula clauam in caput Bernardi impegit: ipse amissis multis, semiuiuus ad Cæsarem refertur. Tum omnium sententia Cæsar aut Imperio cedere, aut amicitiæ Premensis renunciare iubetur. Sed spacium ad consultandum impetrato, huius consilio clàm noctu fugam Goslariam adornat. Cumque intempesta nocte regia supellex effertur, in clitellas componitur. Principes certiores facti, aduolant, strictis gladijs consilij talis inuentorem circumsistunt, mortem minitantur: & procul dubio eundem interfecissent, nisi Cæsar suo corpore protexisset, regio præsidio domum deduxisset. Ita Premensis cum hac contumelia aula eliminatus est: dominatio ad cæteros Episcopos per vices redijt.*

Hæc forsan causa, ob quam *Henricus* Rex iuuenili furore succensus in *Hannonem* Lxxxvi. Archiep. Colon. parabat vltionem, ni ab *Agnete* Augusta matre, tunc Germaniam opportunè reuersa cohiberetur. Rem gestam *Lambertus* narrat. Pascha Rex Vormatiæ celebrauit, vbi Archiep. Bremensis (*Adalbertus nomine*) inter Missarum solemnia, & festiuitatis sermonem haberet in populo, hominem ab infestatione dæmonis purgauit. *Adalberti Bremensis miraculum.* Ea res grandi miraculo cunctis erat, stupentibus, quod vir tam pessimæ æstimationis, miracula ageret: æmuli indè non eius meritis, sed adstantium votis adscribebant. Ibi comedente Archiepiscopo, primum (ait *Lambertus*) se ad arma succinxit; (iam tamen gladio præcinctus fuerat) Lxxxvii. statimque primam susceptæ armaturæ experientiam in Archiep. Coloniensem dedisset, & ad persequendum eum ferro, & igne præceps abijsset, nisi *Agnes* Imperatrix tempestiuè accurrisset. Id inter cætera crimen habebat *Anno*, quod Imperatrici regni gubernacula eripuisset: ipsum penè Regem in vltimum discrimen præcipitasset. *Querelæ in Annonem.* *Lambertus*. In Germaniam *Agnes* redierat, quia suis fraudata iuribus & fructibus, vnde Lxxxviii. viuere, non haberet. Diu ibi permansit, cuius moram ægrè ferrens Petrus Damiani, nouitiæ Augustæ catechista, sequenti reditum sollicitauit epistola.

Lxxxix. *Dominæ suæ Agneti Imperatrici Petrus peccator Monachus seruitutem.*

Principum virorũ sanctitate pollẽtiũ. *Vix referre sufficio, quanto cor meum mœrore confunditur, dum reditus vestri lætitiam, supensis quotidie visceribus præstolatur. Heu me! cur itineri vestro vecors, ac stolidus assensum præbui? immo cur egredienti me ipsum non violenter opposui? Cur non equo-* *præstantia ciuitatibus vtilissima est.*

Sal. An. 1065. *equorum fræna corripui, & cursum vestrum vel obuijs manibus, in quantum licuerat, non tardaui? In vestri planè recessus absentia, mæret Roma, B.Petri luget Ecclesia: & tota per sanctos viros, ac mulieres lamentatur Italia. Tu siquidem, velut aureum sidus, terrena quærentium videbaris illustrare caliginem: atque ad Deum prouocans, micantis exempli refundebas re sequentibus claritatem. Et, vt multa præter eam, ego quoque donec te procul abesse suspiro, Romana conspicere mœnia perhorresco. Reuertere ergo, Domina mi, reuertere, teque lugentibus festiuam redde lætitiam, qui rutilantem cæli gemmam de capite mundi Roma, quodammodo ploramus auulsam. Ingerat tibi nauseam aula regalis Imperij, sola tuis naribus sagena redoleat Piscatoris. Illic cum Petronilla simul habere te libeat sepulturam, vt insignis ille Pater geminam iuxta se, carnis videlicet, ac spiritus, gaudeat requiescere filiam. Dominum meum Lopertum Episcopum æquè saluto: &, vt cito reuertatur, imploro.*

Numquam quiescens vir iste Santus, vineam Domini suis irrigabat sudoribus, & custodiebat vigilijs. Aduersus I.C. Florentiacum hoc eodem anno disputationem habuit de gradibus cognationis. Quorum supputatio non eadem Canonistæ, & Legistæ. Qualis in coniugijs præferenda veniat? prò SS. Patrum decretis acutissimè nos erudiuit. Opusculo ad hoc instituto. *De Gradibus Parentelæ*, in *tom*.3. Cxc.

MORS FERDINANDI HISPANOR. REGIS. Sal. Ann. 1065.

Cxci. MOritur hoc anno *Ferdinandus* Magnus Rex Castellæ, & Legionis Rex, aduersus quem Henricus III. Sal.An. 1055. Legatos dimiserat ad Concilium Hispanicum; Rex dignus catholico nomine, & fine vitæ exemplari, hodierni quem vtinam æmularentur Principes. Omnibus Celtiberiæ Prouinciæ (ait *Lucas Tudensis*) *Mariana lib.9. c.6.* ciuitatibus & castellis in deditionē acceptis; ad Valentiam Isidori, quem per totam vitam coluerat, & cuius per quietem formam videre sibi visus fuit, oraculo monitum esse tradunt, diem obitus ipsi instare: proinde expiandæ animæ superos propitiandi, ad quos breui discessurus erat, curam gereret diligentem. Oraculi veritatē morbus, qui continuò Regem inuasit, manifestò declarauit. Rex itaque Legionem se deferri curauit, lectica scilicet militari, quam pro se quisque milites ac viri primàrij subire certabant, tantus erat cunctorum ordinum amor. Eius sæculi Anno sexagesimo quinto, nono Kal.Ian. die Sabbathi in vrbem peruenit: vbi de more sacra corpora Sanctorum veneratus, & felicem vitæ exitum præcatus, lacrymis toto ore manantibus, & corpore ad terram prostrato: tametsi ægritudo ingrauescere videbatur, ipsa nocte qua Christi Dei inter homines nati memoria recurrit, nocturnis precibus interfuit: sequenti luce re diuina procurata, corporis & sanguinis Domini perceptione expiatus est. Die altero, ad D.Isidori delatus magnis vocibus, vt omnes exaudirent, ad Deum conuersus coram Isidori sepulchro: Tua est, inquit, potentia, tuum est regnum Domine: tu es super omnes Reges: tuo imperio omnia sunt subiecta: quod te largiente accepi regnum, tibi restituo: tuam tantum clementiam imploro, vt animam meam in æterna luce iubeas collocari. Hæc dixit: positisque diademate, & insignibus regijs, trabeaq; detracta, quibus exornatus venerat, ab Episcopis qui magno numero aderant, pœnitentiæ & sacræ vnctionis remedijs ex ritu Christiano procuratus, indutus cilicio, cōspersus cinere, die iij. qui Io: Euang. memoria sacer est, hora vj. spiritum edidit. Et iuxta patrē tumulatur.

CONRADI COLONIENSIS MARTYRIVM. Sal. An. 1065.

Cxcii. MOritur hoc anno *Eberhardus Treuerensis Archiep.* 13. *Kal. Maij, Sabbatho Sancto Paschæ*, (ait Bertoldus) *completis à se ipsius diei Officijs, ipsis sacerdotalibus vestibus indutus, requieuit in pace. Cui Conradus Coloniensis præpositus debuit succedere, sed à ciuibus non est electus. Vnde quidam comes, nomine Theodoricus, eundem Conradum ad Vrbem Treuerorum tendentem, comprehendit, & diu sub custodia maceratum, quatuor militibus necandum commisit. Qui dum eum tunc per quoddam præcipitium deiecisset, & nil nisi sibi brachium collidere possent: vnus ex illis pœnitentia ductus, ab eo*

ve-

Sal. An. 1066. *veniam impetrauit. Alius vero volens eum decollare, maxillam eius tantum abscidit, & si ipse dignus Deo Martyr ad Dominum migrauit. Passus est autem Kal. Iunij An. Incar. Dom. 1066. Regni verò Henrici X. sepultus apud Abatiam, nomine Doleiam. Tres autem milites mortis huius serui Dei authores; digna vltio postmodum subsequuta est: nam vnus eorum acceptum cibum deglutire non valens; alij duo manus suas lacerantes, ad claustra inferni descenderunt.*

NORDMANNI ECCLESIÆ RESTITVVNTVR. Sal. An. 1066.

XCIII. RVmore vulgato, Henricum Cæsarem, Italica expeditione dimissa, remeasse, *Ricardus* Capuæ Princeps maiora cogitans, Aquinum vsque venerat. Propterea Alex. Rom. Pontifex in Tusciam profectus *Gotfridum* Ducem acciuit. Huius, Nordmanni cognito aduentu, panico timore correpti, Campania desertà, aufugiunt: *Iordane tantum, & Gulielmo (qui Mostarola dictus est) cum suis in Aquino, se illi contraire parantibus, cæteri cum Principe Patenariam, rei euentum cum suis omnibus præstolatur. Gotfridus itaque Apostolico, & Cardinalibus comitatus, mediante iam Maio, Aquinum cum vniuerso exercitu venit, ibique per octo & decem dies cum obsistentibus Nordmannis pari fermè euentu confligens, tandem satagente*
XCIV. *feruentissimo internuncio Gulielmo (cui Testa ardita fuit cognomen) ad id ventum est, vt ad pontem S. Angeli, qui dicitur Todici, Dux & Princeps altrinsecus (nam interreptus erat) se ad colloquium iungerent; sic non parua, vt dicitur à Nordmannis donatus pecunia, Dux ad propria repedauit. Per eos dies stella, quam* Leo O. stiensis 3. c. 25. *Cometam vocant, ingentem retro se facem gerens, spacio viginti, & amplius dierum apparuit, quæ eiusdem, vt fertur ducis (non enim multo post defecit) mortis prænuntia fuit.* Godefridi mors. Mathildis vidua vnà cum Beatrice matre vniuersam inde ditionem administrauit.

Hoc ipso anno Gulielmus Nordmanniæ Comes vexillo donatur Romano ab Alex. XCV. Papa, vt Haroldum tyrannum Angliæ Regnum vsurpantem, post obitum S. Eduardi Regis expelleret, eoque legitimè potiretur. *Gulielmus in Anglos.* Gulielmus namque à prædefuncto Rege Eduardo cognato suo fuerat substitutus, quod probè factum se conseruaturum iurauerat Haroldus Comes Goduini filius, tunc magister regiæ domus.

Moritur hoc anno Reginherus Misnensis Episcopus, à dæmonibus sauciatus inter XCVI. thesauros suos, quos auarus infoderat. *Lambertus.*

MEDIOLANENSIS TVMVLTVS. Sal. An. 1066.

XCVII. MEdiolani interim *seditionis conflatæ causa* (ait Sigonius) *Arioldus, cum tempestatis eius imminens vitare periculum studens præcipiti ex vrbe se fuga proriperet, ab aduersarijs interceptus est, ac mola collo appensa in lacum Verbanum præcipitatus indignus honestæ actionis pænas persoluit 3. Kal. Iulias. Corpus deinde illæsum inuentum meritos sepulturæ honores adeptum est. Arialdi exemplo perterritus Etlembaldus* (miles iste, & cognatus Arioldi qui strenuè aduersus Nicolaitas & Simoniacos laborauit) *sibi tum quoque quiescendum existimauit. Proximo verò, absentem Antistitem nactus vniuersum superioris discensionis renouauit. Nam præsidijs maioribus comparatis, ciues apud se dicere Sacramentum coegit, neque tam Sacerdotum ordinem, quàm ipsum Archiepiscopum diuexauit: quippe cui etiam in vrbem ad comprimendam seditionem reuertenti violentas manus non dubitauit inferre. Inde Romam profectus Hildebrandi Cardinalis auxilio aliud decretum obtinuit, quo sanciebatur, non esse iustum Antistitem, quem Clerus, aut populus, aut Rex iniussu Pontificus declarassent, atque Mediolanum reuersus* XCVIII. *iurare in eam legem clerum, populumque coegit. Quare perculsus Vido quippe iam ætate confectus, at tranquillitatis cupidus, vltro se Sacerdotio abdicauit, atque insignia honoris ad Herricum in Germaniam misit. Sacerdotio à Vidone deposito, nouæ statim controuersiæ est occasio patefacta. Nam cum Henricus* XCIX. *Gothifredo Castilioneo ad se profecto ingenti pecuniæ summa accepta dignitatem eam indulsisset, Alexander aeri cum interdicto ab ineundo honore absterruit. Quare Gothifredus ab ijs, qui Pontificiam auctoritatem amplexabatur, repudiatus Varisium oppidam primùm, deinde ab Elembando pulsus Castelionum,*

Sal. An. 1067. *lionum, quod erat natura, opereq; munitum, se contulit: atque inde contractis magnis propinquorum, atque amicorum copijs in agros aduersariorum incurrere, eosque per sequentem annum infestos habere perrexit. Per eosdem dies Robertus, quem Ducem Apuliæ, & Calabriæ Nicolaus Pontifex instituerat Tarento* C. *& Barrio diuturna oppugnatione ad ius suum adiunctis, Ecclesiasticæ ditioni propè imminere videbatur. Quod sentiens Alexander, vt qui bellum abnueret, quod viribus suis maius esset, amicum illum sibi potius confirmandum, quàm hostem experiendum, putauit: atque ea de causa in Apuliam progressus conuentum Melfi per Augustum coegit, atque ibi Roberto ducatum sanxit, & Gulielmum Tancredi filium, quod bona Ecclesiæ Salernitanæ per vim teneret, communione remouit.*

NVPTIÆ HENRICI REGIS, ET BERTÆ. Sal. Anno 1067.

C I. HOc anno, si vera profert *Lambertus*, Henricus Rex matrimonio iungitur cum Berta filia Ottonis in Italia Marchionis, & nuptias celebrauit Triburiæ: *Vspergensis*. Natalem Domini Augustæ celebrans, Burcardum Alberstatensem Episcopum in Luiticiorum prouinciam misit, quam incendit, vastauit, auectoque equo, quem pro Deo colebant in rheda, super eum sedens in Saxoniam redijt. *Chron. Augustensis*. Deodericus etiam Cemes Treuerorum *de martyrizato Conone apud Deum & homines reus, exiliatur ab Imperatore, & suscepta peregrinatione Hierosolymam eundi, quid de eo & de omnibus, qui in comitatu eius pergebant actum sit, adhuc nescitur*. Sigebertus. C IV.

BERTAM VXOREM REPVDIAT HENRICVS. Sal. Anno 1068.

C II. ADolescentiæ libertate abusus Hẽricus, solam Saxoniam ex omni Romano Imperio frequentabat. Cępit Principes imperij despicere, nobiles opprimere, inferiores sustollere, venatui, lusibus, indulgere, filias illustrium obscurè natis coniugare, priuata præsidia, regni potentibus diffidens, instituere. Quibus discordiæ seminibus, ait *Vspergensis*, contigit Regi quam plurimos insidiatores tam vitæ, quam regni sui crescere. Licet *Auentinus lib. 5. p. 441. n. 30.* in defensionem Henrici aliunde discordiarum semina trahat. Cum in Saxonia sedem teneret Henricus nobiles Saxones à latrocinijs, quibus iam assueti viuebant, abstinere iussi,
C III. *& legibus obtemperare, auiditati suæ fine dicto, pietatem colere cogerentur, in Cæsarem conspiratum est. Principem coniurationis Ottonem Ducem Boiorum, genere Saxonem fuisse literis prodituri. Isque susceptis primis partibus Cæsarem victorem, dimisso exercitu, cum paucis redeuntem in oppida quæ Luticianis continuabantur, inuitat. Conradum educatorem atque nutricium Cæsaris, iam pridem inimicum suum, ante cubiculi fores excubantem, primò conuicijs, deinde armis inuadere statuit: Heginonem quendam famulum suum pollicitis in societatem adsciscit: huic ensem tradit, quo Cæsarem è cubiculo prodeuntem contrucidaret. Cum igitur conscij ex composito contumelijs Conradum afficiunt, forte fortuna amici eius haud imparati (vt participes conspirationis rebantur) adsunt, armis opem Conrado ferunt. Ita consilium cædis frustra fuit: sceleris consortes, ne facinus notaretur, tanta spe destituti, abeunt. Nemo tamen præter conscios, quid sibi hic tumultus velit, intellexit: omnes priuatum odium, veteremque simultatem qui mores purpuratorum sunt, interpretabantur. Cæsar itaque cœlesti haud dubiè beneficio ab imminente periculo liberatus, Paschalia Quintelenburgij, Quinquagenalia Agrippinæ agit. Inde ad conuentus agendos in Vangionum vrbem concedit. Vbi cum Sighardo archimysta Mogontino secretum sermonem habuit. Turogorum gens Hercynia sylua pro natiuo muro, à Saxonibus Francis, Boijsque antiquis, à Misnensibus, siue Sorabis, Sala flumine separatur. Ea sub ditione ecclesiastica archimystæ Mogontini censetur, neque decimas sacrificis more cæterorum Christianorum pensitant. Cæsar captus illecebris concubinarum, earumque amore occupatus, abhorrebat à re vxoria. Hoc vbi sensit Sighardus pont. Mogont. Cæsari, si Turogos decimas soluere cogat, se discessionem solemni conuentu iureq; suo facturum pollicetur. Grata res Hainrico fuit, omnem operam promittit sacerdoti: prædicat se iniquo fato inijsse matrimonium, & fascinatum nondum coniugem attingere potuisse, fama dissipat, vt illa virgo à se integra adhuc sit: nec eam diutius habere* C V.

Hæc habes in Heruelдensi Chronica sub anno Domini 1069.

bere

Sal. An. 1068. bere, nec eas tolerare posse nuptias, vnde liberos nullos sibi fore speraret: quocirca decreuisse, vt eam integram conuentu celebri itidem reddat, vti acceperit à suis, quo vterq; nuptijs auspicatioribus connubio alteri liberum procreandorum causa copuletur. hancq; ob causam Calendis Octobrib. Mogontiacum senatus Ecclesiasticus edicitur. Cæsar interea in Boiariam Reginoburgium migrat. Vxor eius in Loreshaim monasterium in Vangionum agro ablegatur. In Italia Adelhaidis socrus Cæsaris Laudem mandata facere recusantem obsidet, expugnat, portisq; præclusis neminem exire permittit, vrbem incendit, templa, contubernia monachorum, virginùm, vici, fœminæ, puellæ, ædes priuatæ, publicæ, sacra, omnia prophana igne conflagrarunt. Eadem tempestate Gotfridus Dux obijt, Gothelo filius, qui & Gotfridus Gibbosus succedit. Dumque talia fiunt, duodecim amplius Francorum proceres, Saxonumque primores, cum Saxoniæ incolis, quòd prædia stipendiaria, quibus hactenus incubuerant, eis denegarentur, in Cæsarem conspirant. Principes coniurationis rursus Otto Dux Boiorum, Theodo & Albertus
Cvi. Tetrarchæ Saxonum erant. Placuit his Turogos in societatem assumere, animosque gentis (quam Cæsar auita libertate dispoliare, & in seruitutem sacrificulorum redigere conaretur) tentare: Theodo & Albertus apertè rebellionem faciunt. Reliqui se amicos Cæsaris, quo facilius falleretur, vel si victoria potiretur, participibus veniam impetrarent, simulabant. Theodo Schidingen oppidum Bambergensis Episcopi, in Turogorum terra inuadit, præsidio firmat munitissimo: Albertus Neoburgum occupat, ambo prædia Cæsarea sibi seruire cogunt. Cæsar qui tum Reginoburgij in Boiaria commorabatur, quam celerrimè potest in Turogorum fines arma mouet. Sighardus Mogontinus Episcopus ratus adfore tempus, quo Turogos soluere decimas vi cogat, cum auxiliaribus copijs Cæsarem insequitur: summa ope hoc bellum præsens administrat. Turogi qui animum Episcopi in se præsenserant, ad Cæsarem Legatos proficisci iubent, qui dicerent, Turogos fidem principi seruaturos, imperata obedienter facturos, vnum à Cæsare petere, ne Turogos de Repub. bene meritos, ludibrio fastuosi antistitis, & auariciæ sacrificulorum direptui patere sinat. Malle Turogos mori, quàm auitam libertatem amittere, & in seruitutem caluorum effœminatorum redigi. Cæsar benignè respondet, Turogos bono animo esse iubet, ipsis opem suam, si modò in fide perseuerent, pollicetur. Posthæc Bichilingen, oppidum Theodonis castra mouet, primo impetu capit: atque vbi eam vrbem diripuit, incendit, solo æquat, inde Schidingen obsidione claudit. Milites Episcopi iussu principis sui consulto in Turogos acrius sæuiũt. Villas diripiunt, incendunt: agros vastant, pecora abigunt, resistentes trucidant. Porrò Turogi eosdem, pabulatum, aquatum proficiscentes, aut denique prædas agitantes capiunt, nullo contumeliæ genere abstinent, in crucem tandem agunt. Schidingenses, licet firmissimo præsidio tenerentur, vi expugnati prima expugnatione multi Cæsariani oppressi. Otto regulus Boiorum illi quidem bello interfuit: at quasi spectator, quò fortuna inclinaret, ab exercitu secedit, loco æquo considet, suos in armis continet, nec Cæsari, nec hostibus auxilio erat. Cæterùm Quartus castellis duobus expugnatis, iam ad alia infesto contendebat animo. Theodo & Albertus vbi se impares Cæsari, à socijs desertos ac planè proditos vident, supplices se Cæsari, absque omni pactione permittunt: prædia, castella reddunt, vitam duntaxat orant: cuncta ordine, consociorumque nomina exponunt. Cæsar quòd eos sceleris pœniteret, gratiam facit, parte maxima prædiorum mulctat. De reliquis coniuratis sumere supplicium supersedet, sapienter delicta dissimulat. Nam tot homines nobiles, maximis diuitijs, summa potentia, tametsi verum existimabat, reos simul parricidij facere manifesti, tum sibi tum Reipub. periculosum fore arbitrabatur. In tali tempore tanta vis hominum magis leniunda, quàm exagitanda videbatur. Pacatis itaque Saxonibus Cæsar quo Episcopo satisfaceret, ab eoque libellum repudij extorqueret, decimas Turogos quidem imperat: verùm verbis leuioribus quasi recusaturos cogere nollet. Inde Mogontiacum ad diuortium faciundum transitum facit. Dumque eò contendit, fit certior Petrum Damianum, P.M. legatum ibidem cœptis suis obstaturum esse. Proinde in Saxoniam redire in animo habet. Ægrè tamen ab amicis persuasus Francofordiæ substitit: hucque qui Mogontiaci conuenerant, se transferre iubet. Quò cum illi frequentes conuenissent, flamen Romanus Mogontino, si dissidium

Sal.An. 1066. *facere pergat, sacrificijs interdicit, eundem ab albo Pontificum eradit, sacerdotum tribu eliminat. Deinde Cæsarem docet, facinus quod moliatur, inuidiæ quam ferre difficile sit, obnoxium esse: diuino humanoque iuri repugnare, ipsique perniciosissimum fore. Omnium deterrimum eße qui libidini indulgeat: nequicquam alijs imperare, qui sibi ac animo suo imperare nequeat. Cæsarem ideo à Deo constitutum, ideo ei ensem strictum præferri, vt scelera puniat: non exemplo nimium periculoso, committat. Et norma sit rectè beateq; viuendi populo, qui ferè regenti similis esse solet. Præterea Berthæ parentes plurimum in Italia pollere, neutiquam æquo animo laturos filiæ contumeliam, quam discessione Italiæ vindicare queant. Romanum quoque Pontificem iniuriam istam Reginæ factam, haud neglecturum.* CVIII. *Hosce denique mores tanto indignos eße Imperio. Cæsar his & huiuscemodi dictis à Legato Romano, amicisque persuasus, vxorem recipit, cum ea in Saxoniam migrat, vbi proximo deinceps anno filium peperit. At Moguntinus Episcopus decimis excidit. Cæsar in Boariam ad hybernacula redit, Fruxini brumales ferias concelebrat. Vuolphramo* CIX. *Tauristorum Episcopo defuncto, in demortui locum Azilonem substituit, Hartuico Veronensi Episcopo Husuuartum. Paschalibus Nemetum Augustam, Quinquagenalibus Misniam ad conuentus agendos petit.*

OTTO DVX BAVARIÆ DEPONITVR. *Sal. Anno* 1070.

OTto Boiorum Regulus, *qui rebellionem* iam meditabatur occultè, *conscientia obstrepente*, ait Auentinus, p.443. *quiescere non potuit, consilia occulta facit, quoscumque idoneos reperit, præmiorum spe & pollicitis dolo sibi obnoxios fidosque facit: &* CX. *hoc assecutus opes factionis iam propalam confirmat, adeò vt Cæsari hactenus cuncta dissimulanti, non ferendus amplius videretur, maximè cum Hegino Ottoni intimus, repentè mutatus, seu pœnitentia actus, seu obstare cœpit Deum credens, ad Cæsarem vltrò profugisset, scelus confessus fuisset, cunctaque ordine narrasset. Cæsar Ottonem ad se Goslariam vocat, quæ ab Heginone audierat, spectante populo in corona Principum, eidem exprobrat: cumque inficias euntem, domum redire, singularique pugna crimen diluere iubet. Die dicto Goslariæ, Otto quidem adest: sed se Cæsari, nisi publica fide interposita, committere metuebat. Cæsar mandat, se verò fidem, quatenus per leges liceat, dare illum incolumem, modò insons sit, abiturum. Otto hanc conditionem nequaquam accipit: mox equo admißo aufugit. Erant qui continuò persequendum, in vincula conijciendum, supplicium de eo, more maiorum, sumendum, censerent. Sed Otto, amicis eius qui apud Cæsarem erant, dicendi mora, de industria diem extrahentibus, fuga elapsus est. Cæsar vbi dolum intellexit, subitò frequenti Senatu à scriba legem Salicam, qua capitale est in Principem coniurare, recitari iubet: & vniuersos confestim iureiurandi, quo cuncti pro salute Reipublicæ, atque Principis astricti erant, admonet, sententiamq; rogat. Omnes in sententiam legis pedibus (vt aiunt) eunt: fit Senatusconsultum; Otto hostis iudicatur, proscribitur: bona eius confiscantur, prædia publicantur: Boiaria Cæsari adiudicatur. Cæsariani oppida, castella Ottonis inuadunt. Otto profugus in saltum Hercyniæ, Chetilam nomine, fugam capessit, in montibus delitescit, socios sibi omnium flagitiorum quasi cateruam & stipatores asciscit, quicumque alea, ventre, bona sua dissipaßet: postremo quos flagitium egestas exagitabat, ad illum conuolant. Eumque ducem nacti, crebrò in Turogorum Saxonum fines erumpunt: prædia Ecclesiastica, Cæsarea igne concremant, diripiunt. Cæsar Christi natalibus Bambergam ad conuentus agendos proficiscitur, Vuelphoni Lycatio Boiariæ ducatum in* CXI. *tutelam committit. Isque sacramenta Cæsari dicit.*

Hoc anno Henricus Rauennatem Eccle- CXII. siam, Archiepiscopi morte vacantem Giberto Parmensi concessit, ac Gregorium Vercellensem Episcopum legatū Lombardiæ constituit. Alexander, ait *Sigonius*, autem ab Henrico rogatus, Gibertum sacrauit, quanquam vnicum superioris dissensionis auctorem, deinde varijs ad se de Henrici Simonia, atque superbia criminibus delatis, perinde ac par erat, motus Episcopos Moguntinum, & Bambergensem Romā euocauit. Bambergensi vitio dabatur, quod Episco-

Sal. An. 1007. scopatum grandi pecunia emisset, illi & socio quod accepta pecunia sacros ordines contulissent. *Ibi*, scribit Lambertus, *Bambergensis multa & pretiosa munera Papæ dedit, & per hæc efferatam aduersum se mentem eius ad tantam mansuetudinem reduxit, vt qui non sine periculo honoris & gradus sui euasurus putabatur: non solum impunitatem criminis, quod obiectum erat, consequeretur: sed etiam pallium, & alia quædam Archie-*
CVIII. *piscopatus insignia à Sede Apostolica pro benedictione perciperet.* Cui discordāt plurimi historici, scribentes grauissima oratione, castigatione, ac iureiurādo se à talibus facinoribus temperaturos domum remissos. Concordat idem Lambertus, apud quem anno sequenti idem Archiepisc. Mogontinus testatur Henrico Regi, se asperè admodum ab Alexandro Pontifice redargutum, vixque sine priuatione Archiepiscopatus, elapsum. Cum ijs legitur *Hāno* etiam Archiep. Colon. venisse, nō tamen vt reus, intercessorem crederem, cuius intuitu honestè sunt illi dimissi: *Hāno* verò Colon. Sāctorū donatus reliquijs.

CAVSA CONSTANTIENSIS EPISCOPI.

CXIV. Accusatur hoc anno apud Romanum Pontificem *Carolus* Constantiæ electus Episcopus, quia simoniacè infulam vsurpasset. Querelam tamen Moguntino remisit Pontifex Archiepiscopo, vt causam in Synodo ventillaret. Hac de causa Moguntiam Synodum vocat in Mensem Augusti quod Rex ægrè ferebat, quia *Carolus* percharus ei erat ob seruitij merita præstiti, Moguntinus tamen constans Pontificis mandata prætulit, præseferens quàm terribiliter anno priori pro simili causa fuisset ipse obiurgatus. Instantibus itaq; Kalendis Augusti, voluit Rex ipse præesse Concilio: Maiestatis tamen præsentia nec scelera minuit, nec accusatores placauit. Nam clericis instantibus, Carolo autem non satisfaciente ei baculum Pastorale eripitur; licet mestitiam eius Rex placidis verbis leuaret, promittens, quod non sine compensatione lætus abiret. *Lambertus*. Regressus tamen ad Magdeburgensem Diœcesim, 6. Kal. Ian. obijt. Hæc in Germania:
CXV. In Italia cum Robertus Dux *Apulia, Calabriaq;* (ait Sigonius) Anno Sal. 1071. *Subacta, animum ad Siciliæ reliquum occupandum applicuisset, nauali confecto exercitu eò contendit. ac Cassinum primò deinde Panormum, tum Nazarim aggressus, omnia facilè in ditionem adducit. Panormus, quod erat rerum Caput, per quinque menses obsessa demum in potestatem peruenit. Septembri Mense Pontif. Alex. Cassinum profectus est, vt nouam D. Benedicti Basilicam consecraret, modo à desiderio Abbate, & Cardinali constructam, Ea res Kal. Octob. magna est cæremonia celebrata. Affuerunt omnes fermè Italiæ Episcopi, & cum frequentes vicinarum ciuitatum populi, tum etiam Principes Riccardus Capuanus, Visulfus Salernitanus, Landulfus Beneuentanus, & Duces Neapolitanus, ac Surrentinus, Robertus, quod eo tempore Panormum in Sicilia oppugnabat, interesse non potuit. Re diuina perfecta, omnibus, qui affuerunt, & qui per octo post dies locum illum piè visitarunt, liberalis est peccatorum remissio auctoritate Pontificia, facta; cuius religionis fama permota Agnes etiam Imperatrix accessit.*

Robertus Siciliam occupat.

SEDITIO MEDIOLANENSIS. Sal. Anno 1072.

Tvmultus impatiens *Vido* Archiepisc. Mediolani, cum diù aduersus decreta Pontificum pro clericis coniugatis decertasset, Archiepiscopatu deposito, vitæ etiam finem fecit. Hoc audito *Erlembaldus* Landulfi Cottæ Præfecti frater, qui iam martyr pro Ecclesia cadens, in gloria surrexerat, ciues Mediolanenses iureiurando adegit, se Gothifredum ab Henrico Rege Episcopatu donatum, non accepturos: *atque opera Hildebrandi Cardinalis*, scribit *Sigonius*, cuius virtute ac sapientia *tum Pontificatus gubernabatur, Athonem Clericum Mediolanensem Antistitem. Neque in Episcopium inducto, solemne, vt in eiusmodi re, epulum ierit, ciuitate haud satis probante, quæ insignem Regi iniuriam fieri arbitrabatur; qui Episcopum dare consueuisset.* Zelus hic declinat in vindictam; Quæ enim occasio vsurpandi Imperatorum iura? Quo titulo poterat Hildebrandus Antistitem Mediolanensi Ecclesiæ dare inuito Cæsare? *Qua occasione vsi aduer-*

iniuria illata Cæsari.

Sal. An. 1072. *aduersarij impetum in triclinium fecere, atq; fœdo adeo tumultu omnia miscuere, vt Atho exterritus, cum vix incolumis euasisset, honore se abdicauit: Quod vbi Romæ palam factum est, continuò Hildebrandus Gothifredum, cuius impulsu hæc omnia acta putabantur, nouo sacrorum interdicto notauit, Athonemque iterum Decreto Pontificis confirmauit, Contra Henricus despecto prorsus Pontifice Gothifredum omni ope ad dignitatem retinendam adiuuit. Atque eo ille fauore suffultus ditionem amissam inuasit, atque magna ex parte recuperata, in oppido Brebiæ tandem consedit.*

Moritur hoc anno *Petrus Damiani piæ memor. Card. Episc. iam dudum Mundo crucifixus; viij. Kal. Martij cui Monachus Geroldus successit.* Bertoldus. CXVIII.

HENRICI IV. VITIA. *Sal. Anno* 1073.

CXIX. OTtone in Saxonia tumultus agente, tanto animata duce gens illa, ad Apostolicam Sedem aduersus Regem suum plurimas detulit querelas; *Henricus accusatur à Saxonibus.* ascitis in coniurationem Sigifrido Mogontino Archiep. Adelberto VVormaciensi, Adelberone VVirciburgensi, Gebehardo Saltzburgensi, quidam inter eos Annonem etiam Archiep. Colon. asserunt, Quorum insidijs Rex territus, Saxonia cessit: & Annonem Colon. & Hermannum Babenbergensem Romam misit, pecuniam quæ Regi debebatur, congregandi gratià. Qui legatione peractà

CXX. *Romam vocatur vt Simoniacus.* (*ait Vspergensis*) reuersi *literas Alexandri Apostolici detulerunt, Regem vocantes ad satisfaciendum prò simoniaca hæresi: alijsque nonnullis emendatione dignis, quæ de ipso Romæ fuerant audita.* Propterea, legitur apud Lambertum, Coloniensis Archiep. *offensus his, quæ plurima præter equum & bonum fie-*

CXXI. *Anno aula se abdicat.* *bant in palatio: petijt à Rege vacationem deinceps dari sibi à rerum publicarum administratione, causatus in senium iam vergentem ætatem, & laboriosis regni negotijs minus & minusque in dies sufficientem. Quod Rex haud difficulter annuit, quia prauis libidinibus suis, & iuuenilibus ineptijs iam dudum animaduerterat eum grauiter offendi, &*

CXXII. *Henricus laxatur in vitia.* *plerumque quantum salua Regia dignitate poterat, pro virili portione obniti. Is ergo vbi se in sua recepit, Rex tanquam seuerissimo pedagogo liberatus, statim in omnia genera flagitiorum, ruptis omnibus modestiæ & temperantiæ frenis, præcipitem se dedit. Montes omnes, colliculosq; Saxoniæ & Thuringiæ castellis munitissimis extruxit: præsidiumque imposuit. Quibus cum victui necessaria minus sufficerent, permisit, vt ex proximis villis & agris hostili more prædas agerent, & ad ipsa castella munienda: circumquaq; manentes cogerent, & impensas affatim conuectare, & per seipsos simili manu desudare. Verum nè manifestæ tyrannidis notaretur; si contra innocentes atque in regnum proprium* CXXIII. *tam barbara crudelitate graßaretur, vt impietatem suam quadam religionis spetie palliaret, Archiepisc. Moguntinum modis omnibus instigauit, vt decimationes Thuringiæ, sicut ante plures annos instituerat, exigeret: pollicens, se ei in exigendo summa ope affuturum, & dicto obtemperare nolentes, regia maiestate coacturum: ea tamen pactione, vt ipsarum decimationum partem sibi, quæ & regia munificentia & tanto labore suo digna foret, tribueret. Ita Episcopus vanissima spe animatus, synodum indixit in Erphersfund vj Idus Martij.* *Archiep. Mogunt. decimas exigit à Thuringis.* *Statuto die aderat Rex, aderat Archiep. stipatus vterque magno grege Philosophorum, imo Sophistarum quos ex diuersis locis summo studio consciuerant, vt canones sibi non pro veritate, sed voluntate interpretarentur, & causam eius, quomodo veris non poterant, sophisticis allegationibus roborarent. Assidebant ergo cum Rege & Archiep. Moguntino Herimanus Babembergēsis, Hecel Hildenesheimensis, Eppo Citicensis Episcopi, Benno Osenbruggensis, improbabant plerique eorum, quod Rex moliebatur, sed ne liberè eloquerentur, Regis terrore, & Archiepiscopi amicitia inhibebantur. Habebat præterea Rex non modicas amatorum copias, quibus improbantes militari manu coerceret. Thuringorum spes potissimum in Abbatibus Tuldensi, & Aerueldensi nitebatur, quia hi Ecclesias decimales haberent & prædia in Thuringia, qui si causa cecidissent, sibi vnà cadendum esset.* *Abbates Tuldensis & Herueldensis opponunt.* *Hi publica discussione interpellati pro solutione decimarum, primò per Deum rogabant Archiepisc. vt antiquitus tradita Monasterijs suis, rata permitteret, quæ & sedes Apostolica veteribus & recentibus scriptis crebro sibi firmaßet, & præcessores eius Moguntini Pontifici*

Sal. An. 1073.

tifici summi ac Sanctissimi viri vsque ad Luipoldum Episcopum numquam infringere tentassent. Ad hec atroci responso Archiep. *præcessores suos sua ætate pro suo arbitratu Ecclesiæ Dei moderatos fuisse, eosque rudibus in fide auditoribus, & penè neophytis hac potum dediße, non escam, & sapienti dispensatione multa indulsisse, quæ processu temporis, dum in fide conualuissent, successorum suorum industria resecari vellent: se autem iam adulta, vel potius senescente Ecclesia spiritualia comparare spiritualibus, nec iam paruulis hac sed perfectis solidum cibum ministrare, atque à filijs Ecclesiæ legem Ecclesiasticam exigere: proinde esse eis vel ab vnitate Ecclesiæ secedendum, vel legibus Ecclesiæ æquanimiter acquiescendum. Tum illi rursus per Deum orare, vt si in Rom. Pontificis auctoritate, si in Caroli, aliorumque Imper. priuilegijs, si in præcessorum eius Moguntinorum Pontificum indulgentia, nihil sibi præsidij esset, ipsarum saltem decimarum partitionem fieri sineret, iuxta canonum Scita, & consuetudinem Ecclesiarum: scilicet vt quarta parte ipse pro suo, suorumque mißorum seruitio contentus, tres reliquas portiones Ecclesijs, quibus antiquitus articulatæ eßent, permitteret. E contra Episcopus non ea mente se, ait, tantum laborem triuiße & iam per decem fermè annos, laboriosum hoc saxum voluere, vt tandem aliquando voti compos effectus, vltrò iure suo cederet, & tanto molimine extortas eis decimas, ipsis pro libito partiendas addiceret. Secundum iam dies concertationis fluxerat, ancipiti adhuc fortuna, vtra pars vtri cessura foret. Iamque Thuringi improbata Synodo Sedem Apostolicam appellabant. Rex autem sub attestatione Diuini nominis affirmabat, capitali sententia animaduersurus in eum qui hoc tentasset, & omnia quæ eius essent dissipaturum, clademq; eius multis postea sæculis non abolendam. Ita Abbas Herueldensis suorum periculo conterritus, quoniam non aliud patebat effugium, rem consilio Regis permisit, quatenus ipse secundum æquum & bonum iudicaret. Diu igitur habita deliberatione in hanc tandem pactionem mediante Rege Abbas, & Archiepisc. consenserunt, vt Abbas in decem suis decimalibus Ecclesijs duas partes decimarum, tertiam Archiepisc. acciperet: in reliquis verò eius Ecclesijs dimidia Abbati, dimidia Archiepisc. continge-ret. Tum Rex sciens haud bene placitura Romano Pontifici quæ gesta fuerant: sub interminatione gratiæ suæ vtriq; Abbati præcepit, vt neque per seipsos, neque per nuntium, neque alio quouis modo pro insimulanda Synodo Apostolicam Sedem interpellarent.* Verum quæ intercessit hoc anno mors ipsius Alexandri Pontificis, fuisse videtur impedimento, vt aliquandiu causa iam cœpta, quieuerit. In eius locum Hildebrandus est subrogatus nomine Gregorij VII. Sub cuius Pontificatu nauis agitata Petri, est penè submersa. A Pontifice, vel ab Imperatore fuerint concitati fluctus? patroni vndiq; & querelæ. Vna tamen veritas, vt vna fides, qui eorum temporum historici scripserint, referam. Odiosam aggredior prouinciam, in qua duos difficile sit testes inuenire concordes. Henricus & Hildebrandus, cum currentis libri nostra sint lumina, vnde luceant, inquiramus. Fabri dicunt filium *Hildebrandum*, nec sine ludibrio; iniustè prætereuntes Deum Incarnatum, filium Fabri voluisse appellari. Natalia Apostolatus non recipit, nec respicit, nam piscatores, non Reges in Apostolos Deus cooptauit. Puer *Hildebrandus* cum luderet ad pedes patris ligna dolantis, ex reiectis quisquilijs, cum literas nesciret, casu elementa composuit, quæ iuncta Dauidis illud exprimerent Oraculum: *Dominabitur à mari vsque ad mare;* vt comprobauit euentus. Magistrum habuit, ait *Benno* in vita Hildebrandi, Laurentium Archiepisc. Amalphitanum, quem non Augurum Principem, vt ait Benno, sed Sanctorum eius temporis fuisse Petrus Damianus testatur *in vita S. Odilonis.* Concordant Germanici Scriptores, inter quos *Lambertus Scafnaburgensis.*

Alex. Papæ obitus creatio Gregor. VII.

CXXV. *Greg... natalia.*

CXXVI.

Vaticinium.

CXXVII.

Alexander Papa, qui & Anselmus decessit: cui Romani protinus inconsulto Rege, successorem elegerunt Hildebrandum, virum sacris literis eruditissimum, & in tota Ecclesia, tempore quoque priorum Pontificum omnium virtutum genere celeberrimum. Quia tamen sine preuio Regis consensu Cathedra Petri conscendit, non defuere, qui vt Cæsari blandirentur, eum non canonicè, sed tyrannicè Papatum vsurpasse. *Abbas Vspergensis.* An verò Cæsaris requireretur consensus? cum iura reuoluo, Ecclesiam subditam Imperatori non lego. Priuilegia tamen non- CXXVIII.

nul-

Sal. An. 1073. In electione Papæ an requiratur Imperatoris consensu. CXXIX. nullis Imperatoribus dacta ne absque eorum consensu nullus Petri Cathedram scādat, non desunt: vt Carolo Magno, Henrico, Conrado. Tumidè an Henrici placitum Hildebrandus respuerit? sunt, qui dolosè & falsò affirment; *Lambertus* namque ita scribit: *Is quomodo Zelo Dei feruentissimus erat, Episcopi Galliarum protinus grandi scrupulo permoueri cœperunt, ne vis vehementis ingenij & acris erga Deum Fidei, districtius eos prò negligentijs suis quandoque discuteret: atque ideò communibus omnes consilijs Regem adorti orabant, vt electionem quæ eius iniussu facta fuerat, irritam esse decerneret, asserentes quod nisi impetum hominis præuenire maturaret, malum hoc non in alium grauius, quàm in ipsum Regem redundaturum esset. Statim Rex à latere suo Eberhardum Comitem misit, qui Romanos proceres conueniens causam ab eis sciscitaretur, quare præter consuetudinem maiorum Rege inconsulto, Romanæ Ecclesiæ Pontificem ordinassent, ipsumque si non idoneè satisfaceret, illicitè accepta dignitate, abdicare se præciperet. Is veniens Romam benignè à prædicto viro susceptus est. Cumque illi mandata Regis exposuisset, respondit, se, Deo teste, honoris huius apicem numquam per ambitionem affectasse. Sed electum se à Romanis, & violenter sibi impositam fuiße Ecclesiastici regiminis necessitatem* : (inuitus rapitur ad Pontificatum) *cogi tamen nullo modo potuisse, vt ordinari se permitteret, donec in electionem suam tam Regem, quàm Principes Teutonici Regni consensisse certa legatione cognosceret. Hac ratione distulisse adhuc ordinationem suam, & sine dubio dilaturum, donec sibi voluntatem Regis certè inde nuntius veniens intimaret. Hoc vbi Regi est renunciatum, libenter suscepit satisfactionem, & lætissimo suffragio, vt ordinaretur, mandauit.* Confirmatur à Cæsare.

Hoc tempore ad Agnetem Imperatricem Cassini commorantem scripsit Gregorius, & suæ electionis certiorem fecit, deuotionis ergo scribit *Leo Ostiensis* eo conuenerat Agnes, ibique sex fermè menses commorata, B. Benedicto regia dona obtulit, Monachorum excitata moribus & pietate. CXXX. Agnes Imper. Cassini.

Ad Pœnitentiam Henrici Gregorius prouocat. An. 1073.

CXXXI. CОnfirmatus Gregorius curam pastoralem suscepit, & prædecessoris Alexandri piè incœpta perficere cogitans, in Henricum Cæsarem conuertitur, cuius fama in dies crescebat in peius. Ab Alexandro monitus, Romamq; vocatus, vt simoniæ labem purgaret, nec venerat, nec resipuerat. Propterea Gregorius, vt placida amicorum manu corriperet inter plurimas ad Godefredum Ducem litteras scripsit sequentes.

De Rege verò mentem nostram & desiderium plenè cognoscere potes, quod quantum in Domino sapimus, neminem de eius præsenti ac futura gloria aut sollicitiorem aut copiosiori desiderio nobis præferri credimus, est enim hæc voluntas nostra, vt primum oblata nobis opportunitate, per Nuncios nostros super his, quæ ad perfectum Ecclesiæ & honorem Regiæ dignitatis suæ pertinere arbitramur: paterna eum dilectione, & admonitione conueniamus. Quod si nos audierit, non aliter de eius, quàm de nostra salute gaudebimus: quam tunc certissimè sibi lucrari poterit, si in tenenda iustitia nostris monitis & consilijs acquieuerit: sin verò (quod non optamus) nobis odium pro dilectione, Omnipotenti autem Deo pro tanto honore sibi collato, dissimulando iustitiam eius, contemptum non ex æquo reddiderit, interminatio, qua dicitur: Maledictus homo qui prohibet gladium suum à sanguine, super nos, Deo prouidente, non veniet: neque enim liberum nobis est, alicuius personali gratia, legem Dei postponere, aut à tramite rectitudinis pro humano fauore recedere, dicente Apostolo: Si hominibus placerem, seruus Dei non essem. Hæc ad Godefredum Gregor. *l. 1. ep. 9.*

Hisce cognitis Henricus, sui moderationem non solum intra semetipsum decernit, sed eidem per literas Gregorio significauit, morum exhibens correctionem, & præteritorum scelerum pęnitentiā, vt ex sequenti. CXXXII.

Epistola Henrici IV. Imper. Ad Gregorium VII.

V*Igilantissimo, & desideratissimo Dōno Papæ Gregorio Apostolica dignitate cælitus insignito, Henricus Romanorum Dei Gratia Rex debiti famulatus fidelissimā exhibitionē.*

Cum

Sal. An. 1073. *Cum enim regnum & sacerdotium, vt in Christo rite administrata subsistant, vicaria sui ope semper indigeant; oportet nimirum domine mi & Pater amantissime, quatenus ab inuicem minime dissentiant, verum potius Christi glutino coniunctissima indissolubiliter sibi cohæreant. Namque sic & non aliter conseruatur in vinculo perfectæ charitatis, & pacis, & Christianæ concordia vnitatis, & Ecclesiasticæ simul status religionis. Sed nos, qui Deo annuente, regni aliquamdiu iam sortimur ministerium; sacerdotio (vt oportuit) per omnia ius & honorem non exhibuimus legitimum. Quippè nobis à Deo datæ potestatis vindicem non sine causa gladium portauimus; nec tamen in reos, vt iustum fuit, iudiciaria illum semper censura euaginauimus. Nunc autem diuina miseratione, aliquantulum compuncti, & in nos reuersi, peccata nostra priores vestræ indulgentissimæ paternitati nos accusando, confitemur, sperantes de vobis in Domino, vt Apostolica vestra auctoritate absoluti, iustificari mereamur.*

Henrici Regis delictorum suorum accusatio. *Heu criminosi nos & infelices! partim pueritiæ blandientis instinctione, partim potestatiuæ nostræ & imperiosæ potentiæ libertate, partim etiam eorum quorum seductiles nimium sequuti sumus consilia, seductoria deceptione peccauimus in cælum & coram vobis; & iam digni non sumus vocatione vestræ filiationis. Non solum enim nos res Ecclesiasticas inuasimus, verum quoque indignis quibuslibet, & simoniaco felle amaricatis, & non per ostium, sed aliunde ingredientibus Ecclesias ipsas vendidimus; & non eas (vt oportuit) defendimus. At nunc quia soli absque vestra auctoritate Ecclesias corrigere non possumus: super his (vt etiam de nostris omnibus) vestrum vna & consilium & auxilium obnixe quærimus: vestrum studiosissime præceptum seruatur in omnibus. Et nunc inprimis pro Ecclesia Mediolanensi, quæ nostra culpa est in errore, rogamus vt vestra Apostolica districtione canonicè corrigatur; & exinde ad ceteras corrigendas auctoritatis vestræ sententia progrediatur. Nos ergo vobis in omnibus, Deo volente, non defuerimus, rogantes idipsum suppliciter paternitatem vestram, vt nobis alacris adsit clementer in omnibus. Literas nostras non post longum tempus cum fidelissimis nostris habebitis, ex quibus nostra, quæ adhuc dicenda restant, Deo dante, plenius audietis.*

Interim cognito Saxonum tumultu *ex Vngaria*, habet Auentinus, *in Boiariam reuertitur, Bathauiam, inde Reginoburgium petit. Bambergensem Episcopum ambitus condemnat, albo Pontificum eradit; Rupertumq; substituit. Inde cum robore Boiorum, atque equitatu Vangionum, Sueuorum & Lotharingorum in Saxoniam contendit. Vbi fines hostium attigit, Saxones posteaquam se peti cernunt, decem principes legatos in castra Cæsaris supplices legant. Hi Episcopos, Tribunos, Duces ambiunt, precatores sibi parant, se deliquisse in Cæsarem confitentur, diem colloquio postulant, vbi hæc controuersia sententia principum componatur. Cæsar vbi ista ad se ab amicis delata sunt, annuit postulatis. Vbi die dicto proceres Imperij consedere, Saxones Cæsarem incusare incipiunt, se iniurijs coactos inuitos ad arma trahi, patrias leges sibi ablatas, auitam libertatem vi ereptam esse proponunt. Quæ si reddantur, se fore in potestate Cæsaris pollicentur. Duces antea à Saxonibus corrupti, Saxones æqua postulare censent: Cæsariq; renunciant, nisi æqua petentibus annuat, se, cum castra moueri, & signa ferri iusserit, non fore dictis audientes: nec aduersus Saxones arma laturos. hisque dictis discedunt, deinde paulatim dilabi, atque domos abire cœperunt. Saxones quasi iam iugum Cæsaris excussissent, castella quæ à Cæsarianis tenebantur, inuadunt, obsidione arcta claudunt: solum Hercynoburgium, quod præsidium firmissimum intus erat, non ausi circumsedere, montem vrbi proximum occupant: mille atque ducentos armatos ibi locant, qui aditum prohibeant: eruptione, atq; commeatu hostes arceant. Cæsar nihil discessione principum, doloque Saxonum territus, cum sex millibus quorum maior numerus Boiorum, Sueui atq; Franci perpauci erant, tamen suis subuenire statuit. Magnis præmijs quemdam persuasum, ignoto habitu per Saxones penetrare iubet cum literis ad suos, qui Hercynoburgium, & cætera castella tenebant, hos hortatur, vt forti animo sint, fortiter faciant, se quàm primum cum exercitu adfore, hostiumque castra oppugnaturum. Cæsariani hoc accepto nuncio, læti vndique de improuiso erumpunt, custodes, vigiles trucidant: Saxones cædunt, fundunt, insidijs annonam vehentes circumueniunt. carros cum iumentis* Cxxxiv. lib.5. p. 449.n.10

Z & pe-

Sal. An. 1073. *& pecoribus abigunt. Cæsar iam in Saxoniam penetrarat, suis suppetias ferre properabat. Saxones obsidionem soluunt, cum Cæsare aperto marte confligere statuunt. Vndique milites, equites, ciues agricolas cogunt, castraque haud procul à Cæsare faciunt, sexaginta millia fuiße perhibentur. Erat acris hyems, fluminaque acuto gelu constiterant, & plaustris veluti continente transibantur, plerique frigore interierunt. Cæsar promouet castra, proxime hostes considet, copias pro castris educit, aciem instructam habet, vt si vellent Saxones prælio contendere, eis potestas non deesset. Quòd si pugnam detrectarent, castra expugnare decreuit. At Saxones castris suos continent, nec copiam dimicandi faciunt. Vbi hoc Cæsar intellexit, in castra suos, postridie hostium castra oppugnaturus, reducit Posteaquam id Saxones sensere, abiectis armis, excalceatique supplices in castra Cæsaris veniunt, veniam petunt, se peccasse confitentur, se cunctaque absque vlla pactione in fidem Cæsaris tradunt. Hainricus supplicibus gratiam facit, citra sanguinem tanto potitus triumpho Saxoniam perlustrat. Goslariæ conuentus agit, ius dicit, responsa legatis, vi ablata dominis, patrias leges Saxonibus reddit: eos ab armis discedere, pacem seruare sancit: oppidis præsidia subducit: portas vrbium, quæ metu belli hactenus clausæ fuerant, reserari iubet. Pacata itaque Saxonia, in Franciam reuertitur. Cæterùm Saxones abductis copijs metu & periculo liberati, authore Ottone, Boiariæ regno exacta, vniuersi rursus aduersus Cæsarem conspirant: castella eius præsidijs vacua de improuiso inuadunt, expugnant, diripiunt. Hercynoburgium, vbi Cæsarea gaza erat, supellectile regia erepta, euertunt. Templum, vbi mystarum virginum collegium erat, solo æquant, sacerdotes pugnis verberant, vestibus exuunt, in mortuos sæuiunt, sacra sepulchralia polluunt, liberum Cæsarianorum ossa effodiunt, per agros spargunt: Saxoniam frequentibus castellis muniunt, templis passim ignem inijciunt: cuncta incendijs, cæde complent. Principes vbi se dolo delusos esse à Saxonibus taliaque eos perpetraße accipiunt, vltrò Cæsari operam suam pollicentur, eundem ad vindictam concitant. Cæsar Gregorio VII. Pont. Max. crudelitatem, perfidiamque Saxonum aperit, postulatque vt pro se oret, & hostes Reipublicæ diuinæ prouidentiæ resistentes, contra Christianam religionem facere decernat. Gregorius interea Cæsarem ab armis discedere iubet se legatos missurum ad Saxones respondet.* CXXXIV. Missis interim literis ad Saxoniæ Præsules; vt ab armis cessarent: *Inter cæteras*, ait Gregorius, *curarum anxietates ea nos maximè solicitudo coarctat, quod inter vos & Henricum Regem, vestrum videlicet dominum, tantam discordiam, & tam inimica studia exorta esse cognouimus, vt exinde multa homicidia, incendia, deprædationes Ecclesiarum & pauperum, ac miserabilem patriæ vastitatem fieri audiamus. Qua de re Regi misimus, exhortantes, & ex parte Apostolorum Petri & Pauli eum admonentes, vt interim sese ab armis, & omni bellorum infestatione contineat, donec tales ad eum ab Apostolica Sede Nuncios dirigamus, qui tantæ dissensionis causas & diligenter inquirere, & annuente Deo, ad pacem & concordiam æqua valeant determinatione perducere. Atque itidem vos exoratos & Apostolica auctoritate commonitos eße volumus, vt ex vestra parte omni motione sopita, easdem pacis inducias obseruetis, nec aliqua occasione nobis cum Dei adiutorio astruendæ pacis impedimentum apponatis. Cum enim (vt scitis) nobis mentiri, sacrilegium; deserere iustitiam, animæ sit naufragium; neminem vestrum dubitare volumus, quin super hac re veritate discussa, quidquid æquum videbitur, prouidente Deo, decernere, & stabili pactione studeamus efficere. Et quamcumque partem iniurias & conculcatæ iustitiæ violentiam pati cognouerimus; illi procul dubio omni timore & respectu personalis gratiæ posthabito, fauorem & Apostolicæ auctoritatis præsidia conferemus. Dat. Rom. xiij. Kalend. Ianuarij Indictione xij.*

Apud Baron. n. 57.

Greg. sequester pacis inter Regem, & Saxones

Verum Cæsar, cui cognita erat ferocitas atque perfidia hostium, veritus nè inualescerent inimici, non committendum putauit, vt suos desereret, spatium ad vires augendas hosti crudelissimo concederet, CXXXV. bellum vitando aleret, & quod inferre posset, accipere cogeretur. Copias igitur ex omni Germania coegit, vt in eos moueret.

Sal. An. 1074. *LEGATIO PONTIFICIA AD HENRICVM CÆSAREM.* Sal. Ann. 1074.

Hoc tempore Legati Sedis Apostolicæ ad Regem venere. Honorificè susci-
Cxxxvi. piuntur, nam, ait *Lambertus*, Nuremberg perrexit, *obuiam Legatis Apostolicæ Sedis*. Erant hi *Agnes* Imperatrix *Henrici* mater, Episcopus Ostiensis, Episcopus Prænestinus, Episcopus Curiensis, Episcopus Comensis, *missi à Romano Pontifice componere si possent, multo iam tempore vacillantem statum Galliarum. Nec tamen cum Rege sermonem communicare sæpius rogati consenserunt, donec secundùm Ecclesiasticas leges pœnitentiam professus, per iudicium eorum anathemate absolueretur, pro eo quod propter venditas Ecclesiasticas dignitates simoniacæ hæreseos insimulatus fuisset apud Sedem Apostolicam. Pe-*
Legati prohibêtur Concilium habere. *tierunt itaque verbis Romani Pontificis legati, vt synodum tenere intra Gallias pace Episcoporum sinerentur. Vehementer hoc abnuerunt omnes Episcopi tamquam inusitatum, longèq; à suis rationibus alienum, nec se huius auctoritatis priuilegium vlli alij præterquàm ipsi Romano Pontifici, vnquàm delaturos affirmabant. Siquidem intenderat Romanus Pontifex, vt omnes Episcopos & Abbates, qui sacros gradus pretio redemissent, discussione habita deponeret; iamq; hac de causa Banbergensem Episcopum & alios nonnullos ab omni officio diuino suspenderat, donec coram venientes iniustum sibi crimen hæreseos digna satisfactione purgarent; & Rex quidem cupide hoc volebat odio Vvormatiensis Episcopi, & quorundam aliorum, qui eum bello Saxonus offenderant, quos hac calumnia inuoluendos, & dignitatis suæ detrimenta passuros spe certissima præsumpserat.*

Reuersis Legatis, cum Henrici humilia- Cxxxvii.
tum Gregorius agnosceret animum, & Pontificijs paratum parere præceptis, sequentes ad eum literas dedit, vt in 2. lib. ep. n. 30.

GREGORIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI Henrico Regi salutem, & Apostolicam benedictionem.

Ad Henricũ Regem Gregor. Papa. *Qvamquam, fili charissime causam Mediolanensis Ecclesiæ non ita composueris, quemadmodum litterarum ad nos missarum series, pollicitatioq; continebat; tamen quia Legatis nostris te beneuolum tractabilemque præbuisti, eorumq; interuentu quasdam res Ecclesiasticas laudabiliter correxisti, nobis quoque per eos congruæ salutationis, & deuotæ seruitutis exhibitionem transmisisti, gratanter accepimus. Sed & illud, quod piæ memoriæ Agnes mater tua Imperatrix Augusta apud nos constanter testificata est, ijdemque Legati Episcopi attestati sunt, simoniacam scilicet hæresim funditus de regno tuo extirpare, & inueteratum morbum fornicationis Clericorum toto annisu corrigere velle: vehementer nos hilarauit. Filiæ quoque nostræ fidelissimæ vestræ Beatrix Comitissa & filia eius Mathildis non modice nos lætificauere, scribentes nobis de amicitia, & sincera dilectione vestra; quod libentissime accepimus: quarum consilio, sed & persuasu dilectissimæ matris vestræ Augustæ ad hoc inducti sumus, vt has vobis litteras scriberemus. Quamobrem, licet peccator, memoriam tui inter Missarum solemnia super corpora Apostolorum & habui & habebo, suppliciter obsecrans, vt Deus omnipotens, & hæc tibi bona stabiliat, & ad profectum Ecclesiæ suæ ampliora concedat. Moneo autem te, fili excellentissime, & sincera charitate exhortor, vt in his rebus tales tibi consiliarios adhibeas, qui non tua, sed te diligant, & saluti tuæ, non lucro tuo consulant: quibus si obtemperaueris, Dominum Deum, cuius causam tibi sugerunt, protectorem propitiumque habebis.*

Gratitudinem etiam susceptæ legatio- Cxxxviii.
nis vt erga Imperatricem *Agnetem* profiteretur *Gregorius*, literas dedit sequentes.

GREGORIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI Agneti Christianissimæ Imperatrici salutem, & Apostolicam benedictionem.

Greg. Papæ ep. ad Agnetem Augustam. *Gaudemus & exultamus in Domino, quod lumen vestræ operationis ad nos vsque resplenduit, & fructus vestræ fatigationis, etsi non ad vota vestra plene cumulatus, Deo tamen ad laudem & gloriam, nobis ad lætitiam, vobis ad coronam perfectæ remunerationis excreuit. Neque enim nostra spes ideò coarctari aut submitti debet, si desi-*

 derium

Sal. An. 1074. *derium vestræ sanctitatis facultatem intentionis explendæ non habuit: quoniam apud Deum perfecit omnia, qui voluntatem gerens integram, quantum potuit, operari non desijt. Scimus equidem, quod pro pace & concordia vniuersalis Ecclesiæ multum laboratis, & omnia quæ Pontificatum & Imperium glutino charitatis astringere valeant, amplius quam dici possit, concupiscitis, & indefessa sollicitudine quæritis. Quorum quidem quod maximum est, & vnitati dilectionis coniunctissimum iam peregistis, videlicet filium vestrum Henricum Regem communioni Ecclesiæ restitui, simulque regnum eius à communi periculo liberari. Quoniam illo extra communionem posito, nos quidem timor diuinæ vltionis secum conuenire prohibuit, subditos verò sibi quotidie eius præsentia quasi necessitas quædam in culpa ligauit. Ad cetera verò quæ leuiora sunt, licet paupertatem vestram promptam esse non dubitemus: per fiduciam tamen quam in Christo habemus, gloriam vestram, vt iugiter tam sanctis studijs instet, propter reuelationem gaudij vestri, quodammodo exhortari impellimur, scribentes vobis, & sub omni certitudine notificantes, præfato filio vestra consilia, vestraque multum merita profuisse: & quam misericorditer eum diuina respiciat clementia, vestram adhuc beatitudinem cum gratulatione visuram esse. Hoc autem vnde & qualiter nobis compertum sit, cum vestram, miserante Deo, præsentiam viderimus, patenter indicabimus.*

De cætero sciat eminentia vestra, nos his temporibus pro causa beati Petri Apostolorum Principis in labore non paruo positos, & vestram in omnibus Beatricem, necnon & communem filiam nostram Mathildem diu noctuque in nostro multum adiutorio desudare, vtpote vos sequentes, vos sicut dominam & magistram discipulæ, fideliter imitantes. Per vos itaque nouum exemplum antiquæ lætitiæ, per vos, inquam, illæ mulieres olim quærentes Dominum in monumento, sæpè nobis ad memoriam redeunt. Nam sicut istæ præ cunctis Discipulis ad sepulchrum Domini miro charitatis ardore venerunt: ita vos Ecclesiam Christi quasi in sepulchro afflictionis positam, præ multis, immo pene præ omnibus terrarum Principibus, pio amore visitatis, & vt ad statum libertatis suæ resurgat, totis viribus annitentes, quasi Angelicis instructæ responsis, cæteros ad suffragium laborantis Ecclesiæ prouocatis. Vnde & reuelationem supernæ gloriæ & æternæ vitæ, quæ est in Christo IESV, non dubie expectabitis, & consortes mulierum illarum præsentia Saluatoris nostri inter Angelorum agmina pace perpetua fruentes, ipso præstante inuenietis. Quod autem de filia vestra Mathilde nos rogastis, gratanter accepimus, collaudantes sanctitatem vestram, quod tanta vobis de salute illius cura est; quæ quidem in vos omni desiderio & fidelitatis affectu cor & animam suam effundit, gloriam vestram, quasi gaudia propriæ salutis exposcit. Ac nos quidem pro ea libenter oramus, & licet orationes nostras, nostra Deo parum commendent merita: suffragante tamen pietate Petri, cuius serui sumus, eas in conspectu Domini non omninò vacuas esse confidimus. Vestram igitur commendationem digna veneratione suscipientes, itidem vos, vt illius & nostri memoriam in vestris rogamus orationibus faciatis, & mutuis nos apud Deum iuuemus intercessionibus: quatenus hic in Christo connexa charitas vnam & communem nobis in regno patris nostri, ipso præstante, sedem pariat & lætitiam. Datum in expeditione ad Sanctum Flauianum xvij. Kal. Iulij, Indictione xij.

Non defuere tamen calumniatores, qui *Gregorij* & *Mathildis* calumnijs peterent innocentiam. Quia hæc, viuentem maritum *Godefredum Bibbosum*, & Lotharingiæ ducatum gerentem, ipsa patrij soli amatrix, quasi diuertisset à viro, prosequi nollet abeuntem; Post mortem verò Romani Pontificis, lateri penè comes indiuidua adhæreret, eumque miro coleret affectu, *euadere non potuit*, ait Lambertus, *incesti amoris suspicionem (passim iactantibus Regis fautoribus, & præcipuè clericis, quibus illicita & contra Scita canonum contracta coniugia prohibebat, quod die, ac nocte impudenter Papa eius volutaretur amplexibus, & illa furtiuis Papæ amoribus præoccupata, post amissũ coniugem, vltra secundas contrahere nuptias detrectaret, sed apud omnes, sanum aliquid sapientes, luce clarius constabat, falsa esse, quæ dicebantur. Nam & Papa tam eximie, tamque Apostolice vitam instituebat, vt nec minimam sinistri rumoris maculam conuersationis eius sublimitas admitteret, & illa in Vrbe celeberri-* CXXXIX. Rumor contra Papã, & Mathildme.

Sal. An. 1674. *berrima, atque in tanta obsequentium frequentia obscænum aliquid perpetrans latere nequaquam potuisset. Signa etiam & prodigia, quæ per orationes Papæ frequentius fiebant, & zelus eius feruentissimus pro Deo, & pro Ecclesiasticis legibus satis eum contra venenatas detractorum linguas communiebant.* CXL.

LATERANENSE CONCILIVM. Sal. Ann. 1074.

CXLI. INterim lustrata Campania, Gregorius Romam repetit; & pro reformanda Ecclesia conuentum agit Mense Martio, in Basilica Lateranensi, interuentu *Mathildis*, & *Gisulfi* Salernitani Ducis. In Clericos, qui à laico Ecclesiæ inuestituram acciperent, vel darent, anathema est sancitum. In eosdem, *qui vxorem ducerent, qui ductam non dimitterent, deponendos esse, Synodus decreuit*. (Celibatus) Hoc decreto per Germaniam vulgato, clerici cõsternati, omnis generis in Gregorinum fixere conuicia, cum Apostolo repugnare arguentes, apud quem legimus *Qui non potest continere, nubat. Melius est nubere, quam vri*. Vnde cœlibatum, qui fornicationi valuas aperit, vel non accepturi, vel sacerdotia potiùs, quàm coniuges dimissuri. Nihilo secius iactabat *Gregorius*, & in Episcopos, nisi decreta sua exequerentur, se notione Apostolica animaduersurum, minabatur. CLXII. Ob eam rem *Sigifridus* Archiepisc. Mogunt. qui sacrorum in Germania Principatum tenebat, tantam rem agere ingressus, cum precibus singulos solicitasset, vt ad quod faciendum cogi poterant, id vltrò suscepisse videri vellent, neque æqui aliquid impetrasset, tandem Mense Octobri Erfordiæ conuentu acto, eos vrgere acrius institit, vt se aut Sacerdotio, aut coniugio abdicarent. Quod ægrè adeo passi Episcopi, vt secessione facta, tamquam ad consulendum, consilium inirent, vt in Synodum non redeant, sed iniussi omnes in domos suas discedant; (Rumor in Germania aduersus cœlibatū.) vel in Synodum regressi, ipsum Episcopum priusquàm execrabilem aduersus eos sententiam promulgaret, Cathedra Episcopali deturbarent; & merita morte mulctato, insigne monumentum ad posteros transmitterent, ne quis deinceps successorum eius, talem sacerdotali nomini calumniam struere tentaret. Quo cognito, Archiepiscopus subitò conuentum dimisit, ac se cum Pontifice, vt aliquid de sententia remitteret, acturum ostendit. CXLIII. Mediolani pariter *Erlembardus* decreto accepto, eò ac hementius furere, atque in clericos sæuire, liberiusq; *Henrici* edicta cœpit despicere: Vnde in Cęna Domini oleũ consecrari per *Gothifredum* prohibuit, atq; aliud ipse suppeditauit. *Lãbertus*, & ab eo *Sigonius*.

EXPEDITIO HENRICI IV. ADVERSVS HVNGAROS. Ann. 1074.

CXLIV. IN solium, restituto *Salomone* paternum, Germaniam repetit Imperator. Eum postquam *Geysæ* ac *Ladislao* abijsse, significatur; haudquaquam rem differendam rati, cum Polonicis copijs regnum repetunt. *Salomon*, scribit Bonfinius, (Decad. II. lib. 3. p. 206. n. 40.) *nondum satis expertus, audito aduersariorum aduentu, vt in tutiore se loco collocaret, Morouiensem vrbem petijt pro loco ac tempore munitissimam. Pontifices ac Sacerdotes ne fraterna bella vltro conspicarentur, se inter vtrosque medios ingerunt. In primis Desiderius Episcopus vir non minus probitate, quam eloquentia potens, cum magno Sacerdotum ordine Geysã adit. Ad pacem & concordiam tanta dicendi copiam, ac orationis vehementia & suauitate hortatur, vt ad reconciliationem inclinarit.* (Pax Salomonis cũ Geysa.) *Fœdus inter patrueles fratres hac conditione ineundum persuasit, vt Salomoni quamuis iuniori, regno cederet, & veluti legitimo Regi pareret, ipse verò paterno Ducatu potiretur. Huius monitis precibusque victus Geysa, vnà cum fratre Ladislao Salomoni se reconciliat. Fœdus inter eos solemne ictum, mutuoque iuramento munitum*. Pax & concordia inter *Salomonem* & *Geysam*, tredecim circiter annos perdurauit, onusta victorijs, & hostium opimis ditata spolijs. CXLV. In diuisione prędæ, quam ex Alba retulerant, initium discordiæ suboritur; & nominis fama, quæ clementiam *Geysæ* conciliauerat; vt *Salomoni* inclementiam, Regem concitauit, & maiora in dies, discordia & simultati incrementa recepit. (Discordia.) *Quippè Græcorum Imperator*, Subiungit Bonfinius, *audita Ducis Geysæ liberalitate & clementia, fœdus cum eo per internuncios init. Quare omnes, qui ex arce deditionem fecerant, à Geysa dimissi sunt.*

Con-

Sal. An. 1074. Contra à Salomone, quicumque ad eum supplices venerant, violato iure deditionis in captiuitatem asserti. Salomon quum longe maiore apud externos Principes gratia Geysam, quàm se pollere intelligeret, inuidia percitus, eo magis excanduit. Accedebat Vidi perniciosa suasio, maledicentiaque lethalis, qui crebris suspicionibus, vtriusque animos irritabat. Augebat discordiam, & vt patruelem fratrem è medio tolleret, quotidie hortabatur, illud semper obijciens, neque regnum duos capere, neque vaginam geminos enses continere. Neque Maiestatem & Amorem, in vna sede residere posse, vnum Solem, & vnum (vt aiunt) Iouem homines intueri. Ad hæc dicere, nihil regno suspectius, nihil homine ambitiosius esse, ingenitam esse cuique imperandi cupiditatem. Comparatumq; imperium neminem alteri, immo ne filio quidem concessurum. Et accidisse sæpissime, filium in patrem, contra, patrem in filium, regnandi gratia coniurasse.

CXLVI. Item Regem auctoritate, gratia, opibus & copijs præpollere, ijsdemque verbis ac varijs criminibus suspicionem quotidie Regis augebat. Itaq; tanto magis his irritamentis Rex æstuat, & non magis odio, quàm inuidia vexatur. Fluctuabat in dies animus, & quas potissimùm commentaretur insidias, impensiùs inquirebat, liuorem odiumque dissimulat, ostentat fraternam charitatem. Postulato commeatu, lubentissime Geysam & Ladislaum, oppida & pagos ditioni suæ dicatos reuisere permisit. Ex dedita non multò pòst industria, fratrem vtrumque literis accitum, ad capiendum Græcorum oppidum quod Nyr Vngari nominabant; proficisci iubet, vt pristinas Græcorum iniurias, qui cum Bulgaris Pannoniam inuaserant, vlciscerentur. Quod eo consilio à Rege fiebat, vt ambos in tempore caperet, aut quibusuis insidijs circumueniret, contrà illi, sibi præcauere, nihilominus imperata facere. Ladislaus cum maxima parte ad oppidi obsidionem proficiscitur, Geysa cum cæteris Regem sequitur, ratus (sicut euenerat) Salomonem nunquam alterum sine altero inuasurum, quod si faceret, Ladislaum absentem, vim fratri illatam cumulatè vlturum. Postquam ad Nyr peruentum est, oppidani se largitionibus, & pretio redemere, appensaque multa pecunia hostem amouere. Ad Cenen deinde vrbem reditum est, vbi corpora curarunt: mox inde profecti, alter ab altero diuertere, Rex Strigonium versus contendit. Geysa Ladislaum præmonet, ad declinandas Salomonis insidias, ex oppido; quod Byhor appellant Vngari, in Roxanos, quo Rutenos Rossiosve nunc dicunt, è vestigio proficiscatur, eorumq; amicitiam auxiliumque, ad cohercendam Regis iniquitatem, ac dolos imploret, demum quæcumque ad tuendam salutem ac dignitatem facerent, summo studio moliatur, & curet. Interea agnatorum discordiam Principum rumor passim effuderat, & ita sæuæ vtrinque suspiciones emerserant, & assiduis mussitationibus augebantur, vt hinc & hinc ad fraternum bellum copiæ compararentur. Iam dum omnia fluctuant, Pontificum quorundam opera, ad sedandam discordiam nuncij intercedunt. Hoc primùm conuenit inter eos, vt colloquij diem, in Danubij insula, prope Strigonium præstituerent, vterque octenis tantùm Episcopis associatus, ad colloquium veniret inermis. Ex composito ad statum diem venere ambo, vbi multa vltrò citroque obiecta, & confutata crimina, magna in purganda suspicione interiecta contentio. Tandem redintegrata pace reconciliantur, Geysa in Ducatum, in Albam regalem Salomon se recepit. Post hæc in obsidum speciem, & Rex Vidum, dissensionis seminarium, ac Dijs & hominibus abominabilem, & Erneum mansuetum, ad Geysam misit, qui diligenti apud eum custodia, præ timore proditionis seruabantur. Contrà Dux ad Regem, Varadiensem Episcopum, sceleratissimumque Vatham legauit, qui pari apud eum diligentia custoditi. Sed quum Salomon accepisset, tres è Noricis & Vindelicis Duces propediem adfuturos, qui ipsius precibus exorati, promissa aduersus Geysam auxilia ducebant, è Megyero pago mouens, extemplo ad Rapczhan amnem his obuiam occurrit. Contra verò Geysa, quum neque Ladislaum fratrem præsentem, neque parata amicorum auxilia tunc haberet, dato sex mensium commeatu, Vidum, Erneumque dimisit. Rex quoq; Varadiensem Episcopum, & Vatham pari missione donauit, vtrorumque commeatus à festo die Diui Martini, ad Georgij vsque anniuersarium prorogabatur. Salomon proxima Saluatoris natalitia eo tempore, ad Castellum geminum (vt aiunt) celebrauit. CXLVII. Mox Zalam venit, vbi Marcarthus Alemannorum Dux, & Vidus, prauis

Sal. An. 1074. uis Regem consilijs circumueniunt. Hortantur enim vt Geysam omni auxilio carentem adoriatur, neque commeatus terminum, & quasi induciarium initium præstoletur: quando Ladislaus abest, & ipse sine copijs est, contrà Regi omnia abundè suppetunt, adsunt Alamannorum auxilia: quòd si hanc commodissimam occasionem elabi patiatur, nunquam aliam affirmant similem esse nacturum. Verùm quum Rex Saxardiam venisset, in cœnobiumq; diuertißet, ad vespertina sacra, Vidus iterùm, & plerique alij eum circumueniunt, consuluntq; Geysam euestigio adoriatur, neque rem differat, quando Ladislaus frater eius in Ruteniam, & Lambertus in Poloniam, impetrandorum gratia auxiliorum properarant, vt regnum inuaderent, sibique tyrannidem occuparent. Demum precibus ac monitis Regem adurgebant, Ducem in Giuanensi sylua venantem, omni præsidio & custodia destitutum, ac incautum aggrediatur, & capiat, captumq; excæcet. Ladislaum & Lambertum, quum redierint, fraterno casu consternatos, vltrò fugam eße arrepturos, ne minima quidem parte aduersaturos, etiam si auxiliares copias abduxerint. Deinde ademptum Geysæ ducatum, Vido fideli consiliario addicendum. Quare nulla firmiora regno fundamenta iaci posse asseuerabant. Rex consilio tali haud parum allectus, ad matutinum vsque se cogitaturum esse respondit. Monasterij antistes, Latinus genere, cui Villarino nomen erat, ex abdito loco dicta cuncta perceperat, ad Geysam clam nuncium mittit, vt sibi ipse caueat, tensarum insidiarum admonet. Dux accepto nuncio, sibi à Rege timere cœpit. Quod vbi Petrudus, Zunuchus & Bichas sensere, qui proditionis causa apud eum versabantur, continuò iniectas suspiciones dissuadere, nihilque timendum asseuerare conantur, antistitem ebrium dicere, & crapula distentum, tunc ista scripsisse. Proinde omnem metum amouere, vt securum & incautum Salomoni proderent. Horum aliquantisper dictis ille confisus, dum in sylua, quam Giuam dicunt, venatur, suscitata suspicione caruit. Vir tamen circumspectus, ne qua imprudentia caderet, Ladislaum è Rutenia Ruxiave nuperrimè sine auxilijs reuersum, in Boemiam mittit, ad Othonem Bratislai, & Conradi fratrem, de quibus suprà scripsimus, vt aliquas ab eo copias, defensandæ salutis gratia imploraret, & hoc potissimùm tempore, quo non pro dignitate, sed vita cogitur dimicare. Salomon autem, qui ad matutina sacra consulendi spacium postularat, & responsa promiserat, antequam ædem iniret, antistes, qui Geysam cœnobij fundatoris filium vnicè diligebat, protegendæ salutis gratia, anticipato tempore, in ædicula quadam delituit, vt tanquam è specula, Regis responsa exploraret, ne quid in amicum intenderetur, quod ille inexploratum haberet. Matutinis igitur sacris ritè peractis, Salomon, & Vidus tantùm ad magnam aram in æde remanserat. Rex ista respondit, Se Vidi consilium commodum & salutare omninò sequuturum. Quod vbi antistitis hausere aures, extemplo sacro se habitu exuit, sagum subit, & lateri gladium accingit, conscenso equo ad Geysam, quem dormientem offenderat, euolauit. Eoque experrecto, Fuge (inquit) fuge Geysa, crudeles terras desere, iam dudum Salomonis copiæ hic aderunt, vt te capiant, obtruncentve: quod ni feceris, iacebis. Dux audito periculo, quàm ocyssimè cogit exercitum, in Boemiam, quo frater paulò antè contenderat, euadere nititur. Sed Rex Vidi suasu, cuius consilio cuncta gerebat, obuiam occurrit, vt eius fugam intercipiat; citra Rex, vltra Tibiscum amnem Dux agebat agmen, cui in Chemeiensi agro, à regio equitatu protinus occursum. Interea cohortum turmarumque Ducalium præfecti, ad Salomonem literas mittunt, seque conserta pugna à Duce defecturos, & victoriam parituros pollicentur, si integram apud eum dignitatem gratiamq; consequantur. Rex vincendi causa, adiecto etiam iuramento, postulata omnia pollicetur, & maiora, si promissa præstiterint. Quod vbi factum est, exploratam sibi victoriam ratus, Tibiscum quem Titiam appellant, obdurata glacie sanè constantem, omnes sicco pede traijcere iubet. Transmisso amne, ad proximam Basilicam in Nogiano agro sitam, aciem instruit, vt aperto cum Geysa marte depugnet. Petrudus & Bycas ex composito, cum triplici agmine, à Duce deficiunt. Dux tamen à suis destitutus, necessitate adactus prælium detrectare non audet, & vno tantùm validissimo, eodemque quadrato agmine, aduersus triginta regia obstare non recusat. Proditores qui de-

Sal. An. 1674. *defecerant, ex composito data signa faciunt, clypeos eleuant in deditionis speciem, inclinatum tamen Geysam sequuntur. Regiæ verò acies, quæ signorum commonefactæ non fuerant, eos haud aliter ac cæteros inimicos persequuntur, pariq; ferocia proterunt, & ad internecionem vsque trucidant, vt meritas proditionis pœnas luant, quod Diuino quodam iudicio factum omnes arbitrantur. Geysa profligato exercitu suo terga vertit. Transmisso Tibisco in Chotoydum agrum aufugit. Georgium Nigrum peculiaris ædiculæ sacerdotem misit, qui Ladislaum suo nomine ocyssimè redire iuberet, imminentisque periculi causam enarraret. Iuancam quoque haud parum literatum ad Lambertum reuocandum concitauit. Et quum Vaciam contenderet, Ladislaum & Othonem è sorore affinem cum validissimo auxilio properantem offendit. Quos quum vidisset, in lachrymas statim effusus est. Quum fidelium interitus, proditorum scelere commissus, tunc sibi succurißet, facinorosum perfidiam incusabat, & ab ingenti dolore magnam lamentorum materiam educebat. Ladislaus, contra præstanti virtute munitus, modò fratrem consolari, modò fœmineos vlulatus seueriùs increpare, magnanimitatis, patientiæ, ac fortitudinis admonere. Item dicere, Diuinam potiùs clementiam exorandam, vt iustis faueat, superbosque deprimat. Et quando potestas omnis à Deo est, definiendam Diuino iudicio controuersiam præstoletur, atque ita fratris animum confirmare. Prælium hoc ab ineunte vere, paulo ante quadragesimale ieiunium, in Cemeyensi agro gestum, vbi alterum ab Opo Martini filio, ex Vecillini genere nato, præclarum facinus patratum memorant: quippe qui Petrum, Geysæ equitem audacissimum singulari certamine, traiecto pectore superauit. Mox in cæteros vsque adeo sæuit, vt facto virtutis suæ periculo, totus cruore madidus videretur. Salomon victoria potitus, stantem, rigente bruma, Tibiscum traiecit, in Toroydumque pagum properauit, ibique filij Petri hospitio vsus est. Atque statim nunciatum Geysam Ladislao, & Othoni Boemiæ Duci, cum auxiliaribus copijs aduentantibus, occurrisse. Vidus tunc regem adit, monet, quum inimicorum exercitum profligarit, primores ceciderit, terroremque incusserit ingentem, nil amplius ei reformidandum. Geysam ad extrema redactum, sollicitasse seruitia, pagatim rusticos coegisse, vt ex hac ignobili manu castra repararet. Proinde haudquaquam cunctandum, reliquias inimicorum proterendas, ne quid à scintillis incendij suscitaretur. Demum Boemorum auxilia, quæ aduenerant, se cum Bachiensi legione profligaturum pollicetur. Dum hæc à Vido, dissensionis auctore, disseruntur, Erneus, vnus è proceribus, vir optimus iudicatus, & amator pacis, lachrymas effundit. Quem vbi Salomon lachrymantem conspicatur, En (inquit) adhuc Geysa beneuolentiam dissimulare nequis Erneus, neque meam æquis victoriam oculis spectare potes. Ad hæc ille, Nequaquam (inquit) domine, sed quis fratrem cum fratre, cum filio patrem, & ciuem cum ciue hostili more dimicantem, sine lachrymis intueri potest? Tu autem Vide, ne commodè quidem ac fide Regi regnoq; consulis, quando fraternum, cognatum, & ciuile bellum non modò approbas, sed suscitas, & incendis. Agrestem messoriamque manum in nos coactam iactas, quæ multo plus quandoque metit, quam cæteri omnes colligere queant. Proinde mihi pro Rege, quum res ita tulerit, vltrò mori certum est, quid ipse facturus sis, nescio. Sed reconciliationis pacisque consilium multò salutarius inire possemus. Iisdem fermè temporibus, Iadrenses à Venetis ad Salomonem planè defecerant, à Petro Vrseolo primùm capti, sed à Dominico Contareno, properata claße mox recepti, ne cæteræ Dalmatiæ Vrbes ad Vngarorum fidem sese reuocarent. Rex igitur Vidi consilio fretus, motis castris, in campos præter Danubium Pesthumq; diffusos, vbi comitia regalia haberi solent, quos à cancrorum nomine, Racos appellant, quarto die descendit. Contra Geysa, Ladislaus & Otho in syluam, vbi Vacia nunc est, contendere, quæ viginti milibus passuum hinc aberat. Magnum quondam ibi nemus fuiße aiunt, ab vno tantùm Eremita habitatum, cui Vacio nomen erat. Hic humanæ vitæ miseriam abominatus, veraque resipiscentia percitus, in solitudinem istam se receperat, quo saluti suæ commodius, ac tutius inseruiret. quare virum sanctissimum euasisse, ac Geysam victoria deinde potitum, locatam ibi cum Basilica ciuitatem, ab eo Vaciam nominasse ferunt. Quam in hac sylua, Ladislai ac*

Gey-

Sal. An. 1074. Geysæ copiæ constitissent, ibique Duces concilium haberent, vbi nunc Diui Petri ædiculam esse vidimus, atque de ineundo cum Salomone prælio disceptarent, ecce Ladislaus, quem Deo charissimum successus ostendit, CXLVIII quum Angelum delatam è cælo coronam, fraterno capiti imposuisse aspexisset, Vidistine frater (inquit) quo te honore benignitas Diuina honestauit, & quàm dextris nunc auspicijs victoriam portendit? Cælestis dudum è cælo internuncius aureum tuo capiti diadema deposuit. Proinde bono nunc esto animo, quandoquidem propitia sunt nobis Numina, neque fides nos nostra fefellit. Salomonem insolentia sua furentem fundemus, ac fugabimus, regnoque cedere cogemus. Contrà verò Geysa, Sic Deus omnipotens, in cuius manu sunt omnium iura regnorum prodigia ista confirmet, quæ tuis tantum oculis patuere, quando te tua pietas & religio augurem præstitit Diuinæ voluntatis exploratissimum. Quòd si tua te auspicia frustrata non fuerint, nunc Diuæ Genitrici vota ritè suscipio, me rerum potitum, celeberrimam hic Basilicam exædificaturum. Vix hæc dixerat, quum vexilla tolli iussit, & in villam proximam moueri castra, quam Zynthkotam vocant, vt postero die cum Salomone congrederetur. Inter vtrumq; Moniorodus mons assurgebat, quem vbi superassent, manum statim cum hoste conserere decreuerant. Sed imminente nimia nubium obscuritate, remorati, neque montem superarunt, neque pugnæ se commisere, in sequenti nocte, in sua quisque statione permansit, hostem expectans. Illucescente die Salomon instructa acie montem ascendit, seque è vertice inimicis ostendit. Quin & clitellarijs mandauit, in iugo montis præsiderent, vt non impedimentorum gratia, sed præsidij loco ibi constituti eße viderentur. Ad hæc Vidus sæpè iactabundus, Regi affirmabat, hostes vbi regia castra viderint, continuò fugituros. Contrà Ladislaus, & Geysa, qui suberant, planiciemque tenebant, vbi Salomonis copias suspexere, aciem prima hora diei, prout res ipsa tulerat, diligentius instruere. Ladislaus sinistrum, Otho dextrum cornu tenere, Geysa in medio se statuere, munire fortissimo præsidio quanque aciem. Ex Bihoriensibus Ladislai legio, Geysæ verò, ex Nitriensibus constabat. Diuo Martino Ladislaus ante initam pugnam, ædem vouit, si eius numine fretus, victoriam assequeretur, votoque potitus, haud ignobilem fundauit. Quum descendente in certamen Salomone, istorum exercitus præstantior videretur, Erneus hic Vidum dictis aggreditur, Quonam hostes nunc, Vide, fugiunt, quos nostrum præ formidine conspectum minimè toleraturos eße iactabas? Si timent, cur à tergo Danubium habere non verentur? Sed longè aliter ac blatteras, res ipsa se habet, nimirum quando talem sibi locum optarunt (mihi crede) hos aut victuros, aut ad vnum morituros omnes, quum nullam sibi fugæ potestatem reliquerint, tandem decreuiße. Vidus ad hoc, temeritatis & insolentiæ conscientia correptus, obticuit. De Ladislao prodigium referunt, à viri sanctitate non absonum, quippe qui quum equum apprehensa lancea conscendisset & vertisset in gyrum, vt & oratione & exemplo, militum animos confirmaret, veprem fortè inter flectendum hasta tetigit, cui quum mustela candidißima insedißet, veluti imminentis victoriæ nuncia, per hastam in ducis gremium gratulabunda delabitur. Spectate (inquit) hæc signa socij, quæ præsentem nobis victoriam portendunt. Sed Diuina nos tutela dimicamus, quia pietatem cum religione colimus, Vngaricamq; gentem à Germanorum seruitute liberare conentdimus. Salomonem delatoribus prauisque consultoribus obnoxium, in officio retinere nequimus. Egestatem, errores, exilium, ac difficillima quæq; pertulimus, ne cognato sanguine manus inficeremus. At vbi Germanorum consilijs, malè nobis, ac regno consultum iri vidimus, vnà cum publica salute, nostram quoque tueri enitemur. Pijs animis nunquam Diuina numina defuiße nouimus, quæ nobis Iesu Christi Optimi Maximi benignitate, per quam propitia eße scitote, atque id ex candidissimæ mustelæ prodigio exploratum habete. Proinde fortissimis dimicate animis, & ex auspicato instantem victoriam capessite. Me autem recipio, si Deus annuerit, ita hodie pro regni commodo, & salute pugnaturum, vt aut victorem ducem, aut inter confertissimos hostes pulchrè occumbentem spectaturi sitis. Mox dicto celeriùs pugnæ signum dari iubet, ipseque in primis magno impetu in hostem fertur, quod vbi videre milites, pari quisque ferocia certamen

Sal. An. 1674. *adoriuntur. Otho Boemorum Dux, qui in dextro cornu præsidebat, haudquaquam minore impetu pugnam conferit. Salomon, qui è monte in campum descenderat, in sinistro cornu Vidum cum Bachiensibus, in dextro Erneum, se cum validissima acie in medio collocarat. Conserta manu, Boemicus miles in Vidum vehementi vsque adeo impetu fertur, Othone Duce, vt iactabundum Regis Comitem, aliquantisper obstare conantem inclinarit, inclinatumq; cum Bachiensibus, adauctis mox animis, insigni strage fugarit. Quod non immeritò, omnium iudicio, obtigisse visum est, vt qui fraterni execrabilisque belli auctor fuerit, primus ipse pœnas expenderet. Ladislaus ingenti pietate ductus, dum fratri Geysæ admodum timet, ex industria, signa cum illo commutarat, ratus vt acciderat, Salomonem in primis Geysæ Ducis agmen, extremis conatibus inuasurum, quem paulò antè deuicerat, taliq; successu fretum, cæterorum facilè victoriam assequuturum. Quare fraternæ saluti intentus, omnem belli impetum in se conuertit. Neque consilio suo frustratus est, Rex enim extemplo prospectis Geysæ signis, maximo furore in eius aciem fertur, sperans superatum quandoque hostem facilè inclinaturum. Vix ipse manum conserere cœperat, quum sibi non cum Geysa, sed Ladislao viro fortissimo ac inuictissimo rem esse intellexit, & commutata vexilla nouit. Continuò spe sua falsum se intelligens, cum formidoloso vsque adeo Duce haudquaquam dimicandum esse censuit, immo agmen aliò diuertendum, vbi melior successus iam sperari posset, quare dato tergo, in Geysam repente se conuertit. Quum Ladislaus præ sui formidine Regem alio declinasse aciem conspicatur, euestigio eum insequitur, instat à tergo, à fronte Geysa obstat, inter duos fratres se redactum Salomon intellexit. Et quamuis à fronte cum validissimo agmine pugnaret, à tergo tamen grauiter cædebatur. In his angustijs collocato Regi nil aliud succurrebat, nisi vt pro se quisque ad mortem vsque fortissime dimicaret. Quum nullus declinandæ pugnæ exitus videretur, victoriam hosti nequaquam incruentam esse relinquendam reputabat. Ingens interea Alamannorum cædes editur, & non parua Italorum manus cum his pariter oppetere cogitur: quæ ne inulta mori videretur, non paucos ex Vngaris trucidauit. Ad postremum Salomon, cæsa maxima parte suorum, reliquaque capta cum paucis elabitur, ad Zygethsiensem vicum fugiens, Danubium traijcit. Opo Martini filius, ab eius latere non discedit. Tandem in Mosouiensem agrum se recepit, vbi coniugem ac matrem esse nouerat. Ladislaus ac Geysa, cæteris partim cæsis & captis, partim fusis, à secunda hora diei ad serum vsque Regem insequuntur. In hoc prælio non solùm ex Alamannis & Ialis, verùm etiam ex Vngaris, magnus desideratorum numerus fuisse traditur: quin & victores, qui superfuerant, magna ex parte vulnerati. Pius autem Ladislaus insigni victoria potitus, vbi aliquantulum sese collegit, & eorum qui ceciderant, corpora lustrauit, in profusissimas lachrymas conuersus est. Dum secum reputat, omnes qui ceciderant, in Christo fuisse fratres, deplorabat exercitus vtriusq; casum, & fortunæ potestatem incusabat, in primisq; humanam stultitiam, & huiusce seculi cæcitatem detestabatur, quum nemini pacem & quietem sperare liceat. Nam qui ad regnandum nati sunt, debita sibi regna sine multo sanguine & periculo capessere nequeunt: qui verò ad seruiendum, quotidianis insidijs à debitis obsequijs subducuntur. Hanc miseram mortalium vitam, perpetuam procellam esse affirmabat. Illudque vociferantius sæpius ingeminabat, Huc me, meumque fratrem necessitas adegit, vt sine fraterno bello neque dignitatem, neque paterna bona retinere possemus, nullasq; sedes formidolosiores nobis, quàm auitas haberemus. Tantum malorum apud patruelem valuere consilia, & iniecta suspicio, vt nihil ille miser, exitio nostro reputaret antiquius. Quin & tam iniquam inieuerat opinionem, vt tutiorem se cum exteris, quàm suis reputaret. O miserum Salomonem, malis vsque adeo consilijs obnoxium, vt nihil fraterna charitate detestabilius arbitraretur. O nos longè miseriores, quibus non tam pro asserenda vita & dignitate nostra, quàm regni libertate certantibus, manus à nostro sanguine abstinere non licuit. Atque me præ cæteris dixerim infelicem, quem ad Diuina ministeria natum & euocatum, fraterna charitas & regni ratio remoratur. Vtinam mihi pro his omnibus mori obtigisset, & pro publica salute deuouisse caput, aut pro sceleribus omnium vltimas pœnas exsoluisse. Nimirum Ladislao nil hoc laudabili ac salutari fato acci-*

Sal. An. accidere potuisset optatius: ne me quidem patruelis odium, & fraternus amor ad hauriendum cognatum sanguinem protraxisset, nisi protegendum esse fratrem, eundemq; futurum regem, suis auspicis Diuina benignitas admonuisset. Quod si nefario bello mihi pugnandum fuisset, maluißem profectò etiam mori, quam certasse cum meis, & parui diuina monita & mandata fecisse. Tu autem clementissime seruator mundi, qui omnia mortalium facinora sanctissimo tuo sanguine expiasti, & ex corde preces supplicantium non aspernis, omnium qui hic oppetiere fidelium animos, maculis omnibus exue, ac perlustra, culpas dele, & ob sanctissimæ mortis tuæ memoriam, hos ab æterno interitu redime: priusq; me peccatorem maximum, & huiusce cædis auctorem, quàm hos qui ceciderunt, ex libro vitæ dele: quod vt impetrem, & tua ineffabilis in nos charitas, effususq; in cruce sanguis, & magnæ Deæ pientissimæ Genitricis tuæ exoratio, ac patrocinium efficiat. Ast vbi satis ploratum & conclamatum est, cuncta cadauera ritè sepelienda curauit, iusta cuique pro dignitate, ac votam Diuo Martino ædem in Monyorod, adiectis hostium exuuijs, exsoluit. Prouentus quoque non mediocres adiecit, quibus assiduæ mortuorum celebrarentur inferiæ. E captiuis Marchardum Teuthonum, & Sentepolugum Boemorum præfectum, cæso vtriusq; equitatu, ac ipsos letali vulnere saucios memorant. Ne illa quidem Ladislai pietas silentio præteriri potest, quum enim porrecta humi cadauera obequitaret, ne quem sui officij relinqueret expertem, vbi inter confertos hostes iacentem Erneum agnouit, non mediocrem pacis & ocij amatorem, equo repentè desilit. Cruentumq; eius caput amplexatus, osculatusque miserabiliter, Hiccine iaces (inquit) Erneu, amator pacis, & fraternæ concordiæ, publicæq; salutis assertor vnice? Non hoc probitas, non æquitas tua merebatur. Pacem, quam in hac vita non inuenisti, in altera benè merendo & moriendo comparasti. Cecidisti Erneu, cui probitatis iure viuendum erat, & longè maius hostibus, quàm amicis tui desiderium reliquisti. Eo vehementius tuum interitum deploramus, quo ardentius pro communi concordia priuatim, & publicè contendere consuesti. Multa demum conquestus miserabiliter super eum, postquam pietati factum satis ar-

1074. [left margin]

bitratur, de sepulturæ honore cogitat. Quare continuò eius mandato, succollantibus Ernei corpus militibus, eò delatum, vbi nunc Vacia est, ibiq; honorificè sepultum. Paulò vlterius inter cadauera agnoscenda victor ipse prodierat, ecce à latere, Vidi corpus offertur, non modò pectore, sed capite saucium. Quod vbi est agnitum, doleo equidem, ait, morte tua Vide, quamuis inimicum in nos animum nunquam dissimulasti. Vtinam tibi vltrà viuere licuisset, vt post resipiscentiam nos Salomoni reconciliare potuisses. Verùm si mortuos quandoque percontatione vexare fas est, nimirum illud mirantur omnes, si non regio nobiliue genere natus es, cur dominatum, ac regnum aliquod affectasti? Cur anhelasti coronam regiam, & supra conditionem immodica libidine æstuasti? Quare, vt quodque peccans, præsentaneam sibi pœnam esse sentiat, cor tuum nimia ambitione saucium; adacta lancea pœnas luit, caputque diadematis auidissimum, ne legitimo supplicio careat, gladio scissum est? His dictis, ritè sepulchro condi iubet, at equites, quicunque aderant, & infensum cadauer spectabant, vtpote cuius consilio tot fratres & filij occubuissent, ira perciti, in id sæuiunt. In patefactum pectus, sæuoq; militum ludibrio propositum, puluerem obijciunt, eoque oculos opplent exclamantes, Nunquam Vide, tui oculi honoribus ac donis satiari potuere, coniecta nunc terra, auidum pectus & lumina exple. Otho Boemorum Dux, qui affinitatis iure, auxiliaribus copijs Ladislao fratrique subuenerat, abundè donatus, in Boemiam redijt. Salomon autem turpiter victus, ac regno ferè eiectus, quum in Masouiensem agrum confugisset, & sapientissimam matrem adijßet, ab ea repentè dura increpatione correptus est. Huccine, fili, parentis tuæ consilia aspernatus (inquit) peruenisti? Ad has te miserias, perniciosa Vidi consilia redegerunt, vt regio fastigio deturbatus, cæsis tot cohortibus, equitumq; turmis, solus, ac vno duntaxat Opo comite, egenus rerum omnium, nusquam tutum tibi locū inuenias. Si pientissimæ matri ac Erneo, cæterisq; fidelissimis olim credidisses, quietè tutoq; regnares, non minus obseruatus, quam amatus ab omnibus. Si Ladislaum & Geysam patrueles tuos, vt par est, cum dignitate seruasses, dominatuque legitimo donaßes, perpetuam tibi regnoque pacem & salutem com-

CXLIX. [right margin, beside "mon autem turpiter victus"]

C L. [right margin, beside "turmis, solus"]

Sal. An. 1074. parasses. Quem tibi fidum fore iam sperare licebit, si tuis hostis esse cœperas? Quæ maior insania esse potest, quàm secum reputare, alienos sibi, quàm suos, fideliores fore, deque alienis potius, quàm suis esse benè merendum, & de his præcipuè, qui nimia pietate, ac religione præcellunt? Ladislaus neque virtute cuiquam, neque charitate cedit, accedit vitæ sanctitas, & honestatis amor. Neque Geysam ab æquitate & modestia quisquam dixerit alienum. Quo cum officio & pietate commodiùs tibi certare licebat, quàm cum vtroque fratre? qui si à te pariter redamari, & non insidijs se peti sensissent, nihil dignitate, ac imperio tuo duxissent antiquis. Nunc autem tuorum consiliorum moderatorem tantùm Vidum habuisti, cui quando te concesseras, in deditionem te æquè ac tuos, ad vltimam internecionem redegisti, quos omnes vno tempore, ac vnius consilio perdidisti. Dum delatoribus facilè credis, minimaque iniecta suspicione ab his, qui tibi gratificari student, ad libidinem traheris alienam. Ad hæc ita Salomon
CLI. ira excanduit, vt matrem plura subdere conantem, præter æquum & fas pulsare perrexerit, & iam fecisset, nisi Coniugis dextra remoratus fuisset. Cui incusato sæpe Deo, quem in bello sæpe iniquum habuisse querebatur, ac conserta aliquantisper conuitiorum dumtaxat velitatione, furor subinde deferbuit. Relictis in Mosouiensi agro matronis, ipse collecta (quanta fieri poterat) manu, Pisonium confugit, vbi se tutius habere, ac exercitum facilius reparare sperabat. Vngari, qui vicinos pagos incolebant, quotidie Regis literis sollicitati, parua ex parte ad eum conuenere. Quandoquidem Principis insolentiam, ac trucem animum Alemannis, quàm Vngaris æquiorem esse intelligebant. Hi tantùm sequuti sunt, qui ne quid per vicinitatem mali paterentur, inuita Regi obsequia præstare cogebantur.

Postquam Geysa & Ladislaus victoria potiti, mortuorum corpora nullo sepulchri honore, pro cuiusque dignitate, defraudarant, ac iusta piè persoluerant, motis castris, Danubium transmittunt, vt ad Albam regalem contendant, vbi frater natu maior diadema ritè suscipiat. At vbi Albam peruentum est, castellum portæ, quod Bobuch appellant, item vrbem ipsam, cæteraque oppida, imposito præsidio muniunt, quo tutius regnarent. Exauctoritatis militibus dimissisq; præsidijs castra soluunt, atque ciuilibus inter Vngaros sese gerunt, vt his liberum esset, eum coronare Regem, quem potissimum optarent. Succendebat Pontificum & Optimatum animos, hæc haudquaquam simulata modestia. Nam quod cæteri anhelarunt, hi virtute potius, quàm ambitione petere videbantur. Proinde habito frequentissimo conuentu, Geysa maior natu, omnium consensu & acclamatione, Rex Vngariæ declaratur, & in sequenti die, ex more ritè coronatur, Ladislaus ab eo Dux regni pronunciatur. Rerum potitus vir ille optimus, non ad sæuitiam vel ad voluptatem, sed ad religionem, ac soluenda Deo vota animum conuertit. Non immemor enim Diuinæ benignitatis, cum Ladislao in Vaciensem agrum redijt, vbi frater ei delatam cœlo coronam Angelum imposuisse dixerat: & quum de statuenda Diuæ Genitrici Basilica, ibi cum fratre loqueretur, vbi Diui Petri sacellum est, ecce ceruus expansis cornibus insignis, quæ ardentissimæ faces circumsederant, præ oculis apparuit, mox in fugam conuersus, syluam petijt inuestigabilis, ibique tantùm vestigia fixit, vbi ædes deinde collocata. Quem quum milites sagittis peterent, in Danubium se proiecisse, nec vsquam postea visum fuisse memorant. Ladislaus ostenti admiratione correptus, Nimirum (inquit) Dei Angelus erat iste. Sed quid faces in cornibus, ait Geysa? Mox Ladislaus, Non cornua, sed alæ, frater (inquit) neque illæ, quas ardentes appellas, sunt faces, sed fulgentissimæ pennæ. At vbi fixit vestigia, nobis locum ostendit, vbi Basilicam exædificaturi sumus. Quare vbi prima die auguria visa sunt, ne locus numine plenus, legitima religione careret, ibi Diuo Petro ædiculam dicarunt, mox delubrum magnæ Matris statuerunt, multisq; villis & ornamentis donarunt. Diuæ quoq; Virginis ædem Budæ fundauerunt, cui Pesthana vectigalia, & tres in Symigensi agro vicos addixerunt, elaboratissimis aureisque vasis exornatam reddidere. Pòst vbi religioni ac votis factum satis arbitrantur, ad componendum regnum animum aduertere, grauissima in sicarios, cæterosque facinorosos promulgata sunt edicta, salutares quoque leges editæ, inhibitæq; iniuriæ. Regnum, ne parua quidem ex parte pacatum, nisi quod tantum Salomon victus supererat, qui Pisonium adhuc

cum

Sal. An. 1074. *cum Mosouiensi agro retinebat. Et ne Vngariam quotidie incursaret, Besseni intercessere, qui precibus instantissimè à Geysa Rege impetrarunt, vt data libertate, ipsis tantùm expeditionem illam delegaret, recipientes solos se eos fines à Salomonis impetu, immunitatis duntaxat beneficio defensaturos. Horum postulationibus vltrò Rex annuit, si promissa præstarent. Extemplo Bessenorum Princeps, cui Zultan nomen erat, coacto expeditissimo equitatu in Salomonem contendit. Qui vbi redintegratum in se bellum intellexit, Leopoldum Ducem Austriæ, ac Diui Leopoldi patrem, promissa ingenti stipe in auxilium aduocat. Atque eo facilius ille in societatem belli veniebat, siquidem intelligebat rem communem agi. Boemos hostes suos, Vngarorum esse socios. Othonem Bratislai sororem, in coniugem duxiße, & in bello, quod aduersus Salomonem sub Monyorod gestum est, magno his adiumento fuisse senserat. Neque cladis à Boemis olim illatæ, facilè poterat obliuisci. Quare & precibus & largitione à Salomone exoratus, cum eo fœdus inijt. Sed pusillum mox animum ostendit, nam vbi instructo equitatu, in Bessenorum conspectu fuit, quos olim Beßos appellabant, truces hostium vultus conspicatus, quàm primùm animo consternatus est. Nam illis mos est, vexillationibus vti, demissas ferre barbas, & labri vel maximè superioris nutrire pilos, caudata cristatave secum ferre pilea, fluitantibus quoque vestibus indui, ijsdemque sericeis, in Persarum morem, & equorum pernicitate admodum delectari. Illud quoque metum addebat, quum succurrebat Guilielmum Potum, ac nuperrimè Marchardum legatos legionum in Vngarico bello immaniter occubuisse. Quare vt timori diuerticulum inueniret, Dux Salomonem hortatur, quadragesimali tempore, quo animorum potius, quàm corporum, & diuinarum magis, quàm humanarum rerum habenda est ratio, à pugna abstineat. Quòd si omnino pugnare pergeret, vbi instructa est vtrinque acies, pro sua voluntate pugnaret. Demum polliceri se, quamuis dimicare non decreuerit, nunquam tamen permissurum inclinatam (quod Dij prohibeant) Salomonis aciem, æquis sibi oculis spectari poße, sed mox laboranti socio subsidio certo futurum. Quum obstinato manum animo conserturum eum aspexisset, ipse proximum montem, quem*

CLIII.

Aachin vocant, conscendit, veluti in Martiali spectaculo præsideret. Salomon continuò cum Besseno equite, collatis signis, pugnam conserit: & eo quidem furore, quo iniuriarum omnium cumulatissima vltio proponeretur. Addebat animum cataphractus equitatus, qui velites ac vexillarios facilè proterit. Quare euestigio terga dare hostis cogitur. Cæditur manus ne mediocris quidem, & in proximum stagnum, quod Fertheu dicunt, euadendi spe demergitur: cum paucis Zultan euadit. Quum res prosperè successissent, cæsis fusisq; Bessenis, Leopoldus pactam à Salomone pecuniam, ob subsidium, quod præstiterat, continuò postulat. At is nullam ab eo opem accepisse causatus, nil ei se debere respondit. Quin & illud addebat, eum non modò dedisse subsidium, sed ne aspectum quidem hostium præ timore tolerare potuisse. Quòd si quid in ipsum acrius moliretur, apud Henricum Imperatorem, se diem indicturum interminabatur, cui sanguine coniunctissimum omnes esse sciebant. Contrà ille, reformidata Imperatoris sæuitia, se omni iniuria abstinere coactus est. Plerique non Leopoldum, sed nescio quem Hermichum Teutonum Principem, vt Vngarici Annales referunt, fuisse volunt. Quippè qui ob linguæ diuersitatem, nomina ita confundunt, vt Historiæ veritatem sæpè inuertant. Haud parum animi præsens victoria Salomoni addiderat, ac superiore clade grauatus admodum respirarat, statuit noua moliri, vt si quo modo poßet, amißum regnum recuperaret, domestica in primis cura leuare se statuit, vt quæ maiora sunt, expeditiùs disponeret. Agmundam igitur matrem, Ruteno sanguine natam, vxoremq; Sophiam, Henrici Tertij filiam, secum in Stiriam duxit, in monialiumque cœnobio reliquit. Deinde in Mosouiensem agrum se recepit, vt in Vngaros aliquid grauius moliretur. Quorum res quum successu magno indies cognosceret augeri, ad Imperatoris auxilium sibi confugiendum esse intellexit. Quare Henricum Quartum Imperatorem adit, cui quamuis magnam nummorum copiam attulisset, quo quidem stipendio copias assequeretur, nullum tamen militem ex Italis Teutonibusque habere potuit. Quippè qui Vngarorum metu perculsi, nulla stipis magnitudine in formidolosam expeditionem conduci potuere. Quare eo vehementius apud Imperatorem CLIV.

Sal. An. 1074. torem Salomon in querelas exarsit, non tam sibi, quàm Imperatoriæ maiestati iniuriam illatam esse subijciens, quandoquidem ad ius Romani Imperij spectare dicebat Vngariam, vbi cum Augustali auctoritate regnabat, imperata cuncta præstabantur, statuta vectigalia soluebantur: & nil erat, quod Cæsareæ ditioni non obtemperaret. Nunc postquam ipse regno, à quibus minimè decuit, eiectus est, legitima abnegari obsequia referebat. Nihilq; Cæsareo nomine in Vngaria infensius audiri: quin & in Germanos eorum Regem quotidie bella moliri, sollicitare finitimos, & quacumq; potest arte, in Henricum coniurare. Item Scythicum hoc genus nulla consuetudine molliri poße, cum immitibus populis facilè consentire. Contrà verò cum ciuili gente, ex qua præstare Germanam intelligit, nullo modo versari posse. Atque idcirco perpetuam cum vtraque inimicitiam fuiße, ac futuram longè maiorem, ni solito legitimoque iugo in ciuilem humanitatem asseratur. His igitur verbis Henricus Quartus ita succensus est, vt habito statim delectu, magnas in Germania copias compararit, auxilia non pauca coegerit, non ignorans quanto se apparatu Scythicam gentem adoriri oporteret. Commeatus abundè cum ingenti manu militum, instructa classe, Danubio deuehi imperauit. Ipse cum vniuerso equitatu, præter vlteriorem Danubij ripam, in Vngariam properat. Atque vbi ad Vaghum amnem peruentum est, castra ponit, cum Præfectis equitum consulturus, in quam potissimum vrbem eßet erumpendum. Nitriam, quæ proxima castris erat, primùm inuadere visum est. Quare Salomoni legiones duæ, cum decenti equitatu datæ, vt Nitriam oppugnaret. Quibus copijs, quum de Semthe vico se mouisset, instructa acie ciuitatem adoritur. Contrà oppidani, pari audacia freti, aduersus hostes prodeunt. Incruenta aliquandiu conserta manus, & pugnæ potius simulachrum, quàm pugna videbatur. Hi nunc impetere, contrà illi terga dare, vicissimq; victoria modò his modò illis aspirare. Opos Bathor equo insidens, tali ludo nequaquam delectatus, & vir spectatissimæ virtutis habitus, acrius oppidanos vrget. Quin & per medios hostes cursum faciens, ad portam vsque peruenit, ibique spectante populo vnum interfecit, complures vulneribus affecit, & dum inter confertissimos hostes acerrimè dimicat, equum multis confossum iaculis amisit, ipse tandem fortissime resistens, ad suos incolumem se recepit. Alamanni spectatam equitis fortitudinem admirati, ad Imperatoremque reuersi, illius audaciam ac vires prædicant. At is Opum confestim acciri iubet, qui postquam in conspectum venit, mirificè laudatus, adauctum quoque stipendium, & non sine promissis ac præmijs dimissus est. Mox ab Imperatore Salomon interrogatus, An multi milites pari robore corporis & animi apud Ladislaum & Geysam forent. At ille magis Vngaricæ gentis, quàm propriæ vtilitatis charitate correptus, multos consimiles, ac longè meliores apud Geysam esse respondit. Quibus verbis consternatus Imperator, Si tales (inquit) hostes nactus es, nunquam (mihi crede) Salomon regnum recuperabis. Postquam Rex Vngariæ Imperatorem, Vaciam peruenisse cognouit, arte sibi potiùs, quàm viribus cum Germano Principe agendum esse intellexit. Patriarcham Aquileiensem consiliorum Imperatoris moderatorem esse. Item cæteros Alemannorum optimates, illius dicta haud parum obseruare senserat. Quare nil sibi commodius fore intellexit, quàm si hunc & precibus & largitionibus obstringeret. Et non Patriarcham solùm, verum etiam cæteros Germanorum Optimates muneribus obligaret, vt omnes dimittendam hanc expeditionem & in Germaniam continuò redeundum esse, Henrico suaderent, maiora his Imperio Romano imminere negocia, neque pro Vngaris res Germanicas periclitari oportere dicerent, item alij ad reuocandum Henricum varia commentarentur. Ne sua quidem arte ac spe Geysa frustratus est. Patriarcha Aquileiensis insomniorum auctoritate sua dicta muniebat, quibus ni Germanus quàm primùm reuocaretur exercitus, præsentaneum interminabatur exitium. Ne minore quidem industria à Germanis principibus diuersa commenta excudebantur, nam in sequenti nocte in castris ex composito seditionem suscitant. Quosdam CLV. subornant milites, qui clamore, scutorumque fragore exercitum circumueniant. Quod vbi factum est, magnus hinc horror Imperatorem ac vniuersos incessit. Tumultus ingens editur, & in lucem vsque passim fluctuatum. Mane autem coacto senatu, Imperator rem ad Patres refert, & de reuocando exercitu

citu

Sal. An. 1075. *citu sententias rogat. Patriarcha, qui præ auctoritate viri, primùm sententiam dicere rogatus, ac ingenti pecunia corruptus erat, decernit, exercitum continuò reuocandum, inuito milite nullo modo dimicandum. Hanc expeditionem ex inauspicato susceptam, Germanum Scythico bello defatigatum, huiusce gentis feritatem abominari. Proinde ne, exorta seditione militari, Romanum periclitetur imperium, commodius videri, si ab Vngarico bello reuocetur exercitus: quod ni fecerint, apprimè verendum, ne externum bellum in domesticum transferatur. In Patriarchæ sententiam pedibus iuere cæteri proceres, qui pecunia quoque à Geysa coinquinati fuerant. Cæsar igitur suorum consilio deceptus, soluta expeditione, in Germaniam se recepit. Salomoni se excusat dicens, rerum grauissimarum necessitate reuocari, ac in posterum, quum tempus dabitur, auxilium polliceri. Nunc potius rei suæ, quàm amici rationem haberi oportere.*

CLVI. Salomon ad Gregorium cōfregit. Salomon itaque Cæsareo destitutus auxilio ad Pontificem confugit *Gregorium*, eumque literis vrget, vt pro regno recuperando suppetias mittat. *Gregorius* vel diffidens, vel *Henrici* causatus fœdus, à quo regnum Hungaricum veluti in feudum accepturus obtulerat, sequentibus durè respondit; vt ex *lib. 2. ep. 13.*

GREGORIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI Salomoni Regi Hungarorum salutem, & Apostolicam benedictionem.

Litteræ tuæ ad nos tarde propter moram Nuncij allatæ sunt: quas quidem multo benignius manus nostra suscepisset, si tua incauta conditio non adeo beatum Petrum offendisset. Nam sicut à maioribus patriæ tuæ cognoscere potes, regnum Hungariæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ proprium est, à Rege Stephano olim beato Petro cum omni iure & potestate sua oblatum, & deuote traditum. Præterea Henricus piæ memoriæ Imperator ad honorem Sancti Petri regnum illud expugnans; victo Rege, & facta victoria, ad corpus beati Petri lanceam, coronamque transmisit, & pro gloria triumphi sui illuc regni direxit insignia, quo principatum dignitatis eius attinere cognouit. Quæ cum ita sint tu tamen in cæteris quoque à Regia virtute & moribus longe discedens, ius & honorem Sancti Petri (quantum ad te) imminuisti, & alienasti, dum eius regnum à Rege Teutonicorum in beneficium (sicut audiuimus) suscepisti. Quod si verum est, qualiter gratiam beati Petri, aut nostram beneuolentiam sperare debeas, tu ipse, si iustitiam vis attendere, non ignoras: videlicet te non aliter eam habiturum, nec sine Apostolica animaduersione diu regnaturum, nisi Sceptrum Regni quod tenes, correcto errore tuo, Apostolicæ, non Regiæ Maiestatis beneficium recognoscas. Neque enim nos timore vel amore, aut aliqua personali acceptione (quantum Deo adiuuante poterimus) debitum honorem eius, cuius serui sumus, irrequisitum relinquemus. Verum si hæc emendare, & vitam tuam (vt Regem decet) instituere, & Deo miserante adornare volueris; procul dubio dilectionem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, sicut matris dilectus filius, & nostram in Christo amicitiam plene habere poteris. Dat. Romæ quinto Kal. Nouembris, Indictione xiij.

In Synodo Romana Episcopus deponitur Bambergensis. Sal. Ann. 1075.

CLVII. Synodus aperitur Romana; *Gregorio VII.* conuocante. In eo hæc potissimùm habita. Primùm familiares *Henrici* Regis, quorum consilio ille Ecclesias vendiderat, à liminibus separauit Ecclesiæ, vt si ad Kal. Iunias sibi Romæ non satisfecissent, essent communione secreti. Secundum; vt si quis Presbyter, Diaconus, Subdiaconus vxorem, aut concubinam haberet, nisi dimissis illis pęnitentiam ageret, sacris Altaribus abstineret, neq; aliquo Ecclesiæ beneficio frueretur. Bambergensi Episcopo, quem antea à ministerio diuino remouerat, congressu piorum interdixit, quia per biennium se simoniaca labe non expurgasset. Moguntino tamen intercedente, vix in communionem recipitur. Mense postea Octobri, Moguntiæ ab Archiepiscopo vocata Synodo, dum inordinatè contra absentes iura pronunciat pro decimarum exactione; contra adstantes prò obseruantia Gregoriani decreti, de Clericorum Continentia, nouo sibi imminente ab Episcopis salutis periculo, incœptum omisit. CLVIII.
Interim Henricus aduersus Saxones copias

ex

Sal. An. 1075. ex omni Germania coegerat. *Rudolphus Dux Sueuiæ, atque Burgundiæ, Vuelpho Boiorum præses, Ernestus orientali Boiariæ limiti præfectus, Gotfridus Germaniæ, ex* Lib. 5. p. 450. Auentino, *atque Lotharingiæ inferioris Legatus, Vuestphali, Frisij, Boiemi cum valida manu ad Cæsarem contendunt. Isque in Saxoniam intento infestoque exercitu proficiscitur. Saxones autem posteaquam certum nuncium de exercitu Cæsaris aduentantis accepere, & ipsi cum omnibus suis, sociorumque copijs obuiam Quarto pergere, libertatem armis tutari, cum Cæsare confligere statuunt. Comparato igitur ingenti ex omni Saxonia numero in Turogorum fines procedunt, Vnisotardum flumen transeunt, in altera ripa castra faciunt: ibi aduentum Cæsaris expectare constituunt. Hainrici deinde ferratæ acies apparent compositoque agmine pedetentim pugnandi copiam facturi Cæsariani procedunt. Erant autem Boij, Sueui atque Burgundi cum Ducibus suis Vuelphone, & Rudolpho. Nam Quartus cum cæteris in subsidijs subsistebat, neque Saxones certamen detrectant. Primus Rudolphus, deinde Boij, Vuelpho atque Ernestus equis calcaria subdunt, in hostium cuneum, vbi confertissimi erant, impetu quàm maximo possunt, prouolant: hastis, telis, clauis, arcubus resistentes prosternunt. Fit prælium anceps, Saxones fortiter resistunt, nemo pedem refert, vtrinque multi occidunt. Ex nostris Ernestus Austriacus, Albertus & Dietpoldus dynastæ: in Saxonum parte Gebhardus Saxoniæ regulus, pater Lotharij Imperatoris cum pluribus occidit: Mox Cæsar, qui cùm reliquis copijs in subsidijs erat, cum recentibus atque integris in hostes, partim lassos defatigatosque partim saucios irrumpit, obvios quosdam prosternit, aciem conturbat, Saxonas cædit, fundit, tandem in fugam conijcit, ipsique abiectis armis, relictis signis passim in fugam effunduntur. Ingens vis pulueris excitata Cæsarianos paulisper remorata est, conspectumque hostium abstulit. Multitudo ad Vnisotardum flumen fugam intendit, amnemque pars nando, pars pedibus, vadoque transierat. Gotfridus iussu Cæsaris, ne hostibus colligendi sui spatium daretur, cedentes insequitur, proterit, trucidat: cum venissent ad superius flumen, in aquam propellit, opprimit. Magno numero interfecto: flumen hostilibus cadaueribus oppletum, quasi ponte coniunctum transit. Eos qui iam altera ripa potiebantur, non minori clade affecit, noxque finem sternendi fecit. Boiemi Saxonum castra diripiunt, commeatum intercipiunt, cæsos stratosque spoliant. Accepere hoc vulnus Saxones æræ Christianæ, Anno millesimo super septuagesimum quintum, quinto Idus Iunij, qui tum dies septimanæ quartus erat, à Mercurio cognomen habens apud Romanos, Teutonas verò à meditullio dierum. Rudolphi virtus, ac opera hoc prælio commendatur, eidem palma tribuitur. Cæsar posthæc receptui canit, copias in castra reducit, virtutes pro concione collaudat, munera largitur: corpora cæsorum humari saucios curari iubet. Deinde totam Saxoniam vastat, templa quidem immunitate donat. Cæterùm agros, vicos exurit, pecora omnia abigit, oppida, vrbes, arces expugnat, resistentes obtruncat. Pars Saxonum de oppidis demigrant, finibus excedunt, vxores, liberos, suaque omnia in syluas deportant: se in solitudines, ac paludes abdunt. Cæsar principibus discedendi potestatem facit, paucis secum retentis: latebras syluarum, vligines paludum vbique penetrat: Pontifices, Tribunos, Duces in ditionem redigit. At Saxones contempta Cæsarianorum paucitate rursus rebellionem faciunt: rursus quoque Cæsar agmina Lotharingiorum, Francorum, Boiorumque accersit. Hique celeriter mandata faciunt, in Saxoniam incolumes ad Cæsarem perueniunt. Iamque Cæsar aut excisurus, aut perdomiturus gentem perfidam, coniunctis copijs castrametatur. Saxones frequentes cum omnibus principibus, Episcopis, maioribus natu adhibitis, adoperto capite, excalceatique in castra veniunt, Cæsaris pedibus accidunt, absque omni pactione deditionem faciunt. Cæsar authores omnes seditionum partim in exilium agit, partim arcta custodia adseruari iubet. Pacataque, vt rebatur, Saxonia, in Franciam redit. Agrippinensibus mortuo Annone, Hildolfum Pontificem designat. Dumque talia in Saxonia geruntur, Vgri quoque rebellionem faciunt, Imperatori bellum indicunt, Solomonem regno deturbant, arctaque custodia excruciant. Geizonem patruelem eius, Regem, fratrem eius Ladislaum præsidem salutant. Vxor Solomonis soror Hainrici in Boiariam euasit.*

Cæ-

Sal. An. 1075. *Cæsarem ergo Vngaricam expeditionem meditantem, quem vi armisque insuperabilem esse Saxones senserant, dolo, insidijs aggrediuntur. Exules quoque partim fuga, partim custodibus pecunia corruptis, in Saxoniam reuertuntur, rursus coniurant, rebellionem facere parant, quoscunque moribus, aut fortuna nouis rebus idoneos credunt, per se, per alios pecunia, literis, nuncijs, pollicitis sibi conciliant, famam Cæsaris, graui & perenni opprobrio, & ad omnium conuicia exposito, lædunt. Crimina (quorum ne nomina quidem Gallis, Germanisque nota sunt, & quæ ab eo qui Imperatores Suetonij legerit,*
CLIX. *conficta esse necesse est) Heinrico obiectant, legatos Romam ad ciues, Pontificem Max. mittunt, qui dicerent, auarè superbeque imperari, nullum pauperem, nullum inopem audiri, lasciuiam, superbiam, auaritiam, pro æquitate, iure & iustitia inuasisse: prætores, apparitores, scribas, tineas, muresque aulicos trahere, rapere paucorum potentiam inualuiße, horum arbitrio cuncta agitari, pecuniam vi exigi, à fanis quoque tolli, penes eosdem opes, pecuniam, gloriam magistratus esse: iustitiam, sacerdotia, Pontificatus, Prouincias, cuncta venalia esse. Illum qui notior sit flagitijs, quàm nomine, venari, lasciuissimum, gaudijs corporis deditum esse, neglecta Republica, non modo inconceßis, permissisque voluptatibus temperantiam non seruare, sed etiam ea scelera designare, quæ vix referri, audiriue, nedum credi fas sit. Greges puellarum & adolescentulorum, sacratarum fœminarum, sacrificulorum choros prætorium frequentare: hosque ali publica annona, horum consilio Episcopos, mystas, Monachorum præsules, ouibus Christi imponi: praeterea illum non solum alienas constuprare vxores, sed etiam (honor sit auribus) sorores incestasse, vxorem suam vi, se de arte ad id facta, prostituere, Veneris sacrificia, vbi amator iuxta amicam consideret, moxque extincto lumine iniret, perpetrare: ædes sacras profluuio genitali polluere: hisque mysterijs etiam Pontifices declarari commemorant. Proponunt deinde Imperium beneficium esse vrbis æternæ: proinde hortantur atque petunt, vt caput orbis terrarum, Pontifex Populusq; Rom. iure suo dent operam, atque vna secum Rempubl. administrent, decernantque ex consilij decreto & cœtu Principum, qui regnet, atque tanto Imperio, iustitia atque sapientia inclytus dignus sit. Pleraq; huiuscemodi mißa facio. Illud præterire non possum, statim tum hos versus diuulgatos esse.*

Abbatißarum, Reginarumq; subactor.
Propter adulterium sumpsit episcopium.
Mundi Roma caput, si non vlciscitur illud.
Quæ caput orbis erat, cauda fit, & pereat.

His cognitis, Henricus subdolam legationem dirigit, vt *Gregorij* animum demulciret, quod sequens epistola facilè demonstrat. CLX.

HENRICVS GREGORIO VII. PONTIF. MAXIMO.

NOuerit vestra Sanctitas Pater quoniam dum ego penè omnes Principes mei Regni de nostra magis discordia, quàm de mutua pace gaudere percipio: ad vos istos Nuncios latenter dirigo, quos satis nobiles, ac religiosos esse cognosco; & pacis bonum inter nos optare coniungi nequaquàm dubito. Hoc autem quod mando, neminem scire volo præter vos, dominam matremq; meam, atque amitam Beatricem & filiam eius Mathildam. Me verò (adiuuante Domino) de expeditione Saxonica redeunte, alios Legatos dirigam, quam familiariores ac fideliores habebo, per quos omnem vobis meam voluntatem ac reuerentiam, quam B. Petro, ac vobis debeo significabo.

Hæc tamen scripta non dubito ante victoriam in Saxones reportatam. Licet Pontificis responsio ad Cesarem peruenisset post cladem illatam Saxonibus, & fuit.

GREGORIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI Henrico Regi salutem, & Apostolicam benedictionem.

QVando litteras tuæ magnitudinis accepi, longè ab Vrbe, maximè causa infirmi-
CLXI. *tatis aberamus..... cum quibus necessarium erat tractare, quid vestræ legationi ad plenum, sicut oportet, responderem. Vester etiam Nuncius, horum videlicet portitor, ob prædictam causam ægritudinis timebat nobiscum manere. Sed quia desideramus non solum vobiscum, quem Deus in summo rerum posuit culmine, sed etiam cum omnibus hominibus*

Sal. An. 1075. *pacem, quæ in Christo est, habere, iusque suum vnicuique obseruare, cupimus summopere corde & animo adhærere. Noui enim (quod te credo non ignorare) quia qui Deum reuera diligunt, & Romanam Ecclesiam, Romanumque Imperium ad vindictam suorum criminum non pertimescunt, inter nos pacem, & concordiam inserere agendo, vel orando concupiscunt Quapropter bonam cōcepi fiduciam, quia hanc nostram, immo totius Ecclesiæ causam religiosis hominibus cœpisti committere, qui nos, non nostra iniustè diligunt, & vt Christiana instauretur religio sua intentione requirunt. Ego autem (vt paucis loquar) horum consilio paratus sum (Christo fauente) gremium tibi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ aperire, teque vt dominum fratrem & filium suscipere, auxiliumque prout oportuerit, præbere: nihil aliud à te quærens, nisi vt ad monita tuæ salutis non contemnas aurem inclinare, & Creatori tuo (sicut te decet) non contradicas offerre gloriam & honorem. Valde quippè indignum est, vt honorem, quem à conseruis & fratribus nostris exigimus, Creatori & Redemptori nostro reddere contemnamus. Moneat itaque nos diuina promissio, qua dicitur: Ego glorificantes me glorificabo, & qui me contemnunt, erunt ignobiles; & offeramus ei quod placet nobis hac in via sæculari, vt perfruamur in cœlestibus dono spirituali, his verò mox ista subijcit de victoria obtenta aduersus Saxones: De superbia verò Saxonum vobis iniustè resistentium, quæ diuino iudicio à facie vestra contrita est, & gaudendum est pro pace Ecclesiæ, & dolendum, quia multus Christianorum sanguis effusus est.*

Vos autem in talibus plus honorem Dei, & iustitiam eius procurate defendere, quam honori proprio prouidere. Securius enim quilibet Princeps mille impios potest causa iustitiæ punire, quam propriæ causa gloriæ quemlibet Christianum gladio sternere, omnia enim creauit, & regit qui dixit: Ego gloriam meam non quæro. Saluti quippè nostræ tunc verè prouidemus, cum in cunctis nostris actibus gloriam Dei proponimus.

Henricus itaque cum spe pacis Saxones CLXII. fefellisset, militares copias cum munerum tum prædæ pollicitatione illectas, aduersus hostem irarum plenus contendit; vj. Idus Iunij lustrato exercitu in campis Herueldensis Monasterij, in loco, qui dicitur *Bredingen*, & missis ad Saxones legatis, qui iam frequentes Hoslariam conuenerant, petijt vt *Regis furorem iusta deditione placarent: nec se cunctis generaliter Saxonibus crimen rebellionis intendere: paucos fuisse Principes, qui imperitam multitudinem, natura nouitatis auidam hac rabie inflammassent. Ab eis tantummodò concitatæ seditionis, & turbatæ Reipublicæ pœnam, cum legibus non potuerit, armis exacturum. Inde rogare omnes, ne paucos tuerentur. Si obediant, licet participes & socij tanti facinoris, veniam præteritorum se exhibere: Sin autem, excusationem non habituros deinceps peccati, quod scientes & præmoniti geminassent.* Quibus Saxones: *Grauissimam*, inquiunt, *habemus legationem: & nisi Principes nostri de omnibus, quæ obijciuntur Regiæ satisfecerint Maiestati, eos sine mora, vel captos, vel vinculis traditos examini reseruabimus vel in fauillam redactis omnibus, quæ ad eos pertinent, Saxonia procul effugabimus. Quod si iustis conditionibus, parati sunt obiecta purgare, vel peccata expiare, oramus, per Deum obtestamur, vt honori potiùs suo, quàm iracundiæ consulat. Diem potius statuat, locum designet; copiam det tutò coram veniendi, & causam dicendi, vt secundum Palatinas leges, examine præuio vel noxios puniat, vel innocentes absoluat. Quod si ira immoderatior sanguinem nostrum sitit, quid prodest ambiguis responsionibus sententias inuoluere? Extremæ impietatis fore iudicamus, nostros deserere Principes, eosque pro nobis iugulandos obijcere; qui nullo priuato odio, sed nostræ tuendæ salutis gratia, & libertatis vindicandæ in Regem arma sumpserunt. Propterea supplices petimus, eandem illis & nobis veniam dari: vel si nulla supplicationum victima expiari potest, quod fecimus, eodem in nos & in illos supplicio animaduertatur.* Tunc Buuo Halberstatensis Episcopus, Vvecel Archiepisc. Magdeburg. Magnus Dux Saxoniæ, Otto Dux quondam Boiariæ, & cæteri Principes quos Regius furor impetebat, dixerunt: CLXIII. *Nequaquam sibi conscios esse, pacem dicto vel facto violasse* (ex Lamberto) *Nam si Rex instinctu eorum consilio factum suspicaretur, vt Ecclesia in Hartesburg incenderetur, thesauri diriperentur, corpora sepulchris eijcerentur, aut aliud aliquid contra statutum illius conuentionis perpetraretur, paratos se esse, vt quauis*

Hēricus ad deditionem Saxones prouocat.

Saxonū excusatio.

Sal. An. 1075. quauis conditione, quam modo cæteri Principes regni æquam iudicassent, crimen refellerent, & innocentiam suam assererent: insuper ipsam Ecclesiam proprijs impensis ambitiosius quàm fuerat, instaurarent, amplioribus ornamentis excolerent, omnia etiam quæ ineptum volgus maligno spiritu suscitatum ausu nefario infregißet, diripuisset, temeraßet, multiplicius restituerent. Super hæc omnia auri & argenti & prædiorum suorum quantum saluo pudore suo & regni maiestate accipere vellet, prompta mente darent, dummodo in gratiam rediret, & gladium quem in ceruices eorum, & in euersionem totius Saxoniæ iratus extenderat, placatus remitteret in vaginam. Quod si obstinatum aduersus omnes preces & supplicationes animum gereret, se deinceps contra eum nec arma laturos nec aciem instructuros, sed nudis pedibus venienti obuiam processuros, & sententiam quamcumque, vel iratus dictasset porrecto iugulo excepturos.

In hæc verba nuncios regis dimiserunt, & ipsi protinus suos eadem ad eum responsa deferentes, destinarunt. Quos vbi Rex aduenire comperit, præcepit vt nulla ratione in conspectum suum admitterentur, mandauitq; eis per occultos indices, vt quantocyus recederent, nec se oculis eius, qui contumeliam fecissent, sic temerè ingererent, alioquin regia censura coerciturum se hostes publicos & insidiatores regni, qui sub prætextu legationis, mendacia sua per populum sererent, ad solicitandos animos Principum, & expeditionem suam impediendam. Ita Legati sine effectu reuersi sunt. *Imperatoris nimia inclemētia.*

CLXIV. Iterum alios atque alios miserunt sed eodem omnes rigore obfirmatas contra se tam fores, quàm aures regias inuenerunt. Semel quum vnus legatorum captata loci & temporis opportunitate se improuisus in conspectum Regis proripuisset, & quæ in mandatis habebat proloqui cœpisset, vix ad primum sermonis exordium dato silentio, statim cum graui indignatione reiectus est. Et cum ab Vdalrico quodam Regio satellite in crastinum seruandus abductus, vel potius abreptus fuißet, proximo mane elusis custodibus vix vita comite effugit. *Legati Saxonū contēpti. Legatus violatus.*

Dehinc crebris legationibus adorti Ducem Rudolfum, Ducem Bertoldum, Ducem Gozelonem & cæteros Principes, quos superiore bello coniurationis socios habuerant, fidem implorant, fœderis quod pepigissent admonent, obtestanturque per Deum, per cuius nomen in vnius eiusdemq; militiæ sacramenta iurasent, vt adsint periclitantibus, & sicut prius gerendo bello fauorem suum, ita nunc reparandæ paci, quoniam eos belli pœniteat, auxilium consiliumque suum non subtrahant. Sed regis prudentia, qua supra ætatem suam mirum in modum callebat, omnia sepserat, omnes vias, omnes aditus obstruxerat. Siquidem à cunctis principibus suis iusiurandum acceperat, quòd nullas eorum legationes se inconsulto susciperent, quod eos nec armis publicè, nec consilijs secretò tutarentur, nec sibi pro eis preces aliquando supplicationesq; deferrent, donec se acceptæ ab eis ignominiæ maculam digna animaduersione eluisse, ipse iudex testisq; fateretur. Ita quodcumq; intendissent, quamcumque viam pertentasent, omnia obfirmata, implicata, impedita repererunt. *Imperatoris obstinata prospicientia.*

Exin crebra per Saxoniam Thuringiamq; conuenticula faciunt, quid facto opus sit consulunt, discussis & euentilatis omnibus, quæ tanto malo remedium aliquod polliceri videbantur. Quum nulla vsquam humani auxilij spes eluceret, statuunt vnanimiter à Deo sibi deinceps quærendum esse subsidium, qui solus tam obstinatam regis ferocitatem emollire, & rem implicitam expedire queat. Iubent ergo, vt per totam Saxoniam & Turingiam, depositis cultioribus indumentis, sacco & laneis vestiantur, cibo & potu statutis diebus abstineant, sumptus in pauperes pro sua quisque re familiari conferant, & per Ecclesias nudis pedibus discurrentes, Deum communi lamentatione deprecentur, vt manum suã, quæ humano vbiq; cessante adiutorio, sola iam possit opitulari, vndique conclusis, ad ereptionem eorum extendat. Præterea placet, vt die, quo regis exercitus iuxta publicam indictionem in Bredingen coadunandus conueniret, ipsi in loco, qui dicitur Lupezem, sex milibus ab eis disparati castra locarent, & iterum atq; iterum repetitis supplicationibus aures eius & principum eius obtundentes, si euincerent, gratias Deo, sin autem, in eodem loco venientem præstolati, collatis signis, æquissimo iudici Deo rem committerent. *Saxonū & Turingorum ad Deū confugium. Supplicationes Saxonū.*

Superueniunt etiam hinc Leuticiorum, hinc Polonorum nuncij, suam vtrique operam, socias manus, & pares ad cuncta quæ belli artibus transigenda sint animos pollicentes. Et quòd parati sint die, quem Saxones designauerint, armatorum copias quàm maximas *Saxonū confœderata auxilia.*

Sal. An. 1075. in Saxoniam mittere: Vel si hoc malint, contra Danos, & alias gentes, quas vulgatum erat ad irruptionem Saxoniæ à rege solicitatas esse, stationes iugesque excubias agant, vt hac parte solicitudinis exonerent alios occupatos. Hoc nuncio paululum recreatis animis digressi, quantum temporis supererat vsque ad diem coadunandi exercitus, in ieiunijs & vigilijs exigunt, Ecclesias indefessi obsident, in cinere volutantur, & cilicio, noctes perinde ac dies precibus insumunt, nullum postremò religionis genus, quod ad placandum Deum Ecclesiastica traditione comparatum sit, prætermittunt. Sed ira Dei, quæ in eos exarserat, maior erat quam vt lachrymis restingui, hostijs & muneribus mitigari posset.

Rex Pentecosten Vvormaciæ cum paucis celebrauit, principibus in præparationem militiæ singulis priuata solicitudine occupatis. Statuta die venit in Bredingen cum infinita multitudine, planeque omnium vnanimi consensu constitit, nulla vnquam retro maiorum memoria, tantum exercitum, tam fortem, tam militariter instructum in regno Teutonico, à quoquam rege contractum fuisse. Quicquid in regno Episcoporum erat, quicquid ducum, quicquid comitum, quicquid Ecclesiasticarum aut secularium dignitatum omnes summa vi, summa ope in hoc bellum enisi, conuenerant. Nemo prorsus, nisi quem forte grauis admodum & omnino inexplicabilis necessitas excusasset, aberat.

Imperatoris in Saxoniā expeditio, & ingens exercitus

Episcopus Colon.

Episcopus Coloniensis causatus impium fore, si calamitatis, quæ oppressura esset fratrem suum Magdaburgensem Episcopum, & consobrinum suum Halberstatensem Episcopum spectator adesset, vacationem impetrauerat, haud grauatè hoc concedente rege, eo quod post primam defectionem inuisum semper eum suspectumq; habuisset. Leodiensis Episcopus, vir præter decrepitam ætatem, longa etiam ægritudine exhaustus, Reginam interim seruandam susceperat, & hac occasione ipse quoque militia defungebatur. Vterque tamen milites suos amplissimo numero transmisit.

Leodiensis Episc.

Dux quoque Boemorum aderat, tanto stipatus agmine, vt se solum bello Saxonico sufficere posse vana spe elusus, arbitraretur.

Dux Bohemorum

Vvideradus Abbas Fuldensis, præter quòd ab ineunte ætate vno pede grauiter claudicauerat, iam per biennium ita paralysi dissolutus erat, vt nisi baculo aut ministrorum humeris innixus, nusquam progredi poßet. Eum tamen nec tam molesta valetudo excusare poterat à malitia, id potissimum curante rege, vt omnium principum suorum titulis ac fascibus, quam maximè insignem faceret expeditionem. Cumque ad locum coadunandi exercitus, feruentissima æstate, vehiculo sedens pergeret, strepitu circumfusæ multitudinis, & vi concitati pulueris suffocatus, penè spiritum exhalauerat. Relatus in monasterium à stupore quidem mentis post paululum respirauit, nullum tamen vltra verbum proloqui potuit, atque ita deinceps per 6. hebdomadas grauissima corporis molestia decoctus. 17. Kalend. August. humanis rebus exemptus est. Vir planè feruentis in Deum fidei, suis tamen omnibus admodum inuisus, propterea quod in diebus eius Fuldense nomen multis calamitatibus vehementer attritum, & penè omninò obliteratum fuisset. Sed ad cæptū, vnde digressi sumus redeamus.

Abbas Fuldensis, in expeditione lethaliter occumbit.

Missi à rege exploratores speculari exercitum Saxonum, retulerunt eos multitudine & armis haud impares, cætero belli apparatu etiam superiores esse, opes multas, & sufficientes in longum quoque tempus sumptus conuexisse, nihil permotos tantorum hostium aduentu, in proximo castra locaße, post laborem itineris otioso iam animo fixis tentorijs recreando corpori indulgere: Hoc statuisse, vt legatos supplices de pace mittant, si non impetrent, æquo certamine adoriantur venientes.

Exploratores Imperatoris.

Facile & contemptis hoc auditum est ab his, qui cum rege erant, passim iactantibus nec ferreas vel adamantinas acies multitudini & virtuti suæ inexpugnabiles fore, secum esse militem lectissimum, qui in faciendis stipendijs ætatem exegisset, & quem singuli principes, diligenti delectu habito, de toto orbe exquisissent, vulgus esse ineptum, agriculturæ potius quam militiæ assuetum, quod non animo militari, sed principum terrore coactum contra mores & instituta sua in aciem processisset: Et ideò non expectaturum, vt commisso certamine comminus stricto ense feriret & feriretur, sed ante commissum prælium solo concurrentis exercitus strepitu & clamore terrendum, fugandum, & fundendum esset.

Rex

Sal. An. 1075.

Rex non tam metuebat ne prælio quam ne supplicatione vinceretur, neu Principes sui, eis bellum inferre religiosum ducerent, qui se ad quascunque conditiones paratissimos præberent, & ignominiæ suæ vindicta, qua nihil ardentius cupiebat, è manibus sibi raperetur. Hoc præcauens, quàm maximè satagebat, vt ante exercitus committerent, quam Legati Saxonum pacem postulaturi, venirent, plurimum in hoc ipsum annitente Duce Sueuorum Rudolfo: Propterea quod anno priore regnum affectasse infamatus, suspicionem hanc nouis erga regem studijs abstergere cupidissimè volebat.

Rudulfus dux Sueuorum.

Profectus Rex de Bredingen, die prima venit in Elenen. Sequenti die, præcipitato nimium gradu, duorum penè dierum iter confecit, atque in Beringe castra posuit, haud multò à Saxonibus interuallo. Iam fixis tentorijs, singuli quæ exhaustis lassitudine corporibus necessaria forent circumquaque dispersi, prouidebant. Rex etiam refrigerandi gratia se in lecto reclinauerat, cum subito Dux Rudolfus ingrediens nunciat, Saxones breuissimo spacio, negligentes an ignaros aduenientium hostium, inter epulas & pocula ineptis lasciuire lusibus, qui si vel ad punctum temporis inultum habeant, quod sumpta contra Rempubl. & leges maiorum arma, sic improbe conspectibus regis inuexissent, ignominiam hanc Theutonici regni nullis deinceps seculis abolendam esse: Placere sibi cum adhuc maior pars superfit diei, vt acies instruatur, prælium committatur, vel si prælium detrectantes intra castra se tutentur, ipsa castra admoto exercitu expugnentur.

Rex ei pronus in terram gratias agit, & huius beneficij, quoad viuat, nunquam se immemorem futurum. Deo in testimonium ascito, pollicetur. Ita ambo se tentorio proripiunt, dato ad pugnam signo, ocyus omnes assunt, longè lateque patentes campos occupant, singuli duces suas seorsum legiones instruunt. Et quia nec situs loci, nec multitudo patiebatur, vt vno eodemque tempore omnibus vna fieret manus conserendi copia, datum negotium est Duci Rudolfo, vt ipse cum suis prima acie confligeret. Peculiari, scilicet, Sueuorum priuilegio, quibus ab antiquis iam diebus lege latum est, vt in omni expeditione Regis Theutonici, ipsi exercitum præcedere, & primi committere debeant. Cæsaris iussum, vt propter assistentes pugnantibus, prout res posceret, auxilio concurrerent. Rex in quinta erat legione, quam ex lectissimis & erga se admodum spectatæ fidei iuuenibus stipatam ornatissimamque instituerat. Ita paulatim seruatis ordinibus ad castra Saxonum procedunt.

CLXV. Sueuorũ Priuilegium in expeditionibus.

Saxones qui sibi stultissime persuaserant: spacium illud, quo à rege aberant, vix ab equite expedito, nedum ab exercitu, sarcinis alijsque impedimentis implicato, vno die transmitti posse, nihil minus quàm regem eo die ad se peruenturum suspicabantur. Ideoq; vana securitate resoluti, omne studium ab armis ad curam corporum verterant. Cum repentè conspicantur cœlum puluere obtenebratum, exercitum super arenam maris innumerabilem, totam adiacentis campi latitudinem, instar locustarum occupasse, & ferè iam immenso, quod in medio erat, spacio, ad ipsa castra opprimendo, nisi maturent egredi, citato paululum gradu properare. Inopinata re trepidi, & se inuicem inertiæ, quòd hostem non præuidissent incusantes, protinus sublatis in cœlum vocibus conclamant, arma rapiunt, portis prorumpunt. Pauci loricis corpora muniunt, cæteri dum morarum impatientes ruunt, nec vestes quibus se paulò ante largiori otio indulgentes exuerant, resumere meminerunt.

Saxonum imprudentia secura.

Tumultus in castris Saxonicis.

Nullus alterum cunctantem operitur, sed singuli passim, prout ocyus, seriusvè arma expedierant accurrunt. Quamplurimi etiam trans fluuium Vnstrut longius metati, prius infeliciter gestæ rei, quàm committendi certaminis nuncium acceperunt. Nec legiones ordinare angustia temporis sinebat, nec militem adhortari, nec castra consuetis stationibus munire, nec aliud quicquam facere quod militaris disciplinæ solemnitas exigebat. Repentinus regis aduentus omnia præuerterat. Vix tandem ex illa trepidatione resumpto spiritu, cum in globum densissimum tumultuaria se statione stipassent; non expectato signo, vt consuetudo est pugnaturis, equis subdunt calcaria, & summo nisu præcipites feruntur in aduersarios. Haud procul ab Hohenburg. Nec impetum sustinere vel ad horam Sueui potuissent, nisi loco motis iamque pedem retro ferentibus Dux Vuelf cum exercitu Baioarico, concurrisset.

Prima

Sal. An. 1075.

Prima certaminis procella hastas & lanceas consumpsit. Reliquam partem gladijs, qua pugnandi arte plurimum excellit miles Saxonicus, peragunt, præcincti singuli duobus vel tribus gladijs, tantaque vi, tanta ferocitate, tanta feriendi calliditate graßantur, ut hostibus etiam non minus admirationi, quàm terrori eßent. Ibi Ernost Marchio Baioariorum, vir in regno clarissimus, & multis sæpe aduersum Vngaros victorijs insignis, grauiter vulneratus est, & cum in castra semiuiuus relatus fuisset, postero die expirauit. Ibi Engilbertus comes, ibi duo filij Eberhardi comitis de Ellenburg, ibi quam plurimi nobiles Sueui, quamplurimi ex Baioarijs corruerunt, paucique admodum sine vulneribus prælio excesserunt. Rudolfus Dux multis sæpe gladijs impetitus, quamquam tenacissimæ loricæ præsidio ictus omnes frustraretur, multis tamen ex assidua contusione membrorum affectus est incommodis.

Saxonū bellandi agilitas.

Forte de Nellemburg.

Rudolphus dux

In exercitu Saxonico præclarissimè enituit virtus Otthonis Ducis quondam Boiariæ. Is fortissimus iuuenibus septus, modò in prima acie pugnam laceßere, vbicumque acrior vis hostium incubuisset comminùs adesse, insistentium vultus gladio ferire, per hostiles cuneos quaqua versum viam sibi ferro parare, modò in postremis cessantes, adhortari, causæ qua arma sumpserant admonere, & vt nunc, quod sæpe quàm sanctæ iurassent, libertatem suam manu vindicarent, omnes in commune per Deum obsecrare. Strenuè profectò & egregij militis, & optimi Ducis officio fungebatur.

Otto dux Boiariæ

Protractum à media die vsque in horam nonam certamen, iam in eo erat, vt duo duorum regnorum exercitus Sueuiæ & Baioariæ terga verterent, & regi frequentes nuncij salutem suorum in extremo sitam nunciabant, cum repentè ex vno latere Hermannus comes de Glizberg, ex alio latere Babenbergenses milites signa inferunt. Tum Dux Boemorum, tum Gozelo Dux Lattoringorum multis prius periclitantium in prælio legationibus & supplicationibus fatigatus, suas vterque copias, incitatis ad cursum equis, immittit.

Imperatoris exercitus labascens.

CLXVI. Non vltra Saxones vim multitudinis sustinere poterant, paulatimq; cedentes, cum inclinatas iam ad fugam acies Dux Otthorestituere obsecrando, increpando, inertiam desidiamque exprobrando diu multumque conatus fuisset, tandem versis frenis omnes diuersas in partes aufugerunt. Tum verò, vt semper in fuga hostium ignauissimis & fortissimis par solet esse audacia, par gloria, omnes in exercitu Regis legiones confusis ordinibus, omnes etiam plebei ac rustici, qui castrorum vsibus seruilem operam dependebant, ocyus se ad persequendos fugientes expediunt, equos calcaribus enecant, latissimos campos dicto citius transuolant, obstantia quæque conculcant.

Saxones secundo bello cæsi.

Fugientes, quum in castra, tamquam illic latibulum habituri, se recepissent captis castris & direptis exagitant, loca omnia per quæ fuga est, per milliaria duo vel tria circumquaque cædibus cruentant, cadauerum aceruis exaggerant. Et quia concitatus vngulis equorum puluis, oculis prospectum, rebus discrimen eripuerat, vt haud facilè socios ab hostibus visu caligante secernere possent, quamplurimos ex socijs suis, dum hostes arbitrantur, interficiunt.

Fuga Saxonū

Principes Saxoniæ & nobiles præter duos mediocri loco natos, omnes viui integriq;euadunt, tum peritia locorum, tum obtenebrati acris densitate, tum equorum velocitate commodissimè vsi.

Porrò in vulgus pedestre, quod congressis equitibus adhuc in castris resederat, ita vltra modum omnem, modestiamque debacchata est hostilis feritas, vt Christianæ verecundiæ obliti, pecudes sibi non homines iugulare viderentur. Plurimam etiam partem fluuius Vnstrut, dum metu gladij imminentis præcipitantius irruunt, absorbuit. Cædi nox finem fecit. Et quod vltra fluuium persequi fugientes haud satis tutum putaretur, conuersi milites ad spolia diripienda tantam in castris hostium inuenerunt ciborum affluentiam, tantam auri & argenti vestiumque pretiosarum multitudinem, vt non ad bellum inferendum, sed ad epulum præbendum Regis exercitui, & ostentandam opum suarum magnificentiam occurrisse viderentur.

Sævities in Saxonum vulgus.

Castra Saxonū spoliata

Rex paulò post occasum solis, inter faustas, vt solemne est militū, acclamationes, in castra reuertitur, lætus & æstuãs gaudio, quòd hostes infestissimos insigni victoria subegißet: maximè iactantibus passim militibus, quod illos & illos de primis principibus Saxoniæ manu propria peremißent. Cumq;ad locum congressionis reuersi, alius dominum suũ, alius patrẽ, alius fratrem, alius cognatũ, aut alia quauis necessitudine sibi deuinctũ in acie corruisse reperisset,

læti-

Sal. An. 1075 *Victorū risus in planctum versa.* lætitia omnis in mœrorem, cantus versus est in vocem flentium, Planctu & vlulatu castra vniuersa perstrepebant. Sequentem diem in eisdem castris agentes, occisos terra obruunt. Qui clariores inter eos ditioresque extiterant, in patriam, vnde quisq; oriundus erat, sepeliendos remittunt: vulneratis curam adhibent, quos militiæ in reliquum inutiles vulnera reddiderant, suis in patriam curandos destinant.

Nec facilè æstimari poterat, quot hàc, quot illàc, in acie cæsa essent millia, hoc tamen palàm constante, plus hic nobilium, plus illic cecidisse plebeiæ multitudinis, & propter amissionem clarissimorum virorum, maius victores quam victos tulisse dispendium.

Rumor fallax. Mœrore & luctu affectis omnibus, grauior accessit dolor & facti pœnitentia, comperto quod Principes Saxoniæ, quos ad vnum interfectos pridie vano rumore vulgauerant, omnes integro numero viuerent, atque ad iterandum prælium nouas denuo copias pleni animorum contraherent. Grauiter nimis ferebant, & inter se haud obscuris mussitationibus fremebant, quòd maximo sui piaculo, minimo Reipublicæ emolumento, manus suas innoxiè plebis sanguine polluissent.

CLXVII. *Principes Thuringici excommunicātur.* Rex ipse quam plurimum verebatur, ne miles in irritum fusi tanti sanguinis pœnitens, religionis obtentu deinceps militiam detrectaret, quam sine peccato & graui offensa Dei administrare non posset. Pessimæ rei, pessimum Magontinus Archiepiscopus remedium adhibuit. Collocato cum paucis familiaribus Regis consilio, repentè processit in publicum, & Principes Thuringiæ nec canonicè ad synodum euocatos, nec synodali audientia secundum Ecclesiasticas leges discußos, præcipiti sententia excommunicauit: Ea scilicet causa, quod eum anno priore Erpesfurt, quum ad exigendas decimas assedisset, districtis gladijs intra Ecclesiam impetißent. Et ne quis ei forte hoc crimini daret, quod contra canonum scita miseros homines, tam inexplicabilibus negotijs ad præsens implicitos, tam iniquo tempore adortus fuißet, quando tantis vndique bellorum procellis iactati, non causis dicendis vacare, sed vitam suam fuga vel armis seruare necesse haberent, ait, à Romano Pontifice sibi hoc permissum esse, vt absque *Licentia Romana* legitimis inducijs, absque legitima discussione, die quo sibi occurreret, eos iusto anathemate ab Ecclesia recideret. Nullum tamen sapientem latere potuit, quò potissimum spectaret hoc factum, eò, scilicet, vt exercitus regis promptior deinceps fidentiorque aduersum eos bellum gereret, de quorum occisione, si post excommunicationem occisi fuissent, putaret se nec peccatis obnoxium fore, nec pœnis, quas leges Ecclesiasticæ statuunt homicidis. *Velamē peccati egregiū.*

Igitur mouit exercitus de loco certaminis, & transita Turingia ingressus est Saxoniam, omnia circumquaque ferro & igne depopulans, tantasque in villis singulis reperit opes, fœcundissima, scilicet, regione, & nullis ante hac bellis attacta, vt auidissimæ plebi castrorum, quæ sola spe rapinarum exercitum sequebatur, copia pareret fastidium. *Saxoniæ fœcunda regio.*

Rex tamen assiduas ad Principes Saxoniæ legationes, tum suo, tum Principum suorum nomine destinabat, hortans eos, vt se dederent, atque in clementia eius potiùs quàm in armis suis, quæ semel infœliciter tentassent, spem sibi deinceps ponerent. Sed illi haud dubijs indicijs compertum habentes, quantos in eos odio æstuaret, extremæ dementiæ esse indicabant, vt ei præcipitanter sanguinis sui ius, potestatemque faceret, cuius iram tantis ante expeditionem supplicationibus mitigare nequiuissent. Tamen mandauerunt ei verbis supplicibus, se pacem quàm bellum, clementiam eius quàm indignitatem semper maluisse, & eam si alio pretio quàm proprio sanguine redimere potuißent, nunquam adhæc extrema audenda experiendaq; processuros fuiße: Quòd si vel nunc saltem post illatam cladem cor eius tetigisset Deus, vt calamitatibus eorum condoleret, quos penè vsque ad internecionem prostrauisset, se hoc gratanter amplecti, & obliteratis à corde suo omnibus malis, quibus in eos iram odiumque suum explesset, deinceps ei fidos deuotosque futuros. Si autem hoc aliter quàm per deditionem fieri non posset, consultius sibi esse, vt salua existimatione sua, incolumi libertate sua, in congressione publica morerentur, quam dediti, ritu pecudum iugularentur, vel diu in custodia habiti, insuper fame & siti, alijsque cruciatibus macerati, omni morte tristiorem vitam exigerent.

Ad vltimum iussu regis profectus est Episcopus Magontinus & alij quidam ex principibus, & hæc eadem viua voce cum eis egerunt, obsecrantes eos per Deum, vt postquam malè

Sal-An. 1075. *malè auſpicato rem certamini commiſiſſent, & cladem multis poſt hac ſeculis non abolendam accepiſſent, nunc ſaltem malo ſuo coacti, reſipiſcerent à ſtultitia, nec ſe, gentemque ſuam obſtinata deſperatione omnino perditum irent, ſe in conſpectu omnia cernentis Dei fidem ſuam interponere, quod ſi ſe vltrò dediſſent, aut eadem die, aut breuiſſimo poſt tempore deditione abſoluendi eſſent, ſaluis ſibi dignitatibus, beneficijs, prædijs, & alijs facultatibus ſuis.*

Econtra illi ſatis ſibi, aiebant, reipſa cognitam & ſpectatam eſſe, & Principum fidem, & Regis atrox atque implacabile ingenium, quum poſt illas conditiones pacis, quas priore anno in Gerſtigun Rex, Principibus ſuffragium ferentibus, quàm ſanctè firmaſſet, tam crudeliter in eos culpæ, quam tunc condonauerat, vindictam exercuiſſet, nec Principum fides periclitantibus quicquam opis præſidijque contuliſſet. Proinde fruſtra eos rogare, vt fidem ſuam nunc experiantur, quaſi incognitam, quam in campis Turingiæ luce clarius, multo ſuo incommodo experti fuiſſent. Ita defixi in ſententia perſiſtentes, haud procul à Magdeburg locis munitiſſimis ſe continebant, quia licet multitudine abundarent, congreſſionibus tamen deinceps abſtinendum, niſi ineuitabilis neceſſitas incidiſſet, decreuerãt.

Vdo Marchio Imperatori ſe ſubmittit. *Tamen Vdo Marchio, & Epiſcopus Merſeburgenſis, & pauci alij nobiles Saxoniæ deditioni conſenſerunt. Ex quibus Vdo Marchio dato pro ſe obſide filio ſuo, ſtatim deditione abſolutus eſt. Epiſcopus in monaſterium Loreſſan miſſus, alij diuerſis Principibus, vt ad tempus ſeruarentur commendati ſunt.*

Rex vſque Halberſtat cum exercitu venit, omnia vt cœperat circumquaque ferro & igne depopulans. Goslariam quoque cum paucis perrexit, parcens loco ditiſſimo, & ſibi ſemper gratiſſimo, ne quam, admiſſa multitudine, ſentiret deprædationis iniuriam. Cumque exercitus indies fame & ſiti deperiret, veteri frumento partim igne, partim tantæ multitudinis vſibus abſumpto, nouo autem necdum maturo, cumque ſpes nulla eſſet ſine largioribus inducijs, & maioribus impenſis bellum hoc confici poſſe, exoratus Rex à Principibus Saxonia exceſſit, & tranſitis finibus Turingiæ, vbi Eſchenevuege peruenit, exercitum dimiſit, accepta à Principibus firmiſſima ſponſione, quòd ad iterandam expeditionem. 11. Kalend. Nouembr. maiores & ambitioſius inſtructas, ſibi in Gerſtingun copias adducturi eſſent.

Quo in tempore nunciatum eſt regi Dietuinum Leodienſem Epiſcopum, virum multis ornatum virtutibus, & per plures iam annos ſacerdotio perfunctum, ab hac luce migraſſe. Cui protinus rex per interuentum Gozelonis Ducis, propter eius excellens in militia meritum, ſucceſſorem conſtituit Heinricum quendam Vertunenſem Canonicum, ipſi Duci conſanguinitate proximum. Quo ille beneficio regi deuinctus, operam ſuam futuræ expeditioni, quàm maximam pollicebatur. Leodienſis Epiſcopus.

Rex dimiſſo exercitu, concitus Vvormaciam venit. Nec multo poſt, Burchardus Præpoſitus Treuerenſis Eccleſiæ, qui ad regem Ruzenorum legatione regia functus ierat, reuerſus eſt: tantum regi deferens auri & argenti, & veſtium pretioſarum, vt nulla retro memoria tantum regno Theutonico, vno tempore illatum referatur. Qua regem mercede adhoc tantum redimere volebat Rex Ruzenorum, vt fratri ſuo, quem regno expulerat, aduerſum ſe non præberet auxilium. Quod certè gratis etiam impetrare potuiſſet, quia inteſtinis ac domeſticis bellis occupatus, ad externæ, tamque remotis gentibus inferenda bella, nullo modo vacabat. Per ſe magno muneri magnum addit pretium temporis opportunitas. Nam ingentibus recentis belli expenſis ærarium Regis exhauſtum fuerat, & miles vehementer inſtabat, nuper exactæ militiæ præmium efflagitans: cui niſi ad votum regia largitione ſatisfeciſſet, haud dubiè conſtabat, quod eum ad reliquam negotij partem, quæ profecto maior reſtare timebatur, minus deuotum habiturus eſſet. Legatio dives auro.

Poſt abductum de Saxonia Regis exercitum, iterum Saxones & Turingi crebra conuenticula faciebant, in quibus plebs contra Principes, & Principes contra plebem grauiſſima ſimultate tumultuabantur. Succenſebat plebs principibus, quòd eam ad ſumenda contra Regem arma importunis ſuaſionibus impuliſſent, & nunc cum ad certamen ventum eſſet, ipſi fuga elapſi, plebem proſternendam, conculcandam, & ritu inertium pecudum iugulandam hoſtibus expoſuiſſent. Iraſcebantur Principes plebi, quod ipſis in aciem progreſſis, & pro numero ſuo ſatis impigrè rem gerentibus, plebs intra caſtra inerti otio de- Bellum Saxonicũ tertio repullulaſcens.

Sal. An. 1075. Saxones Thuringos detestantur.

desedisset, & periclitantibus plurimum irritæ spei nihil opis præsidijque diu expectata contulisset. Tum verò omnes in commune Saxones, omnes Turingos infestissime auersabantur, & cum his iustius quam cum Rege bellum sibi fore dicebant, quod in fugam verso Saxonico exercitu, Turingi per omnes vias & compita oppositi fugientes inuaderent, raperent, lacerarent, & ignominiosa nuditate fœdatos, de suis finibus effugarent.

Iam in eo erat, vt ad vim magnumque aliquod malum iurgia spectare viderentur: Sed Episcopus Halberstadensis, & Otto Dux quondam Baioariæ, quorum potissimum consilio bellum Saxonicum administrabatur, efferatæ multitudinis animos salubri moderatione mitigabant: orantes eos per Deum, ne arma, quæ pro vindicanda libertate sua concorditer sumpsissent, nunc diabolico furore raptati, in propria viscera retorquerent: Neu hostibus suis, qui luctuosam à se victoriam reportassent, per intestinam hanc seditionem animos audaciamque repararent. Præterea cernentes, quod in fractam prima aduersitate plebem vehementer iam belli pœniteret pariter, & tæderet, veriti etiam, vt semper variũ & intestabile est plebis ingenium, ne ipsos Principes captos Regi traderent, & suam salutem eorum sanguine redimerent, retulerunt ad eos de pace instauranda, suaseruntq; vt quomodo semel accepta clades belli eius tædium horroremque incussisset, omnem nunc operam verterent ad placandam Regis aduersum se indignationem.

Legati Saxonũ ad Imperatorem.

Gratanter nimis hoc auditum, acceptumque est ab omni plebe. Statimque Episcopum Premensem & Vdonem Marchionem collato consilio ad Regem miserunt, orare per Deum, vt saltem nunc sanguine eorum exsaturatus, iracundiæ suæ modum poneret, nec exiguum gentis Saxonicæ, quod atrocissimæ cædi superfuerat, vsque ad internecionem deleret, diem locumque constitueret, quo tuto venire, tuto causam dicere liceret: Se iuxta iurisdictionem omnium Regni Principum, de omni iniuria, qua se læsum diceret, paratos ei ad votum satisfacere. Omnem postremo satisfactionem proponere, omnia, salua modo vita & libertate, libenter passuros fore, si tantum expeditionem quàm aduersum se omnibus regni principibus indictam comperissent ad tempus inhiberet.

Ad hæc Rex ait: se nec eis, nec cuiquam iustam satisfactionem de culpa proponenti veniam negaturum: De tanto autem tamq; atroci negotio præcipitanter sententiã ferre nec velle, nec debere, donec Principes regni in vnũ cõuenirent, in quorum communem ignominiã læsæ maiestatis iniuria redundaret, & quorum tam virtute bellum transigendum, quàm consilio pax reparanda esset: præsertim quum iam sæpenumero bona & pacifica promittentes fefellissent, se principibus suis in expeditionem coadunandi exercitus diem 11. Kal. Nouemb. constituisse in Gerstingun. Si eos patrati facinoris reuera pœniteret, eò venirent, accepturi illic, quamcumq; Regni Principes æquam iudicassent, pro admissa temeritate, sententiam. *Imperatoris responsum.*

Hoc vbi Saxonibus nunciatum est, ingens eos metus inuasit, omnesque certatim animi conatus intendunt ad placandam quoquo modo possint Regis iracundiam: Ea præ omnibus cura habita, vt expeditionem, quæ tam atrociter indicta fuerat, præuerterent, recolentes quantum calamitatis superiori expeditione accepissent, & haud dubiè scientes, quod infestiorem nunc hostem, instaurata post fugam bella sibi reddituta essent. Itaque supra memoratos nuncios, & cum his Hildinisheimensem Episcopum mittunt, nec Regi solùm, sed cunctis etiam Principibus, pro recuperatione pacis obnixius supplicare iubent, omnem admissi facinoris satisfactionem etiam supra leges, & natales suos promittunt. Et ne verbis minus fidei sit, obsides ipsis Legatis, quantos accipere velint, tradunt, quibus se obligent, nulla vnquam leuitate, nulla necessitate, nulla ingruentium casuum mutabilitate promissionibus suis defuturos fore. *Saxones Imperatoris expeditionem declinare student.*

CLXIX.

Sed Rex comperto per occultos indices, quod id molirentur, omnibus modis satagebat, ne qua deinceps ante instructam expeditionem Legati Saxonum copia fieret colloquendi secum: præcauens, scilicet, ne forte Principes Regni supplicationibus eorum & satisfactionis humilitate euicti, clementiorem in eos animum acciperent. Quinimmò, tum honori quàm iracundiæ suæ hoc consultius fore iudicabat, vt si fieri posset, nouis occasionibus veteres inimicitiæ instaurarentur, & vulnus quod præpropere in cicatricem obduci metuebat, recentibus plagis exulceraretur. *Imperator implacabilis.*

Ad hoc efficiendum nouo & exquisito vtitur artificio, Simulat se à Salomone viro sororis suæ, Rege Vngarorum, in Vngariam euoca-

Sal.An. 1075. Imperator æstu conatur Saxoniã subigere. tum, vt lites quæ inter ipsum erant & Ioiadam, quæ eum regno expulerat, habito cum vtriusque familiari colloquio, componeret. Huius itineris prætextu elusis omnibus regni principibus, in Boemiam proficiscitur: nullum secum habens ex principibus, præter Hermannum comitem de Glizberg, equites autem expeditos, & tanto negotio allectissimos penè quingentos. Qui reiectis sarcinis & cæteris bellorum impedimentis, itineri tantum & certamini se expedierant. Assumpto in Boemia Duce & exercitu Boemico, per occultos ac difficillimos tramites in Saxoniam contendit, sperans se eos, vt dici solet, inter oscitantes, cum inopinatus irrueret, facilè oppressurum, aut si rebellare tentarent, iustam deinceps aduersum eos belli & satisfactionis non suscipiendæ causam habiturum.

CLXX. Episcopus Misnensis captus. Igitur vsque Misenen peruenit vrbem, sitam in confinio Boemiæ & Saxoniæ. Ibi à ciuibus pacificè in ciuitatem susceptus, Episcopum ciuitatis ipsius comprehendit, omnia quæ eius erant diripuit. Hoc solo reum maiestatis cum adiudicans, quod toto tempore belli Saxonici nullos ad eum seruatæ erga Remp. fidei indices, nuncios, vel literas destinasset. Cæterum homo Ecclesiasticæ paupertatis & nihil aut parum habens pompæ militaris, vota forsitan contra Remp. facere, arma ferre non poterat, nec magnum vel his vel illis partibus momentum, amicus siue inimicus extitisset.

Paulò vlterius progressus villas nonnullas incendit, homines plerosq; ingenuos in deditionem accepit. Cum repentè præmissi exploratores, retulerunt, iamdudum consilij huius famam ad Saxones præuenisse, eos contractis plusquam 15. milibus armatorum, haud procul castra posuisse: Paratos cum eo proxima die, nisi satisfactionem eorum, pacisq; conditiones vltro susciperet, collatis signis confligere. Postremò de eius, suorumque omnium salute actum esse, si vel vltrà progredi vel in eisdem castris posterã diem opperiri vellet: præsertim quum nullum vndique conclusis effugium pateret: nec periculum manu propulsare, multitudine impares, possent. Ingens omnes qui cum Rege erant metus perculit, vehementerque eius ineptiam incusabant,

Metus in castris imperat. quod cum successus suos nimium ipse vrgeret, & morarum impatiens multorum annorum bella vno impetu conficere immoderata præsũptione festinaret, se, suosque hostibus puerili leuitate prodidisset. Eorum monitis obtemperans citato quantum poterat reditu in Boemiam, vnde eruperat, se recepit. Quem abeuntem, quidam ex Saxonibus expediti equites, inscijs principibus insecuti, priusquam Saxonia excederet, oppressisset, nisi Boto comes, qui ad Saxones à Rege orator ierat, prouocare eos ad deditionem, vel, quod verius est, vana pollicitatione veniæ implicare eos, ne persequerentur abeuntem, hac arte eos fefellisset. Digrediens à castris Saxonum, cum eos paulatim vestigia sua insequi cerneret, iter vnius diei, quo ad Regem redire poterat, longos anfractos, & longa viarum dispendia legendo, vix triduo confecit: vt per hanc, scilicet, moram Rex elusis hostibus in tutum euadere posset. Botonis comitis stratagema.

Ita periculo liberatus Rex, militem suum labore ac vigilijs tum potissimum fame ac siti penè vsque ad defectionem spiritus confectum, post paucos dies Ratisponam reduxit, è vicino iam imminente die, quo in expeditionem exercitus adunandus erat. Inuenitque ibi Legatos Saxonum, multo iam tempore reditus eius præstolantes.

Quos, responsũ differendo diu suspẽsos tenuit, vt redire ad suos, nisi sub ipso imminentis iam expeditionis articulo, & penè incumbente iam ceruicibus eorum hostili gladio, non possent.

Cumque sub idem ferè tempus Dedi Marchio longa ægritudine absumptus decessisset, Marchiam eius Boemico Duci, in præmium exactæ militiæ dedit: tametsi vxor Marchionis Adala filium suum, cui hereditaria successione Marcha debebatur, ei paulò ante pro se obsidem misisset, & ipse Marchio post recuperatam pacem in Gerstingun, intemeratam semper erga Regem, remque publicam fidem seruasset. Marchia Boemico Duci cõcessa.

Saxonũ consultationes bellicæ. Interea Saxones & Turingi inter spem & metum, inter pacem & bellum, inter comminationes & supplicationes, vario curarum æstu fluctuabant, nec quid agerent, quo se verterent, quibus modis impeditam rem explicarent, crebra conuenticula facientes, deliberare poterant. Censebant alij quomodo Rex ad internecionẽ totius Saxonicæ gentis animũ obstinasset: vt quicquid Saxoniæ vel Turingiæ hostilis exercitus reliquum fecisset, id ipsi, iniecto igne, absumerent, & sic cum omnibus suis vltra fluuium Albim commearent. Alij vt Luiticios infestissimam nomini Chri-

Sal. An. 1075. *Christiano gentem, finibus suis excirent, & barbaro milite aduersus barbarum atque implacabilem hostem vterentur. Alij vt castella, quæ Rex per Turingiam, & Saxoniam dirui iusserat, instaurarent, & locorum difficultate, quoniam armis non possent salutem suam, quo ad indignatio domini deflagraret, tutarentur. Sed plebs omnem spem suam ab armis ad preces verterat, quæ si non proficerent, incunctanter animo fixerat, omnia fœda etiam atque crudelia potius tolerare, quàm se certamini committere, & ancipitem fortunæ aleam, quàm semel infausta congressione experta fuisset, denuo tentare. Econtra Principes, quibus primum authoribus ea rabies inarserat, sedulò instabant, obsecrantes, vt pristinæ virtutis memores crimen non inferrent gloriæ suæ: nec optimè cœpta fœdissimè nunc desererent: quod prima congressione res secus cessisset, id causæ extitisse, quod nec Regem nec Principem habuißent, cuius ductu & auspicio bellum gerere, ad cuius imperium castra locare, in aciem procedere, manum cum hostibus conferre, & cætera militaris disciplinæ munia obseruare sacramenti militaris religione cogerentur. Si is scrupulus ademptus eßet, nullum Regem, nullum deinceps exercitum virtuti Saxonicæ insuperabilem fore. Proinde malæ rei, pessimæ spei, vnicum hoc remedium, & aduersus insolentiam hostium vehemens telum esse, si regem sibi crearent, & in eius verba iurarent, se pro patria, pro coniugibus, pro liberis, pro legibus, pro libertate sua, vsque ad mortem militaturos eße. In his & huiuscemodi deliberationibus cum sæpe septem, sæpe 14. dies continua consultatione triuissent, incertiores semper quàm venerant domum reuertebantur. Ita quum omnia deliberando pertentassent, omnia discussissent, propter acceptæ cladis recentem memoriam, nihil rationibus suis satis tutum, satis firmum putabant.*

CLXXI. Expeditio in Saxones quarta. *Rex 11. Kalend. Nouembr. iuxta condictum venit in Gerstingun, Venerunt omnes Theutonici Regni Episcopi & comites. Aderat Diodericus Dux Mosellæ regionis, aderat Gozelo Dux Lottaringiæ, tantas habens copias, ita militaribus armis instructas, ita de tota cui præerat regione seueriβimo delectu habito exquisitas, vt solæ cæterum Regis exercitum numero, & bellici apparatus gloria præcellere ac supergredi viderentur. Alij Duces Rudolfus, scilicet, Dux Sueuorum, Vuelf Dux Baioariorum, Bertholdus Dux Carentinorum regi auxilium suum petenti denegauerant, pœnitentes vt aiebant, superiore expeditione in irritum fusi tanti sanguinis, offensi etiam Regis immitti atque implacabili ingenio, cuius iracundiæ incendium, nec lachrymæ Saxonum, nec inundantes campis Turingiæ riui sanguinis restinguere potuissent. Cæteri tamen Principes, qui frequentissimi conuenerant, magnum satis ac validum exercitum fecerant, ei tamen longe ac longe imparem, quem prior illa expeditio cõtraxerat.*

Saxones & Turingi vltima iam necessitate exciti amplissimo numero conuenere, & positis castris haud procul à curte Regia Northusun, Archiepiscopum Premensem, Episcopum Hildenesheimensem, Vdonem Marchionem Regi obviam in Gerstingun miserunt, obnixè postulantes, vt à latere suo Principes, quos vellet ad eos transmitteret, paratos, se collato cum eis consilio, omnibus, quæ iusta sint, promptissime assensum præbere. Saxonũ Castra & legati ad Imperatorẽ.

Abnuit Rex, nec Principes suos de tam remotis Regni partibus ad sententias dicendas confluxiße, sed vt manu militari ab hostibus communes Reipub. iniurias expostularent. Sed cum ei hoc vix, & ægrè supplicatio legatorum extorsisset, nullus erat ex principibus, qui eo munere fungi consentiret singulis, videlicet, timentibus, ne vel apud Regem perfidiæ notarentur, si quid in Saxones clementius agerent, vel apud Saxones mendacij crimine infamarentur, si veniam eis admissi pollicerentur, quam incunctanter scirent, nullam eos à Rege consecuturos. Triduo in hac cunctatione cessatum est, Legatis assiduo euntibus, ac redeuntibus, atque in eadem verba Regis, & omnium Principum aures obtundentibus. Nec propterea Rex profectionem distulit, sed instructo exercitu, prælatis militaribus signis lento quotidie gradu in vlteriora populabundus contendebat.

Tandem placuit mitti ad eos Magontinum Archiepisc. Saltzburgensem Archiepisc. Augustensem Episc. Vuirzeburgensem Episc. & cũ his Ducem Gozelonem, cuius potissimum in ea expeditione authoritas valebat, & in eo omnium quæ agẽda erant, sũma & cardo vertebatur, pro eo quod licet statura pusillus, & Gibbo deformis esset, tamen opum gloria, & militum lectissimorũ copia, tum sapiẽtiæ & eloquij Legati Imperatoris ad Saxones.

Sal-An. 1075. maturitate cæteris Principibus quam plurimum eminebat. Hos quinque nominatim ad colloquium suum Saxones expetierant, quod hos constantissimæ fidei & veritatis esse compererant, & quicquid hi spopondissent, ratum fore haud dubio credebant.

Saxones supplices. Cùmque in castra Saxonum venissent, prouoluti pedibus eorum Principes Saxoniæ, obtestabantur per Deum, vt calamitatis eorum misererentur, quos regis inclementia, & primo ad audendum hoc immane facinus coegisset, & nunc victos & penè vsque ad internecionem deletos, ad exitiales cruciatus insatiabili odio deposceret. Quod si legibus, si iudiciis, si more maiorum innocentiam suam asserere permittantur, facilè crimen refellant, & se acceptas in Gerstingun pacis conditiones nullo deinceps ausu temerario violasse probent, vel si probare nequeant pœnas, quas leges & scita maiorum in similium criminum reos sanxerint persoluere non abnuant. Nunc verò nouo crudelitatis genere innocentibus refellendi criminis copiam non dari, placationem non recipi, satisfactionem non admitti sed semel conceptæ indignationis virus, ita penitus imis insedisse visceribus, vt non alio medicamine, quàm totius Saxonicæ gentis exterminio sedari valeat. Proinde videant ipsi memores humanarum rerum, ne fortè pestilentis huius exempli contagium sumpto ab Saxonibus exordio, cæteros etiam quandoque regni Principes inficiat, & ita nunc infœlicibus euentis Saxonum moderentur, ita calicem hunc fellis & Absinthij misceant & propinent Saxonibus, vt sibi quoque paulo post eundem meminerint esse bibendum. Se iam incisa spe, omissa deinceps salutis propriæ cura, hoc firmiter animo statuisset, vt quicquid illi agendum censeant, suadeant, iubeant, incunctanter agant, nec suarum partium studio patiantur vlterius totius Reipub. statum periclitari.

Legatorū Imp. responsū. Adhæc illi responderunt, se causam quamprimum aduersus regem arma sumpserint, non admodum improbare, nec placere sibi obstinatum ad perniciem eorum regis animum & pertinax odium, consensisse tamen in hoc omnes Regni Principes, de vsurpato in Republica nouo hoc & multis retro seculis inauditofacinore, non aliter Regi vel Reipublicæ posse satisfieri, quam vt se absque vlla exceptione dedant. Sibi autem quorum hoc consilio agant curæ futurum, vt nihil ex hac deditione quod saluti eorum, quod honori, quod rei familiari officiat, experiantur.

Saxonū vulgus. Aduersus hanc vocem vehementer infremuit vulgus Saxonicum, durumque omnibus visum est, & intolerabile, & ei sanguinis sui ius potestatemque facere, cuius crudelitatis tam clara cepissent experimenta, qui post depopulationes Thuringiæ & Saxoniæ, post multa hominum millia cæsa, adhuc spirans minarum, & cædis, omnia aduersum eos mundi regna concitasset, cuius iracundiæ in secundis rebus non pietas, non miseratio, non Dei, non hominum respectus vnquam modum fecisent, satius sibi fore, vt æquo certamine congressi, more virorum fortium moriantur in bello, quàm vt in exilijs & carceribus ritu pecudum iugulari, ridiculum hostibus suis spectaculum præbeant.

Econtra illi sedulo instabant, deprecantes, vt salutaribus monitis adquiescerent, neque exiguum Saxonici nominis, quod cædi ac depopulationi superfuisset vana desperatione perditum irent, se si minus salutis eorum, at propriæ existimationis curam per maximam habere, qui profecto maculam sibi & crimen nulla deinceps ætate, nulla virtute abolendum contraherent, si fidei suæ creditos aduersitatis cuiusquam vel leuis aura perstringeret. Proinde ituros se ad Regem, & si tuto fidem ducere, tuto veniam polliceri possent comperturos, & quæ comperta fuissent, die postera renunciaturos.

Rex gratissimè amplexus pacis conuentionem, promisit, & sicut vulgata in plurimos fama loquebatur, etiamsi iusiurandum dedit, nihil se in eos si dediti fuissent, præter voluntatem & sententiam acturum eorum, quorum opera & beneficio incruenta sibi hac victoria obtigisset.

Sæpe itum ac reditum est, sæpe Saxones refutato deditionis consilio arma expediri, atq; in aciem signa efferri conclamauerant, dum omnia fide regis tutiora sibi arbitrarentur.

Gozzilonis studium in placandis Saxonibus. Sed Gozzilo Dux, & qui cum eo erant Episcopi satis impigros se exhibuerunt negotio, & ferocientis multitudinis tumultum nunc minis, nunc blandimentis comprimebant, pollicentes, & quia verbis parum fidei erat, etiam sub iureiurando confirmantes, non salutis, non libertatis, non prædiorum, non beneficiorum, non cæteræ suppellectilis suæ vllam eos iacturam sensuros, sed postquam

faciem

Sal. An. 1075. *faciem Regis, & Regni maiestatem momentanea satisfactione magnificassent, statim de deditione absoluendos, & patriæ libertatique in nullis imminuto sibi conditionis suæ statu restituendos esse.*

Saxones se dedūt Imperatori. *Non verba, non iuramenta, non promissiones vllæ Principibus Saxoniæ metum ademerant, sed quia nec vtiliter hostibus congredi numero ac virtute impares valebant, nec bellum diutius trahi, plebe iam olim tædio affecta, & pacis recuperandæ cupidissima poterat, post longas deliberationes post multas tergiuersationes lachrymantes, atque alta suspiria ab imis trahentes visceribus, tandem deditioni consenserunt, & fidem Principum Regisque clementiam propriæ salutis periculo experiri statuerunt.*

Quod vbi protinus per exercitum regis celebris rumor vulgauerat, ingens gaudium, vehemens erat gratulatio, omnique triumpho illustriorem omnibus spolijs opimiorem æstimabant victoriam, quod adempta sibi fuisset necessitas, cum his manum denuo conserendi, qui prima congressione extinctis penè omnibus Sueuiæ ac Baioariæ luminibus luctuosam victoribus victi cladem intulissent.

Saxoniæ Principum Catalogus. *Postera die Rex ad suscipiendos eos in medio late patentis campi planitie in loco, qui dicitur Spiraha, assedit, toto exercitu ad hoc spectaculum solemniter euocato, latissimo inter constipatam multitudinem vacante spacio, vbi dum procederent totius exercitus oculis conspicui forent. Igitur introducuntur per ordinem Saxoniæ ac Turingiæ primo Principes, Vvexil Archiepiscopus Magdaburgensis, Bucco Episcopus Halberstatensis, Ottho Dux quondam Baioariæ, Magnus Dux Saxoniæ, Herimannus comes patruus eius, Fridericus Palatinus comes, Diedericus comes de Cadalenburg, Adelbertus comes de Turingia, Rudeger, Sizzo, Berenger, Bern, comites. Deinde ingenui omnes, qui generis vel opum claritate aliquantulum eminebant in populo, & sicut conuenerat absque vlla exceptione regis se dediderunt.*

Rex eos Principibus suis singulis singulos, donec de eis communi consilio deliberaretur,
CLXXIV *seruandos commisit, & paulò post rupto fœdere, contemptis omnibus, quibus se obligauerat iurisiurandi vinculis, eos per Galliam, Sueuiam & Baioariam, per Italiam & Burgundiam deportari fecit. Beneficia quoque eorum militibus suis, quorum præcipuè opera in bello Saxonico vsus fuerat distribuit. Commoratus etiam paucis diebus in Turingia Castellum in Asenberg instaurauit, præsidiumque imposuit, præcauens nequid post digressum suum instabilis vulgi leuitate nouaretur. Præterea ingenuis omnibus, qui vel casu abfuerant, vel metu se subtraxerant diem statuit, ante quem si in deditionem non venissent, tamquam hostes publici ab omnibus, quibus Respub. curæ esset, ferro & igne infestarentur, atque ita dimisso exercitu, victor rediens, natalem Sancti Martini Vvormaciæ celebrauit.*

Imperator fœdus cū Saxonibus rūpit

Suffragante victoria elatus Henricus, aduersus Pontificem moliri videbatur, nec amplius ei solitum præstabat obsequium, vt Domnizo canit *in vita Mathildis.*

Quod Rex absq; mora Papæ mādauit, adorās
Atq; petens ipsum pro se roget, vt Crucifixum.
Pastor confestim Saxonum mittere genti
Curauit, planè pacem cupiens reuocare.
Inde suus Missus donec redeat, iubet ipsum
Regē nullo modo super ipsos pergere: quod non
Rex expectauit: galeatus quin equitauit
Contrà Saxones, qui fortes sunt & atroces.
Peccator quāuis, prudēs tamē hic erat armis.
Comisso bello, victor Rex extitit ergo.
Vnde superbus adest, Papā despexit vt amēs,
Omnia quæ Papæ, matriq; spoponderat ante
Fregit & inuenit, simoniacos reuocauit &c.

Porrò cum Pontifex Romanus crebris legationibus, & clerici Bambergenses Regi CLXXV imminerent, vt vacanti Ecclesiæ daret pastorem. Licet Episcopus iam depositus Regi semper in bello & pace extitisset fidelis, gratanter tamen aduersus eum Rex videbatur accusationem recipere (ait *Lambertus*) vt per eius deiectionem via sibi pateret ad Vvormatiensem Episcopum, & alios nonnullos, quibus in vltionem pristinæ defectionis calumniam struere sentiebatur. Propterea *Rupertum* Goslariensem prępositum, virum pessimæ existimationis in populo, ordinari mandauit: quem maluerunt Clerici pręponi, quàm eum sustinere, aduersus quem ad sedem appellauerant Apostolicam. CLXXVI Sic cum Tuldensis Abbas esset eligendus, inter monachos odiosa fuit concertatio, vt quilibet maiori pretio Abbatiam emeret. Quorum immodestiam Rex detestatus, repentè diuino aflatus numine, Monachum quemdam Her-

Discordia & Simonia Monachorum sanctè ab Henrico repressa.

Sal. An. 1076. Herueldensem Ruzelinum nomine, qui pro causa Monasterij sui eo venerat, in mediam euocat, eiq; inopinato, & inuito baculũ offert pastoralem. Simile, defuncto *Vdalrico* Abbate de Lorenã, accidit in alio Monacho, nomine Adelberto. *Lambertus*. Moritur hoc anno Hano Archiep. Colon. pietate, religione, constantia clarus, & inter Sanctos relatus.

REX HENRICVS ROMAM EVOCATVR A PAPA. Sal. An. 1076.

CLXXVII NAtalem Domini Goslariæ cum celebrasset *Henricus*, vbi communi Principum consensu de Principibus Saxoniæ, qui in deditionem venerant, deliberandum erat; præter Ducem Boemicum venere pauci. Ab his iuramento exacto de infantuli sui successione: *Otto* Dux quondam Bauariæ, duobus filijs suis obsidibus datis, deditione absoluitur: in gratiam recipitur, & tanta amicitiæ necessitudo intercessit, vt omnia regni arcana cum eo *Henricus* communicaret. Cæterorum qui se dediderant, nec mentio habita est. Coloniensis Clerus & populum cum ad eligendum Antistitem confluxisset. *Hildolphum* Canonicum Goslariensem Rex offerebat. Obijcientibus quod homo statura pusillus, vultu despicabilis, obscurus genere, nulla virtute præditus, timens *Henricus* Archiepiscopi constantiam, si *Hannoni* similem promoueret, respondit se viuo aut nullum, aut hunc eos habiturus esse Pontificem. Vnde Colonienses infecto negotio remearunt. *Aderant præterea* (ait Lambertus) *Hildebrandi Papæ Legati, denunciantes Regi; vt secunda Feria secundæ Hebdomadæ in Quadragesima ad Synodum Romæ occurreret, de criminibus, quæ obijcerentur, causam dicturus: alioquin sciret, se absque omni procrastinatione eodem die de corpore S. Ecclesiæ Apostolico anathemate abscindendum esse.* Huic tamẽ legationi præuia fuit eiusdem Gregorij Epistola, extat in lib. 3. Epist. 10. CLXXVIII

Otto Dux Bauariæ reconciliatur.

Dissidiũ pro electione Ep. Colon.

GREGORIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI Henrico Regi salutem, & Apostolicam benedictionem, Si tamen Apostolicæ Sedi, vt Christianum decet Regem, obedierit.

CLXXX. *COnsiderantes, ac sollicitè pensantes, quam districto Iudici de dispensatione crediti nobis per beatum Petrum Apostolorum Principem ministerij rationem reddituri sumus: cum dubitatione Apostolicam tibi benedictionem mandauimus, quoniam iudicio Sedis Apostolicæ, ac synodali censura excommunicatis communionem tuam scienter exhibere diceris. Quod si verum est, tu ipse cognoscis, quod nec diuinæ, nec Apostolicæ benedictionis gratiam percipere possis, nisi his, qui excommunicati sunt, à te separatis, & compulsis ad pænitentiam, de transgressione tua condigna pænitudine & satisfactione prius absolutionem consequaris & indulgentiam. Vnde excellentiæ tuæ consulimus, vt si in hac re te culpabilem sentis; celeri confessione ad consilium religiosi alicuius Episcopi venias, qui cum nostra licentia congruam tibi pro hac culpa iniungens pænitentiam, te absoluat, vt nobis tuo consensu modum pænitentiæ tuæ per Epistolam suam veraciter intimare audeat,* hęc est prima querela Gregorij aduersus Hẽricũ Regem, post quã secundam sic ingerit.

Greg. Papæ admonitio ad Henricum Reg.

De cetero mirùm nobis valdè videtur, quod totiens nobis tam deuotas Epistolas, & tantam humilitatem tuæ celsitudinis per Legatorum tuorum verba transmittis, filium te sanctæ matri Ecclesiæ, & nostrum vocas, in fide subiectum, in dilectione vnicum, in deuotione præcipuum; postremo cum omni affectu dulcedinis, & reuerentiæ te commendas, re tamen & factis asperrimum; Canonicis, atque Apostolicis decretis in his quæ Ecclesiastica Religio maxime poscit, te contrarium ostendis. Nam vt de reliquis taceamus, quod de causa Mediolanensi per matrem tuam, per confratres nostros Episcopos, quos ad te misimus, nobis promiseras, qualiter attenderis, aut quo animo promiseris ipsa res indicat. Et nunc quidem vt vulnus vulneri infligeres, contra Statuta Apostolicæ Sedis tradidisti Firmanam, & Spoletanam Ecclesiam (si tamen ab homine tradi Ecclesia aut donari potest) quibusdam personis nobis etiam ignotis, quibus non licet nisi probatis & antea bene cognitis regulariter manum imponere, hactenus secunda querela de collatione, quam Rex sibi vsurpauerat etiam in terris sub Romanæ Ecclesiæ dominio positis. Tertia vero & illa subnectitur querela de contemptis à Rege decretis synodalibus.

Querelę Gregorij de Henrico Rege.

De-

Sal. An. 1076. Decuerat Regiam dignitatem tuam, cum te filium Ecclesiæ confiteris, honorabilius magistrum Ecclesiæ, hoc est, B. Petrum Apostolorum Principem intueri, cui, si de Dominicis ouibus es, Dominica voce & potestate ad pascendum traditus es, dicente sibi Christo: Petre pasce oues meas: & iterum: Tibi traditæ sunt claues regni cœlorum, & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cœlis. In cuius Sede & Apostolica administratione, dum nos qualescumque peccatores & indigni, diuina dispositione vicem suæ potestatis gerimus, profecto quidquid ad nos vel per scripta, aut nudis verbis miseris, ipse recipit: & dum nos, aut elementa percurrimus, aut loquentium voces auscultamus, ipse ex quo corde mandata prodierint, subtili inspectione discernit. Quapropter prouidendum esset tuæ celsitudini, ne erga Sedem Apostolicam in verbis, & legationibus tuis aliqua inueniretur discrepantia voluntatis; & in his per quæ Christiana fides & Status Ecclesiæ ad æternam salutem maximè proficit, non nobis, sed Deo Omnipotenti debitam non denegares reuerentiam, quamquam Apostolis eorumque successoribus Dominus dicere dignatus sit: Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit. Scimus enim quoniam qui fidelem Deo obedientiam exhibere non renuit, in his quæ sanctorum Patrum statuta sequentes dixerimus, veluti si ab ore ipsius Apostoli accepisset, nostra monita seruare non spernit. Nam si propter reuerentiam Cathedræ Moysi Dominus præcepit Apostolis, vt quæcumque Scribæ & Pharisæi super eam sedentes dicerent, obseruarent: non dubium est, quin Apostolica & Euangelica doctrina, cuius sedes & fundamentum Christus est, cum omni veneratione à Fidelibus per eos, qui in ministerium prædicationis electi sunt, suscipienda & tenenda sit.

De cultu Apo. sto. Sedis spreto.

Congregata namque in hoc anno apud Sedem Apostolicam Synodo, cui nos superna dispensatio præsidere voluit, cui etiam nonnulli tuorum interfuere fidelium, videntes ordinem Christianæ Religionis multis iam labefactatum temporibus, & principales ac proprias lucrandarum animarum causas diu prolapsas, & suadente diabolo conculcatas: concussi periculo & manifesta perditione Dominici gregis, ad sanctorum Patrum decreta doctrinamque recurrimus, nihil noui, nihil adinuentione nostra statuentes; sed primam & vnicam Ecclesiasticæ disciplinæ regulam, & tritam Sanctorum viam, relicto errore repetendam, & sectandam esse censuimus. Neque enim alium nostræ salutis & æternæ vitæ introitum Christi ouibus, eorumque pastoribus patere cognoscimus, nisi quem ab ipso monstratum, qui dixit: Ego sum ostium, per me si quis introierit, saluabitur, & pascua inueniet; & ab Apostolis prædicatum, & à sanctis Patribus obseruatum, in Euangelica, & in omni diuinarum Scripturarum pagina didicimus. Huius autem decreti, quod quidam dicunt humanos, diuinis honoribus præponentes, importabile pondus, & immensam grauitudinem: nos autem magis proprio vocabulo recuperandæ salutis necessariam veritatem vocamus, & lucem, non solum à te, vel ab his qui in regno tuo sunt, sed ab omnibus terrarum Principibus, & populis qui Christum confitentur & colunt, deuote suscipiendam & obseruandam adiudicamus. Quamquam hoc multum desideremus, & te permaxime deceret, vt sicut cæteris gloria & honore, virtuteque potentior, ita esses & in Christi deuotione sublimior. Attamen ne hæc supra modum tibi grauia aut iniqua viderentur: per tuos fideles tibi mandauimus, ne prauæ consuetudinis mutatio te commoueret; mitteres ad nos quos sapientes, & religiosos in regno tuo inuenire posses, qui si aliqua ratione demonstrare, vel astruere possent, in quo saluo æterni Regis honore, & sine periculo animarum nostrarum promulgatam Sanctorum Patrum possemus temperare sententiam, eorum consiliis condescenderemus. Quod quidem, etsi à nobis tam amicabiliter monitus non fuisses; æquum tamen fuerat vt prius in quo te grauaremus, aut tuis honoribus obstaremus, rationabiliter à nobis exigeres, quam Apostolica decreta violares. Verum quanti aut nostra monita, aut obseruantiam iustitiæ feceris, in his quæ postmodum à te gesta & disposita sunt, declaratur.

De Synodo cōgregata & decretis synodalibus renouatis.

Sed quia dum adhuc longa Dei patientia ad emendationem te inuitat, crescente intelligentia tua, ad obedientiam mandatorum Dei cor & animum tuum flecti posse speramus: paterna te charitate monemus, vt Christi

Sal. An. 1076. *sti super te imperium recognoscens, honorem tuum eius honori præponere, quam sit periculosum, cogites, & libertatem Ecclesiæ, quam sponsam sibi cœlesti consortio iungere dignatus est, non iam tua occupatione impedias, sed quo maximè crescat, Deo omnipotenti & beato Petro, à quibus & tua mereatur amplificari gloria, auxilium tuæ virtutis fideli deuotione exhibere incipias. Quod nimirum pro collata tibi ex hostibus tuis victoria, nunc te permaximè illis debitum fore, cognoscere debes, vt dum te memorabili prosperitate lætificant; ex concessis beneficijs deuotiorem videant. Atque hoc vt timor Dei, in cuius manu & potestate omne regnum est & Imperium, præcordijs tuis altius quam nostra admonitio infigat: in mente habeas quid Sauli post adeptam victoriam, qua Propheta iubente vsus est, de suo triumpho glorianti, & eiusdem Prophetæ monita non exequenti, acciderit, & qualiter à Domino reprobatus sit. Quanta verò gratia Dauid Regem ex merito humilitatis inter virtutum insignia subsecuta fuit. Denique super his, quæ in Epistolis tuis visa ac cognita reticemus, non antea tibi certa responsa dabimus, donec Legati tui Rabbodi, Adelprech, & Vodescal Rei, quos his adiunximus, ad nos reuersi, super his, quæ illis tecum agenda commisimus, tuam nobis plenius aperiant voluntatem. Datum Romæ sexto Idus Ianuarij Indictione xiij.*

Modestè vtenda victoria.

Ad Legationem reuertamur, *quæ Regem* (ait Lambertus) *vehementer permouit: statimque abiectis cum graui contumelia legatis; omnes, qui in regno suo essent, Episcopos & Abbates, Vvormatiæ Dominica Septuagesimæ conuenire præcepit, tractare cum eis volens ad deponendum Romanum Pontificem si qua sibi via, si qua ratio pateret: in hoc cardine totam verti ratus salutem suam, & regni stabilitatem, si is non esset Episcopus.* Epistolas itaque in omnes sui Regni partes præmisit, quibus ad pseudosynodum Episcopos solicitaret. Vna est, quam, Epistolarum Henrici collector Hannoni Archiepisc. Colonniensi directam asserit; quod rectè insimulat Baronius, cum teste *Lamberto*, anno antecedenti Hanno fuisset præmortuus. Nec suffragatur correctio Goldasti *in Collectione Constitutionum Imperialium*, eam circularem ad omnes Episcopos directam; vt similem asserit *Hildolpho* moderno Archiepisc. Colonniensi fuisse directam, nam *Hildolphus* ad Archiepiscopatum Colonniensem promotus fuit post comitia Vvormatiensia, non ante: vndè vel fictam Epistolam fateri opus sit, vel falsò inscriptam. Quæ fuerit, inferiùs lege.

Côciliabulum aduersus Papam.

CXXCI.

Henricus Dei gratia Rex, salutem, dilectionem non omnibus, sed paucis eandem.

IN maximis negotijs, maximis maximorum opus est consilijs, qui & facultatem habeant exterius, & voluntate non careant interius, vt rei, cui bene cupiunt, bene consulere, & velint & possint. Quia in cuiuslibet profectu nec facultas sine voluntate, nec voluntas sine facultate proderit. Quod vtrumque Tu N. fidelissime, vt arbitramur, æqualiter possides: vel, vt veriùs dicamus, licet maximo tibi maxima non desit facultas, maior tamen adhuc maxima facultate, si bene te nouimus, & fidem tuam diligenter notauimus, in nostram & Regni vtilitatem exuberat voluntas. De præteritis enim fideliter exhibitis, in futuris crescit spes fidelius exhibendis. Tuæ autem dilectioni committimus, ne spei nostræ desit fides tua, quia de nullius Regni Principum vel Episcoporum fidelitate, quàm de tua, maiora speramus: sicut hactenus non modò in præteritarum rerum exhibitione, verum etiam in sperandarum promissione tua gauisi sumus. Adsit ergo in tempore hoc opportuno tua cum facultate voluntas, quàm non modo nostra, verùm etiam omnium Coepiscoporum fratrumque tuorum, immò totiùs oppressæ Ecclesiæ exoptat necessitas. Non enim hanc oppressionem ignoras, tantùm vide ne oppressæ Ecclesiæ solatium subtrahas, sed Regno & Sacerdotio condoleas: quo vtroque sicut hucvsque Ecclesia est exaltata, ita nunc heu humiliatur vtroque viduata. Nam vnus dum vtrumque sibi vindicauit, vtrumque dissipauit: nec in vno profuit, qui in neutro prodesse voluit nec potuit. Et ne diutius notati nomine te suspendamus, accipe quem dicimus, Hildebrandum scilicet, Monachum quidem habitu, dictum Apostolicum, non pastoris cura sed inuasoris violentia; Apostolicæ Sedi præsidentem, & de sede pacis Catholicæ, pacis vnicæ vinculum dissipantem, vt tibi metipsi in promptu est scire. Vt enim

de

Sal. An. 1076. *de pluribus pauca referamus, Regnum & Sacerdotium Deo nesciente sibi vsurpauit, in quo piam Dei ordinationem contempsit, qui non in vno sed in duobus duo, id est Regnum & Sacerdotium principaliter consistere voluit: Sicut ipse Saluator in passione de duorum gladiorum sufficientia typica intelligi innuit. Cui cum diceretur: Domine, ecce duo gladij hic: respondet, Satis est; significans, hac sufficiente dualitate spiritualem & materialem gladium in Ecclesia esse gerendum, quibus omne nociuum foret amputandum; videlicet Sacerdotali, ad obedientiam Regis pro Deo; Regali verò gladio, ad expugnandos, & expellendos Christi inimicos exteriùs, & ad obedientiam Sacerdotij interiùs, omnem hominem docens fore constringendum, vt ita de alio in alium charitate tenderetur, dum nec Sacerdotij Regnum, nec Sacerdotium Regni honore priuaretur. Hanc Dei ordinationem qualiter Hildebrandica confuderit insania, tu ipse nosti, si scire nosti, vel voluisti. Nam nullum eius iudicio licet eße Sacerdotem, nisi qui hoc à fastu suo emendicauerit. Me quoque, quem Deus in Regnum, non autem illum vocauit ad Sacerdotium, quia me de Deo, & non de illo regnare velle vidit, quia ipse me Regem non constituit, Regno priuare studuit, minitans Regnum animamque mihi se tollere, quorum neutrum concessit. Hæc & ijs similia quum sæpius in nostram, vt ipse nosti contumeliam struxerit, non tamen adhuc sufficere credit, qui de die in diem noua & exquisita confusionis genera nobis ingerit, vt in nostris Nuncius nouiter argumentum dedit. Nam charta exponere non sufficit, qualiter eosdem nostros Nuncios tractauerit, quàm indignis modis affecerit, quàm crudeliter eos incarcerauerit, & carceratos nuditate, frigore, fame, siti, ac plagis contriuerit, sicque demum ad exemplum per medium ciuitatis circumductos omnibus spectaculum præbere iusserit, ita vt eundem cum Decio tyranno insanire, & Sanctos assare credas & dicas. Vnde ne pigeat, Charissime, communi nostrum, scilicet meæ & Coepiscoporum tuorum, petitioni satisfacere, vt in Heptacosten Vvormaciam venias, & ibi plura, quorum pauca docet Chartula, cum centum Principibus audias, & quid agendum sit doceas, rogatus per dilectionem Coepiscoporum, oratus per vtilitatem Ecclesiæ, obligatus per vitæ nostræ & Regni totius honorem. Valete.*

Hic plurimæ scatent fraudes, & mendacia Quando enim Legatos Cæsaris carcer clausit Romanus? Secundo. Comitia non ad Pentecostem vt in supracitata epistola fingitur, sed ad Septuagesimam, teste *Lamberto*, coacta fuerant. Aliæ etiam epistolæ leguntur circulares, sequenti directæ titulo.

DILECTIS IN CHRISTO FRATRIBVS, ET DOMINIS, Archiepiscopis, Episcopis, Principibus, Romani Imperij Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Maioribus & Minoribus, Clero & Populo, Sanctæ Ecclesiæ Cultoribus, Theodoricus Verdunensis Episcopus Dei Gratia, id quod est, fraternam dilectionem, debitam seruitutem, perpetuam in Domino Salutem.

CXXCII *REgni nostri perturbatio &, vt verius dicam, nisi Dominus auertat, proxima nimis annullatio, in maximum dolorem nos excitat, in lachrymas vocat, in miserabilem querimoniam coram Deo & hominibus nos animat. Hildebrandus, qui dicitur caput, iam ex cauda Ecclesiæ: qui fundamentum, iam detrimentum est Ecclesiæ. Hic dispergit, qui dicebatur congregare: hic Ecclesiam odit, qui dicebatur diligere: iam vsque ad omnimodam hæresim infirmat; qui dicebant Ecclesiam Sanctam confirmare. O inaudita arrogantia hominis, supra omnem Ecclesiam in se gloriantis, supra omnem malitiam malè agentis, vnitatem Ecclesiæ scindentis; quod inauditum est, Regnum & Regem Catholicum destruere præsumentis, impios iustificantis, pios iniustissimè damnantis, Decreta Patrum peruertentis, Regem adulterinum extollentis, Regem liberum & legitimum etiam cum memoria nominis Regij extinguere meditantis. Periuria, fidelitatem dicit; fidem, sacrilegum facit, imoque ab initio fuit mendax pater eius, per omnia mentitur, & in omnibus veritati contradicit. Videat Deus & iudicet: videte vos, & iudicate. Hominem impium, hominem abominatum, membra Ecclesiæ subuertentem, caput nostrum faceremus? Nos omni Ecclesiastico honore verissimè destituentem, patrem nobis constitue-*

Sal. An. 1076. remus? Vita sua illum accusat, peruersitas damnat, obstinatio malitiæ illum anathematizat. In qua re vobiscum esse, vobiscum facere, vobiscum laborem subire, aßensum, consilium, auxilium vestrum non recuso. De eligendo autem Pontifice, qui errata corrigat, qui destructa restituat, qui huiusmodi fortia confundat, Deo cooptante vobiscum operabimur, Deo consentiente vobiscum sentiemus, & pro honore Ecclesiæ, & pro recuperatione Regis & Regni, in nullo vobis deerimus. Valete.

ROMANVS TVMVLTVS. 1076.

CLXXXIII. SVpradicta in Germania meditante Henrico, *Ipso tempore contigit Papam* (Lambertus) *per immissionem Satanæ grauissima pulsari aduersitate. Quidam vrbis Præfectus Romanæ Quintius nomine, & generis claritate & opum gloria eminens valdè in tota Italia, multa in possessionibus Romanæ Ecclesiæ præter leges faciebat. Perlata ad Papam querimonia, cum eum sæpius modestè corriperet, nec quicquam proficeret secreta correptio, tandem excommunicauit eum: arbitratus hoc saltem modo improbitatem eius coercendam fore. Hinc ille maiori dementia efferatus, ipsa nocte natalis Domini, cum armatis inopinato irruit in Ecclesiam, in qua Papa, vestimentis Pontificalibus indutus, sacro altari astabat, missarum solemnia celebrans, iniectaq; quod dictu quoque nefas est, in capillos eius manu, multis contumelijs affectum, de Ecclesia protraxit, & priusquam vulgato per ciuitatem rumore populus frequens auxilio concurreret, in domum quandam munitissimam abripuit. Fama tam atrocis facti totam illicò repleuit vrbem. Vndiq; arma conclamatur. Diuites & pauperes, nobiles & ignobiles vno omnes animo accurrere, atque in ipso statim orientis diei crepusculo domum Quintij oppugnare summa vi aggrediuntur, & nisi ille mali quod immінebat haud improuidus, Papam dimittere maturasset, domum ipsam, peremptis omnibus qui in ea erant, à fundamento euertissent. Papa interueniente, concitatæ multitudinis furor vix & ægrè compressus est.*

Gregor. VII. à Quintio Romano ciue sacra tractans violatur

Romani quod factum fuerat grauiter nimis & indignè ferentes, omnia quæ Quintij erant, tam intra muros quàm extra ferro & igne demoliti sunt, Nec minus ille multa militaris audaciæ facinora contra faciebat, succendens & euertens omnia quæ poterat de possessionibus Romanæ Ecclesiæ. Ita per multos dies non sine magno & harum & illarum partium dispendio, simultas hæc trahebatur.

IN COMITIIS VVORMATIENSIBVS, PAPA GREGORIVS EXSIBILLATVR.

CLXXXIV. SStatuta die (ait *Lambertus*) Rex Vvormatiam venit: venerunt etiam Episcopi tum Gregorio ob causam celibatus infensi, tum ab Henrico pollicitationibus excitat; & Abbates amplissimo numero. *Commodè quoque conficiendis tantis rebus interuenit quidam ex Cardinalibus Romanis Hugo, cognomento Blancus, quem ante paucos dies, propter ineptiam eius & mores inconditos, Papa de statione sua amouerat, deferens secum, de vita & institutione Papæ, scenicis figmentis consimilem tragœdiam: scilicet, vnde oriundus, qualiter ab ineunte ætate conuersatus, quàm peruerso ordine sedem Apostolicam occupauerit, quæ ante Episcopatum, quæ post acceptum Episcopatum, memoratu quoque incredibilia, flagitia commiserit. Huius authoritatem tanquam diuinitus sibi destinatam gratissimè amplexati & promptissimè secuti sententiam promulgarunt: quòd Papa eßet non possit, nec vllam, iuxta priuilegium Romanæ Sedis, ligandi, aut soluendi potestatem habeat, vel aliquando habuerit, qui tantis vitam probris ac criminibus commaculauerit.*

Cumque cæteri omnes damnationi eius nihil hæsitantes subscriberent, Adalbero Vvirceburgensis Episcopus, & Herimannus Mettensis Episcopus aliquamdiu restiterunt, dicentes. Incongruum valde, & contra Canonum scita esse, vt Episcopus aliquis absens, absque generali Concilio, sine legitimis, & idoneis accusatoribus & testibus, necdum probatis criminibus quæ obijcerentur, condemnaretur, nedum Romanus Pontifex. Aduersus quem nec Episcopi cuiusquam recipienda sit accusatio.

Sed Vvihelmus Traiectensis Episcopus, qui causam Regis pertinacius tuebatur, vehementer imminebat, vt aut cum cæteris in dam-

Sal. An. 1076. *damnationem Papæ subscriberent, aut regi cui sub iureiurando fidem spopondissent, protinus renunciaret. Is eo tempore, & regi admodum carus acceptusq; erat eique Rex omnium, quæ priuatim vel publicè agenda erant, post se ordinationem delegauerat, vir secularibus literis apprime eruditus, sed fastu nimio inflatus vix se ipse ferebat.*

Igitur ex nomine omnium qui conuenerant Episcoporum & Abbatum, plenæ contumeliarum literæ Romam destinantur, quibus denuncietur Romano Pontifici: vt Pontificatu, quem contra Ecclesiasticas leges vsurpasset sese abdicet, sciatque post eam diem quicquid agat, iubeat, decernat, irritum haberi.

Legati vt iußum fuerat summo conatu iter accelerantes, pridie quàm synodus in dicta celebraretur, Romam ingressi, literas tradunt. Tunc cæteram legationem, sicut in mandatis habebant, verbo non minus contumelioso, quàm scripto exequuntur.

Litteræ porrò quas Germani aduersùs Gregorium detulere legati, fuere sequentes.

Sententia Pseudosynodi Vvormatiensis damnans Papam Hildebrandum.

Sigifridus Moguntinus,
Vdo Treuerensis, } *Archiepisc.*

Vvihelmus Traiectensis,
Herimannus Metensis,
Henrichus Leodiensis,
Richardus Verdonensis,
Bibo Tullensis,
Huzmannus Spirensis.
Burcardus Halberstadensis,
Vvernherus Strasburgensis,
Burckardus Basiliensis,
Otto Constantiensis.
Adelbero Vvirtzburgensis,
Rudbertus Babenbergensis,
Otto Ratisponensis,
Elingardus Frisingensis,
Vdalricus Eystettensis.
Fridericus Mmasteriensis.
Eilbertus Mindensis,
Hezil Hiltinesheymensis,
Beno Oseneburgensis,
Eppo Neapolitanus,
Imardus Paderbrunnensis,
Thiedo Brandenabrugensis,
Burckhardus Losannensis,
Bruno Vnensis, } *Episcopus.*

Hildebrando fratri, &c. Cum primum Ecclesiæ gubernacula inuasißes, etsi bene nobis cognitum esset, quàm illicitam & nefariam rem contra ius & fas familiari tibi arrogantia præsumpsisse, dissimulanda tamen, dispensatoria quadam taciturnitate, tam vitiosa introitus tui exordia putauimus, sperantes videlicet tam criminosa principia consequentis regiminis tui probitate & industria emendanda, & aliquatenus obliteranda. Verùm nunc, vt lamentabilis vniuersalis Ecclesiæ status clamat & deplorat, malis initijs tuis per peiores actionum decretorumque tuorum progressus, infælici respondes tenore & pertinacia. Cum enim Dominus & Redemptor noster, pacis & charitatis bonum quasi singularem fidelibus suis characterem impresserit, cuius rei testimonia existunt plura, quam vt epistolari breuitate comprehendi valeant: tu è contrario, dum prophanis studes nouitatibus, dum magis amplo quàm bono nomine delectaris, dum inaudita elatione distenderis, velut quidam signifer schismatis, omnia membra Ecclesiæ, quæ secundum Apostolum quietam & tranquillam vitam ante hæc tua tempora agebant, superba crudelitate, crudelique superbia lacerasti: flammasque discordiæ, quas in Romanam Eccl. diris factionibus excitasti per omnes Ecclesias Italiæ, Germaniæ, Galliæ, & Hispaniæ furiali dementia sparsisti. Sublata enim, quantum in te fuit, omni potestate ab Episcopis, quæ eis diuinitus per gratiam Sp. S. qui maximè in ordinationibus operatur, collata esse dinoscitur, omniq; rerum Ecclesiasticarum administratione plebeio furori per te attributa, dum nemo iam alicui Episcopus aut Presbyter est, nisi qui hoc indignissima assentatione à fastu suo emendicauerit, omnem Apostolicæ institutionis vigorem, illamque pulcherrimam membrorum Christi distributionem, quam Doctor gentium toties commendat & inculcat, miserabili confusione miscuisti: sicque per hæc tua gloriosa decreta (quod sine lachrymis dici non potest) Christi ferè nomen perijt. Quis autem illud pro indignitate rei non stupeat, quod nouam quandam indebitamque potentiam tibi vsurpando arrogas, vt debita vniuersæ fraternitati iura destruas? Asseris enim, cuiuscunque nostrum

Sal. An. 1076. *Parrochiani aliquod delictum ad te vel sola fama perueniat, vltra iam non habere quemquam nostrum aliquam potestatem vel ligandi, vel soluendi, præter te solum aut eum, quem tu specialiter ad hoc delegeris. Quæ sententia quod omnem insaniam excedat, quis in sacris literis eruditus non videat.*

Quia ergo per hos aliosque præsumptionum tuarum spiritus Ecclesiam Dei tam grauiter periclitantem, immò ferè pessundatam diutiùs tolerare omni malo deteriùs iudicauimus, placuit, vt communi omnium nostrum consilio tibi, quod hactenus tacuimus, innotescat, quamobrem nec modò possis, nec vmquam potueris Apostolicæ Sedi præesse: Tu ipse bonæ memoriæ Henrico Imperatori teipsum corporali sacramento obstrinxisti, quod numquam viuente ipso Imperatore, aut filio eius Domino nostro glorioso Rege, qui modo summæ rerum præest Papatum aut ipse susciperes, aut alium, quantum in te est, suscipere patereris, absque assensu, & laudamento vel patris, dum viueret, vel filij, dum ipse viueret. Atque huius Sacramenti sunt hodie testes plerique Episcopi, qui hoc tunc & oculis suis videre & auribus audiere. Illud etiam recordare, quomodo tu ipse aliquos ex Cardinalibus, cum ambitio Papatus titillaret, ad tollendam æmulationem hac occasione & conditione, vt ipsi hoc idem facerent, sacramento te obligasti, quod numquam Papatum habiturus esses. Vtraq; hæc Sacramentorum quam sanctè, quam cautè obseruaueris, tu videris. Præterea cum tempore Nicolai Papæ Synodus celebraretur, in qua centum viginti quinque Episcopi consederant, sub anathemate id Statutum & Decretum est, vt nullius vnquam Papa fieret, nisi per electionem Cardinalium, & approbationem populi, & per consensum & authoritatem Regis. Atque huius consilij, seu Decreti Tu ipse author & persuasor subscriptorque fuisti. Ad hæc quasi fœtore quodam grauissimi scandali totam Ecclesiam replesti de conuictu & cohabitatione alienæ mulieris familiariori quam necesse sit. In quare verecundia nostra magis quam causa laborat; quamuis hæc generalis querela vbiq; personuerit, omnia iudicia, omnia Decreta per fœminas in Sede Apostolica actitari, denique per hunc fœminarum nouum Senatum totius orbis & Ecclesiæ iura administrari. Nam de iniurijs & contumelijs Episcoporum, quos fornicarios & filios meretricum, & cætera id genus indignissimè appellas, nulla querimonia sufficit. Quia ergo & introitus tuus tantis periurijs initiatus est, & Ecclesia Dei tam graui tempestate per abusionem nouitatum tuarum periclitatur, & vitam per conuersationem tuam tam multiplici infamia dehonestati, obedientiam, quam tibi nullam promisimus, nec de cætero vllam seruaturos esse, renunciamus. Et quia nemo nostrum, vt tu publicè declamas, tibi hactenus fuit Episcopus, ita tu quoque nulli nostrum amodò eris Apostolicus.

Huic pseudosynodi Germanorum, Lombardorum aliam accessisse, testatur *Bertoldus. Vnde Rex in septuagesima apud Vvormatiam colloquio facto, & alio in Lombardia apud Placentiam, omnesque quos potuit obedientiam prædicto Papæ exhibendam, abiurare fecit:* Sequentis porrò tenoris Lombardorum sententia fuit.

Hildebrandus qui se Gregorium nuncupat, primus sine consensu nostro aduersus Imperatoris Romani, rerum Domini à Deo constituti, voluntatem, contra morem maiorum, contra leges, contra auspicia; Pontificatum maximum, quem pridem ambiuit, & iudicio conuictus perpetuo abiurauit, inuasit; Monachus desertor est, nouis dogmatibus sacrosanctam Philosophiam adulterat, diuinas literas falso interpretando suæ causæ seruire cogit, concordiam Collegij scindit, sacra prophana, diuina humana commiscet, vtraque iuxta polluit. Diabolis, hoc est, acerbissimorum hostium spurcissimis criminationibus, iniquorum maledictis aurem commodat & credit. Testis, iudex, accusator, inimicus idem est. Maritos ab vxoribus separat: scorta pudicis coniugibus, stupra, incestus, adulteria, casto præfert connubio: populares aduersus Sacerdotes, vulgus aduersum Episcopos concitat. Neminem initiatum rite esse docet, nisi qui ab eo Sacerdotium emendicauerit: vili plebeculæ gratificari studet, vulgi imperiti auram captat, simulata religione decipit, defraudat, circumuenit: in senatulo muliercularum de sacratissimis religionis mysterijs pertractat: supremi numinis legem, qua se idem quoque ligauit, soluit: vtrumque & Imperium & Pontificatum, sicuti Decij & falsorum Deorum cultores factitare consueuerunt, vsurpat.

Hasce

Sal.An. 1076. *Hasce ob causas Sanctissimus Imperator, Pontifices, Senatus, Populusque Christianus, illum Hildebrandum abdicandum, sibi eundem non placere, neque oues lupo committendas censent. Huicque decreto Germaniæ Galliæque, & Italiæ Episcopi ac Proceres, Conuentu in hac Regia vrbe Papia acto, subscripsere, iuraruntque se numquam Pontificem Maximum isthoc nomine recepturos.*

Epistola *Rolando* cuidam Clerico Parmensi, vt legitur apud *Sigonium* & *Goldastũ*. (Teutonicum dicit *Baronius, ex gestis S. Anselmi Lucensis Episcopi*) ad *Gregorium* deferenda est data. Is maturato itinere Romam, antequàm conuentus institueretur, accessit: ac reddita Gregorio epistola, eidem *Henrici* nomine nunciauit, absque omni salutationis honore: *Tibi ad Hildebrandum* (inquit) *Cæsar noster Christianissimus, sanctissimi Italiæ, Germaniæ, Galliæ Episcopi, & sacer ordo Christianus, præcipiunt, vt te munere, quod actu, pecunia, gratia occupasti, confestim abdices. Nec enim fas est, in vitijs illis te aduersus authoritatem Imperatoris, contra Christianæ Ecclesiæ Decretũ, ouili Dei vltrà incubare. Deinde ad cæteros versus: Pientissimi, inquit, fratres, pastorẽ iure vestro deligite, deinde sacratissimus Cõsul, Tribunus & Princeps vester more maiorum author fiat.*

Res erat grauis, neque vllo pacto Christiano homini, nedum Pontifici Maximo, toleranda, Pontificiam auctoritatem in ordinem cogi ab eo, quem tutorem ipsa sibi Ecclesia delegisset. Extabant etiam præclara *Gregorij II.* & *III.* Pontif. Romanorum exempla, qui minoribus opibus præditi *Leoni Isauro* potentiori Imperatori sacris interdicere, & iurata Italiæ obedientia spoliare non dubitarunt, vno eo crimine, quod se, sacris imaginibus inimicum aduersùs vetera Patrum decreta præbuisset. CXXCV His de rebus *Gregorius* haud sibi dubitandum putauit, quin vnà & suas, & ipsius Ecclesiæ iniurias prò magnitudine potestatis persequeretur. Itaque postero die, cum epistolam in Concilio recitasset, rei indignitate Patres commoti, *Henrici* missos turpissimè exsibillarunt, qui vix à Romanis, adiuuante Papa, euaserunt, ipsum autem Regem, Synodo iudicante, fidelitate hominum, regno & communione priuauit, & omnes ei ad Regnum iuratos, iuramento absoluit. Omnes Episcopos, qui Regi sponte contra Papam fauerunt, officio & communione priuauit: reliquis autem, qui inuiti eidem conspirationi intererant, vsque ad festiuitatem Sancti Petri, inducias dedit. Decretum verò depositionis Henrici tale fuit.

Depositio Regis Henrici filij Imperatoris Henrici.

Clxxxvi. Decretũ excommunicationis in Henric. Reg. *Beate Petre Apostolorum Princeps, inclina quæsumus pias aures tuas nobis, & audi me seruum tuum, quem ab infantia nutristi, & vsque ad hunc diem de manu iniquorum liberasti, qui me pro tua fidelitate oderunt & odiunt. Tu mihi testis es, & Domina mea Mater Dei, & beatus Paulus frater tuus inter omnes Sanctos, quod tua sancta Romana Ecclesia me inuitum ad sua gubernacula traxit; & ego non rapinam arbitratus sum ad Sedem tuam ascendere, potiusque volui vitam meam in peregrinatione finire, quam locum tuum pro gloria mundi sæculari ingenio arripere. Et ideò ex tua gratia, non ex meis operibus credo, quod tibi placuit & placet, vt populus Christianus tibi specialiter commissus mihi obediat, specialiter pro vita tua mihi commissa, & mi hi tua gratia est potestas à Deo data ligandi, atque soluendi in cœlo & in terra. Hac itaque fiducia fretus pro Ecclesiæ tuæ honore & defensione ex parte omnipotentis Dei Patris, & filij & Spiritus Sancti, per tuam potestatem & auctoritatem Henrico Regi filio Henrici Imperatoris, qui contra tuam Ecclesiam inaudita superbia insurrexit, totius Regni Teutonicorum, & Italiæ gubernacula contradico, & omnes Christianos à vinculo iuramenti, quod sibi fecere, & facient, absoluo: & vt nullus ei sicut Regi seruiat, interdico. Dignum est enim, vt qui studet honorem Ecclesiæ tuæ imminuere, ipse honorem amittat quem videtur habere. Et quia sicut Christianus contempsit obedire, nec ad Dominum redijt, quem dimisit participando excommunicatis, & multas iniquitates faciendo, meaque monita, quæ pro sua salute sibi misi, te teste, spernendo, seq. ab Ecclesia tua, tentans eam scindere, separando, vinculo eum anathematis vice tua alligo, & sic cum ex fiducia tua alligo, vt sciant gentes & comprobent, quia tu es*

Pe-

Petrus, & super tuam petram Filius Dei viui ædificauit Ecclesiam suam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.

CLXXXVI. Moritur hoc anno *Godefridus* Dux Lotharingiæ *Gibber* (alij dicunt *Bertholdum* Godefridi filium) particeps, imò auctor supradictæ conspirationis; Is turpiter à coquo, *Theoderici V.* Hollandiæ comitis (quem comitatu *Godefridus* deturbauerat) in natibus vulneratus, dum in latrina sederet.

Paul. Langius, in Chr. Citizen. VVilhelmus etiam Episcop. Traiectensis cuius consilio, excommunicationem vilipendebat *Henricus*, ne populus à Rege excommunicato discederet, cum inter Missarū solemnia derisoriè Populo Regem excommunicasset; quantum valeret, in seipso coactus agnouit. Nam morbo correptus lethali, cum quidam Regis nuncius responsum expectaret, *Hoc* (inquit) *mitto ei mandatum, quod ipse & ego, & omnes iniquitati ei fauentes sumus damnati in perpetuum.* Cumq; à Clericis, ne talia loqueretur, esset admonitus. *Quid aliud* (inquit) *loquor, nisi quod verū esse, visibiliter intueor? Ecce dæmones lectum circumstant, vt expirantem capiant. Nec laboramini prò me in orationibus.* Sic desperatus occubuit, & iacuit insepultus, donec Romam missus, ne populus fętore corrumperetur, iubente Pontifice, sine precibus sepelitur. Alij etiam complures Henrici fautores male interiere. Inter quos *Vdo Treuerensis* Archiep. repentina morte obijt. *Burchardus Misnensis* præfectus ex equo cadens, expirauit: vt & *Eppo Citzensis* Episcopus.

Mors Vvilhelmi Traiectensis.

Mors misera eorum qui in Papam conquirarunt.

CLXXXVII. Ad Regem regrediamur: Is finito in Vvormatia colloquio, concitus Goslariam redijt, *ibique iram suam* (Lambertus) *quā multo iam tempore in Saxones anxie æstuauerat, omni crudelitate explebat. Principes Saxoniæ, qui in deditionem venerant in vltimas Regni partes relegabat, bona eorum suis fautoribus pro libito suo diripienda permittebat: eos qui necdum dediti fuerant, acerrimis indies edictis ad deditionem vrgebat, & nisi quantocyus dederentur, ferro & igne infestari, & longius natali solo effugari comminabatur. Tum omnia castella, quæ superiori anno dirui iusserat, summo nisu, summo prouincialium labore & ærumna instaurabat. Noua quoque in omnibus per Saxoniam montibus & collibus, qui modo ad arcendam vim paululum quid commoditatis habere videbantur, exstruebat, illis etiam, quæ deditis Saxonibus in ius eius venerant, præsidium imponebat, & multiplicata sunt mala, calamitas & vastitas per vniuersam Saxoniam & Turingiam supra omnem retro maiorum memoriam.*

Discessurus Goslaria pridie nonas Martij Episcopatum Coloniensem, sicut à primis obstinato intenderat Hildolfo dedit. Cleri Coloniensis tres tantum, militum etiam paucissimi, aderant. Cæteros, ne ad suffragia ferenda occurrerent, indignitas detinuerat. Ipsos qui occurrerant vix contemptim, & summis, vt dici solet labijs super electione eius consuluit, risui prorsus ac ludibrio habendos, si non protinus acclamassent. Et ne quis forte aduersus eum tumultus, seditione vulgi per dilationem consecrationis concitaretur, statim Coloniam profectus, consecrari eum fecit ab Vvilhelmo Traiectensi Episcopo cuius consobrino Episcopatum Paderbunnensem, ne qua per eum mora ordinationi eius fieret, promittebat. *Hildolfo Episcop. Coloniensis.*

Pascha Traiecti celebrauit. Ibique Ducatum Lotheringiæ filio suo Cunrado, Marchiam verò, quæ dicitur Antuuerpha, Gotefrido consobrino Gotzeonis Ducis, filio Eustachij comitis impigro & ad rem militarem acerrimo adolescenti tradidit.

Ipso tempore Rudolfus Dux Sueuorum, Vvelf Dux Baioariorum, Bertoldus Dux Carentinorum, Adalbero Episcopus Virceburgensis, Herimannus Episcopus Mettensis, & alij plerique Principes conuenientes in vnum, consilia conferebant, in tantis calamitatibus, quibus Respublica vexabatur, quid facto opus esset. Regem post bellum Saxonicum eundem permanere qui fuerat, nihil eum de leuitate, de crudelitate, de pessimorum conuictu ac familiaritate mutasse. Ad hoc tantum tam insignem suam aduersum Saxones victoriam profecisse, vt ille sui omnium sanguinis ius potestatemque acciperet, & ad perniciem bonorum omnium, & ad omne quod animo concepisset flagitium, impunita libertate grassaretur, nihil sibi deinceps spei, nihil præsidij, reliquum fore, si forte, vt sunt humana, eum offendißent, cum in dedititios contra iusiurandum, contra fidem Principum tam fœda, tam crudelia, exercuißet. Hæc causa non solum ipsos, sed cunctos regni Principes vehe- CLXXXVIII *Conspiratio Principum in Imper.*

Sal.An. 1076. hementer permouerat, & eos potissimum, quorum consilio Principes Saxoniæ se in periculum dederant. Facta est igitur conspiratio non modica, & magis ac magis in dies roborabatur, ea re maximè omnibus ausum & fiduciam præbente, quod excommunicatum esse Regem à Romano Pontifice, frequentes ab Italia nuncij quotidie deferebant.

Gegenbach. Rupertus Abbas quondam Augiensis Monasterium quoddam in Alsatiæ partibus, cui Gengebach nomen est, à Babenbergensi Episcopo susceperat gubernandum. Vbi dum pro consuetudine sua lucris temporalibus immoderatius insudaret, paupertatem loci industria sua euincere satagens, occisus est cum alio haud desperatæ indolis monacho adolescente, qui eum de Babenbergensi monasterio secutus fuerat, à seruitoribus supradicti monasterij, contra quos possessiones Monasterij, & ius suum, progressus ipse ad vim arcendam, defendere volebat.

CXXCIX Saxones miseria oppressi. Saxones, deportatis in exilium Principibus suis, tædio & mœrore tabescebant, nec calamitatis vllum vsquam petebant effugium. Amici Regis per montes & colles d sperſi ceruicibus imminebant: nec eos vt antea conuentus facere, consilia conferre, aut vllam recuperandæ salutis viam tentare sinebant. Insuper quotidie ex agris & villis prædas agebant, tributa regioni difficillima imponebant, castella sua summo prouincialium labore & impensis communiebant, & graues prorsus atque inexplicabiles pristinæ rebellionis pœnas exigebant.

Geronis comitis filij defensores patria. Erant duo cuiusdam Geronis comitis filij, satis quidem edito loco nati, sed propter inopiam rei familiaris inter Principes Saxoniæ nullius nominis vel momenti. Hi tempore deditionis vltra Albim fluuium refugerat, ibique rei euentum præstolabantur: facile à Rege propter obscuritatem nominis, vel ignorati, vel contempti. Cumque viderent mala quæ fiebant, non aliud, scilicet actum deditione Principum, quam proditam planè esse libertatem patriæ, totamque gentem Saxonum, quod rex semper intenderat, in seruitutem, atque sub iugum redactam, quamvis patrijs finibus extorres, quamuis munitionibus amissis, perdito patrimonio, rerum omnium inopes remansissent: gaudebant tamen admodum, quod cum cæteris Saxoniæ Principibus intempestuosum illud deditionis naufragium non incidissent: Et cum vrgeret penuria, contractis ex sui similium numero aliquantis copijs, rapto sibi victum quærere cœperunt. Plerumque etiam, vbi opportunitas accidisset, Regis exactoribus resistere, & iniurias manu propulsare tentabant. Cumq; eis semel & secundo res prospere cessissent, milites Principum, qui relegati fuerant, ingenui quoque omnes, qui necdum dediti fuerant, quique extrema omnia quàm fidem Regis vltra experiri mallebant, cateruatim ad eos confluebant. Et facta est intra dies paucos permaxima multitudo, ita vt iam non ad insidias modo & clandestinas latrocinantium more excursiones, sed ad apertam vim & publicas congressiones pares se hostibus arbitrarentur.

Saxones quinto libertatem bello vindicare student. Præterea prouinciales, quibus inter vltimas desperationis tenebras lux aliqua salutis & consolationis cœlitus emicuerat, omnes promptissimo animo socias manus communemque operam publicis negotijs pollicentur: satius iudicantes pro patria, pro liberis, pro coniugibus, honesta morte perfungi, quam inter tantas tribulationes omni morte tristiorem vitam agere.

Inter hæc rediens Herimannus patruus Magni Ducis & alij plerique ex Principibus dedititijs, quos, vt prædictum est, inconsulto Rege indulgentia eorum à quibus tenebantur, deditione absoluerat, inopinatum cunctis gaudium præstiterunt, atque omnem, si quis adhuc mentibus resederat, scrupulum ademerunt. Tanta siquidem tamque inopinata rerum prosperitas euidens cunctis erat documentum respicientis eos misericordiæ Dei.

Igitur armata iuuentute Saxoniam peragrantes castella quibus Rex præsidium imposuerat, alia deditione, alia militari manu breui omnia receperunt. Eos qui intererant, direptis spolijs, incolumes dimiserunt, accepto ab eis Sacramento, quòd vlterius in Saxoniam hostiliter non venirent. Amicos Regis, omnes prætereà quicumque communibus negotijs operam suam spondere noluissent, dissipatis omnibus quæ habebant, procul Saxonia effugarunt: & directa est salus in manibus eorum, ad recuperationem libertatis pristinæ.

Arx in monte lapideo. Solus adhuc Ottho Dux quondam Baioariæ, in castello Hartesburg residebat. Huic Rex per totam Saxoniam vices suas, & publicarum rerum procurationem delegauerat, dato insu-

Sal. An. 1076. insuper negotiis, ut castellum in Hartesburg, & aliud in monte qui dicitur Lapideus, qui proximus Goslariæ imminet, summo ope extrueret. Ad hunc Legatos dirigunt mandantes, ut omisso opere quod ad euersionem gentis suæ, immemor patriæ, immemor libertatis extruere aggressus sit, consilium potius perquirat ad ereptionem Principum, quibus ipse ut se dederent vehementissimus author fuerit. Iamdudum opinionem indubiam multorum mentibus insedisse, quod idcirco deditionem cæteris tantopere suaserit, ut eorum sanguine Regis sibi animum deplacaret, & communi exitio suam ipse salutem mercaretur. Hoc nunc euidentibus indicijs elucere, cum illis in vltimas partes terrarum deportatis, ipse proditionis suæ mercedem à Rege totius Saxoniæ Principatum acceperit, & Regiæ crudelitatis carnifex, atque omnium quæ ferociter Rex meditetur, ferocior administer existat. Bene igitur famæ & honori suo consulat, si tantæ infamiæ maculam, claro aliquo erga patriam suam beneficio, purgare conetur, & genti suæ patriam libertatemque armis recuperare cupienti auxilio concurrat. Postremò si monitis vltrò non assentiatur, se procul dubio vim adhibituros, & patriæ proditorem, communionum castrorum desertorem, vt dignus sit, euersis omnibus quæ eius sint, procul Saxonia expulsuros.

Adhæc ille obnixè eos per Deum obtestabatur, vt mitius pacatiusque agerent, quæ pro communi commodo moliantur, ratione quàm temeritate melius procedere. Se protinus missurum & Regi modis omnibus suasurum, vt Principes deditione absoluat, castella quæ metu rebellionis pristinæ extruxerit diruat, genti Saxonum libertatem leges ac iura maiorum, quæ per vim erepta toties armis repetiuerint, restituat. Si consilio acquiescat, grauis atque ancipitis belli necessitate sine sanguine liberatam esse Saxoniam: Sin autem, se nec indulti honoris amore, nec mortis metu, nec iurisiurandi religione inhiberi posse, ne communem patriæ, parentumque suorum causam vsque ad extremum spiritum, quanta possit virtute defendat, iuuet, tueatur. In hac verba Legatos Saxonum dimisit, statimque suos ad Regem sicut pollicitus fuerat destinauit, præsidio quoque ab vtroque monte quem occupauerat abducto, communem deinceps cum Saxonibus ac socialem vitam agebat.

Rex de his quæ acciderant in Saxonia graui nuncio accepto, comperto etiam quod cæteri Principes, collatis per crebra conuenticula consilijs, defectionem meditarentur, hinc ira, hinc solicitudine in diuersa raptatus, cui primum morbo mederetur anxius ambigebat. Sed quo ira impellebat inclinatior, ad oppugnandam Mettensem vrbem exercitum admouere cogitabat, & ab Episcopo loci, quod creditos custodiæ suæ Principes, se inconsulto dimisisset, vindictam expetere. Sed contrà reputans turbata Republica, dubia fide Principum, exhausto superioribus bellis milite, extremæ dementiæ esset, arduum aliquid præcipitanter attentare, impetum animi ab temeritate ad pacatiora consilia reuocauit.

Missis igitur circumquaque Nuncijs, omnes regni Principes in Pentecosten Vvormaciæ sibi occurrere iussit, quid facto opus esset communi consilio vt prætendebat, deliberaturus. Conuētus Vvormatiæ. Statuta die cæteris amplo satis numero occurrentibus, nullus aderat supradictorum Ducum, à quibus Reipub. periculum timebatur, & quorum potissimum authoritate, si res tranquillæ essent, summam publicorum negotiorum disponi opportuerat. Ita conuentus ille Principum, cassata voluntate Regis, nullum habuit effectum.

Iterùm in natale Sancti Petri Apostoli Magonciæ eos adesse, addito iam edicto, obnixa supplicatione præcepit. Conuētus Mogonziæ. Sed ne tunc quidem quisquam eorum, vel supplicantem attendit, vel præcipientem omnibus plane ad rebellionis studium immobiliter obstinatis. CXC. Satanas oppugnat ecclesiam. Ipsi qui conuenerant fœda simultate à se inuicem dissidebant. Iam enim solutus carcere suo Satanas non solum corporali, sed & spirituali armatura oppugnabat pacem Ecclesiasticam, & quorum corpora iugulabat, animas quoque, ne in æternum viuerent, extinguere satagebat.

Episcoporum dissidiū. Vto Episcopus Treuerensis Roma nuper reuersus communicare nolebat Episcopo Magontino, Episcopo Coloniensi, & alijs quam pluribus, qui apud Regem præ cæteri assidui erant, & quorum Rex omnia faciebat consilio: obtendens & eos & ipsum Regem excommunicatos esse à Romano Pontifice. Sibi tamen, quod ipsum vix summis precibus extorserit, indul-

Sal. An. 1076. indultam esse colloquendi tantum Regis licentiam, nulla præter hæc in cibo in potu, in oratione, vel in cæteris omnibus communione eius permissa.

Deficiũt à Rege. Huius authoritate animati complures alij, quorum & in Deum fides purior, & ad dignitatem Reip. sententia potior, paulatim se palatio subtrahebant: ne videlicet supradictorum communione macularentur, & ad regem, licet crebris iussionibus euocati, redire nolebant. Satius iudicantes regem quàm Deum offendere, corporis quam animæ dispendium incidere.

Illi è contra irasci, fremere, insanire, minas & conuicia in omnes passim iaculari. Iniustã, Papa accusatur de molimine iniquo. & iccirco nihil æstimandam esse Romani Pontificis sententiam, qui se non canonicè ad synodum euocatos discussos, nec obiecti criminis, iuxta scita Canonum conuictos vel confessos, præcipiti furore potius, quam ratione excommunicasset. Episcopum Treuerensem & cæteros, qui cum eo ad euertendum statum Reipublicæ iam pridem conspirassent, aliorsum intendere quàm loquerentur: nec tam Apostolicæ Sedi authoritatem deferre, quam vt dignitatem regiam subruant, occasionem quærere, & inueterata aduersus Regem odia, nouo religionis vocabulo palliare, Eum recte honori Gladii potestas. suo prospicere, si in hostes suos gladium, quem iuxta Apostoli vocem ad vindictam malorum acceperit, maturius distringat, & contemptis inanium occasionum latibulis, manifestos Regni insidiatores pœna quam mereantur, afficiat. Nec difficile fuit ingenium Regis per se atrox & implacabile: in iram excitare: Sed cum videret sub obtentu religionis Principes à se paulatim deficere, & destituto iam auxilijs imperio vanam esse comminationem, quæ vim facere non posset quibus comminaretur, ratus id quod tempus exigebat, vtilitati magis, quàm iracundiæ consulendum: iterum atque iterum auersos Principum animos blandis legationibus mitigare tentabat. Nec tamen, quod dictu mirum sit, tanta hac Imper. Princeps blãditur. rerum asperitate, tanta ingruentium periculorum mole euinci poterat, vt vnde potissimum hæc flamma inuidiæ & odij aduersum eum exarserat, Principes Saxoniæ deditione absolueret. Quin immo conterritus recenti exemplo eorum, qui plerosque ex ipsis se inconsulto dimiserant, residuis qui adhuc in Principes captiui. custodia tenebantur omnem adhiberi diligentiam iubebat, ne elaberentur. Ideoque sæpius his, quibus eos seruandos crediderat, mandabat, vt memores beneficiorum suorum, memores iurisiurandi quo sibi fidem suam firmassent, traditos custodiæ suæ intemerata fide, donec reposcerentur, seruarent: Nec aliorum Principum fœdissimo corrumperentur exemplo, qui dimissis suo iniussu dedititijs, dum priuatas suas iniurias in Regem vlcisci vellent, cladem maximam & maculam multis seculis non abolendam Reipub. intulissent.

Et omnibus quidem infensus, omnium vt videbatur sanguinis auidus erat. Præcipue tamen Episcopi Halberstatensis, quem tamquam totius Saxonicæ rebellionis Principem & omnium quæ secus acciderant fomitem atque incentiuum, inexorabili odio insectabatur. Et nisi Pontificalis nominis reuerentia & fides Principum, quæ in deditione intercesserat, obstarent, vitam eius per omnes cruciatus extorsisset. Hunc Ruperto Babenbergensi Episcopo seruandum crediderat, velut præter cæteros familiares suos immitis ac feroci ingenij viro, & erga se in aduersis rebus spectatæ sæpe fidei, Sed postquam inclinatis ad defectionem Principibus, iterum nouis Rempub. tempestatibus quanti aspexit, quamuis custodis diligentiæ non diffideret, veritus tamen ne forte subrepente per hanc moram negligentia aliquid in eo vis vel fraus hostilis operaretur, ad Palatium eum euocauit, & ibi nunc inter Camerarios suos, nunc inter cocos & coquinarum spurcitias indignissimo loco habitum, sub omni diligentia custodiri fecit, donec tam feralibus odijs competens exilium excogitaret. Episc. Halberstatensis in captiuitate.

Erat ipso tempore apud Regem soror eius, vxor Salomonis Regis Vngariorum, quam Regina Vngariæ maritus regno expulsus, dum in armis & procinctu esset, nusquam tutius quàm apud fratrem manere iudicauerat, donec recuperato, si fieri posset, regno in iucunditate perfrui coniugio liceret. Cumque post multum iam tempus ad maritum in finibus Vngariæ commorantem redire pararet Rex opportunam eam arbitratus, quæ crudelitatis huius munere fungeretur, rogauit eam, vt Episcopum Halberstadensem secum abduceret, atque in locum, ex quo nulla ei deinceps in Regnum Theutonicum redeundi copia fieret deportari faceret. Annuit illa petenti, & naui impositum cum hominibus suis præmisit, Epis. Hal... sta... po...

Sal. An. 1076. ipsa paucis post diebus quum profectioni suæ necessaria ordinasset, insequutura præcedentem.

Habebat idem Episcopus militem quendam Vdalricum nomine, multis in Baioaria possessionibus prædiuitem, Regi quoque apprime charum & acceptum. Is vbi aduertit mala quæ Episcopo parabantur, motus miseratione, atque ipsa humanarum rerum consideratione, quòd tantus ac talis vir, ingens columna & firmamentum Reipublicæ, nisi Regis temeritas diuina atque humana omnia confudisset, tam pessimo nunc exemplo periturus foret, accessit ad eum paulo ante quàm nauigare inciperet, & quæ in eum Rex decreuisset per ordinem exposuit, actum esse de salute eius, nisi propitia diuinitas, quæ sola iam posset, periclitanti succurreret. Edocet præterea possessiones suas, & castellum munitissimum haud procul ab littoribus Danubij fluminis abesse. Monetque vt dum ea loca nauigans peruenisset, rogaret sæpius eos cum quibus nauigaret, quatenus applicarent, & sibi paululum in terram progrediendi facultatem facerent, obtenta vel refrigerandi vel alius cuiusuis necessitatis occasione, qua modo tali artificio idoneè patrocinaretur, se memorem fidei, qua ei obnoxius sit, omnia quæ possit, pro virili portione facturum: & si quam ereptionis eius viam Deus ostendat tentaturum.

Amici fidelis exẽplũ.

Fecit ille vt edoctus fuerat, atque vbi ad prædicta loca propinquare cœpit, simulata mala valetudine, quæ sibi ex assidua nauigatione corpus affecißet insolitum, & nisi maturè consuleretur, extremam pernitiem allatura foret languenti. Facilè obtinuit apud nautas, qui Pontificalis nominis intuitu magnam humanitatem ei præstabant, vt quoties vellet applicarent, & ei egrediendi atq; in terra, prout libitum erat, recreandi corporis copiam facerent. Longinqua Regio, custodum multitudo, debilitas languentis omnem metum, omnem fugæ vel insidiarum suspicionem ademerant. Egrediebatur sæpiùs & regrediebatur, circumspiciens vndique, & omnia diligenti obtutu perlustrans, nullum vsquam promissæ salutis indicium, nulla spes elucebat.

Forte beati Ioannis Baptistæ natiuitas occurrerat. Et mane dum præterlaberentur, conspicatus contiguam litori Ecclesiam, rogauit vt appulsa naui ad celebranda tam sacratissimo die missarum solemnia ad Ecclesiam, procederent. Assentientibus illis, ingressus Ecclesiam, salutarem Deo hostiam offere sacerdotalibus, vt solemne est; infulis indutus cœpit. Cui rei intentis omnibus, supradictus Vdalricus rectè per exploratorum diligentiam captata loci opportunitate, repente armata multitudine Ecclesiam circumdedit: Ingreßusque modestè interim dissimulato, propter quod venerat, negotio, consummationem sacri ministerij tacitus tranquillusque præstolabatur. Quo expleto suos quantocyus ad nauim conuolare, & omnia quæ Episcopi sunt efferre iubet. Ipse fortissimorum iuuenum agmine stipatus, procedentem ab Ecclesia Episcopum salutat, osculum porrigit, equum, quem euectioni eius optimum aptauerat, ocyus conscendere iubet.

Episcopi stratagema.

Bucco Episc. liberatur.

Stupentibus qui Episcopum adduxerant quid hoc rei esset, & post irritas ratiocinationes ad arma concurrentibus, iubet, vt si vitæ ac saluti suæ consultum velint, quieti maneant, arma ponant, naues pacatis animis repetant, gratum habentes, quod commissi in tantum Pontificem piaculi pœnas non exigantur. Si verbis inanibus, si motibus incompositis laceßere pergant, facilè gladios procacitati modum facturos Episcopum Episcopalis ministerij munia Ecclesiæ Halberstadensi, cui ordinatus sit Episcopus, rectius præstare quam ipsis. Illi quum numero & virtute impares essent, temerarium arbitrati rem certamini committere, tristi confectoque animo ad naues redierunt.

Episcopus in castellum quòd haud longe aberat concessit: ibique paucis diebus commoratus, donec absumpta nouitate, studia conquiescerent omnium, si qui forte redituro insidiabantur. Tandem assumpto layco habitu, quo falleret occursantes, in Saxoniam contendit, & desperantibus iam reditum eius Saxonibus repentè, tamquam ab inferis viuus emergens, restitutus est.

CXCII. Henricus Imp. mutuis simultatibus Saxones aggreditur.

Rex vbi gestæ rei nuncium accepit, grauiter & iniquo nimis animo ferebat, tantos conatus suos in irritum cessisse, præreptum sibi tantarum contumeliarum vindictam redditum cum impunitate hostibus virum, in quo totius Saxonici belli summa & cardo verteretur. Nec dubitare poterat, paululũ iam sopitos ignes Saxonici furoris, hoc incentore illico suscitandos, & propediem in immensum conflagraturos. Atque eo infestius id acturum, quo se meminisset post deditionem nullam in Rege cle-

clementiam, nullam expertum fuisse humanitatem. Verebatur præterea, ne simili modo cæteri quoque elaberentur deditití, & sibi tam insignis victoriæ, tam operosæ deditionis fructus deperiret, assecutis eis se inuito libertatē.

Omnia consideranti placuit tandem alia deinceps graßari via, & Saxones quos extranei toties tentatos non vicerant, suis iam armis, suis parat expugnare viribus. Sapienti certe vsus consilio, quoniam constet omne regnum nulla vi, nulla clade citius, quam domestica atq; intestina simultate labefactatum, corruere, Episcopum Magdaburgensem, Episcopum Merseburgensem, Episcopum Misenensem, Magnum Ducem, Fridericum Palatinum comitem, præterea omnes Saxoniæ & Turingiæ Principes qui adhuc in deditione tenebantur, ab exilio reuocari iubet, & clementer accersitis ait. Se cum iuxta Palatinas leges extremo in eos supplicio animaduertere possit, & hoc iure faciat, grauibus sæpe ab eis contumelijs lacessitus: tamen memorem generis eorum, memorem virtutis, quæ Reipublicæ & honori esse possit & munimento, tam atrocis facti veniam dare, & quod amplius sit, non aliud ab eis quærere redemptionis suæ pretium, quàm vt sibi deinceps in dubijs rebus fideles, ac deuoti maneant, auxiliumque præstent, ad componendum Regni statum & compescendos homines factiosos, eos potissimum qui gentem Saxonicam simplicem & malarum artium nesciam, intestinis quotidie dissensionibus inquietent. Si id faciant, nec vlla vt prius leuitate fidem permutent, se primos in amicis habiturum, & cum se opportunitas præbuerit, beneficijs prout Regiam munificentiam deceat honoraturum.

Intestina simultate regnū corruit.

Saxoniæ Principes è custodia dimittūtur, & quibus conditionibus.

Illi & si eum hæc ficta loqui scirent, & necessitate magis quam pietate genuinum animi rigorem laxasse, tamen impunitatis amore libenter amplexantur oblata, promittunt quicquid iubet, promissa repetito sæpius sacramento roborant, & accepto commeatu in sua singuli cum gaudio reuertuntur.

Rex vt supra dictum est commonitus àb Otthone Duce quondam Baioariæ, vt turbatis rebus in Saxonia mature consuleret, mandauerat ei, vt sibi certa die in Salefelt occurreret, quatenus communiter habita discussione quid facto opus eßet deliberarent. Postmodum vero fretus his, quos deditione absoluerat, quod eorum auxilio in Saxones, qui se læserant irā suam idonee vlcisci poßet, consilium mutauit, & statuta die nuncios pro se in Salefelt Duci Otthoni misit, qui ei dicerent, vt contractis quantascumque poßet copijs sibi in Marchia Misinensi concurreret, se per Boemiam ducto exercitu aduēturum, & filijs Geronis comitis, qui imperitam multitudinem male auspicato ad arma concitassent, si Deus vota prosperaret, redditurū quod mererentur. Principibus quoq; Saxoniæ & Turingiæ, quos patriæ nuper remiserat, eadē mādat, obsecrans vt præstitæ sibi indulgētiæ gratiā referentes, cūctos quos valeant ab hominum perditorū societate dehortētur, & ipsi ad ferēda publicis negotijs auxilia, designato die & loco, armati instructiq; præsto adsint.

Imper. nouam molitur expeditionem.

Ipse vt instituerat, paucissimos secum assumens Theuthonici exercitus milites, cæteris omnino quid moliretur ignorantibus, in Boemiam contendit. Ibique iuncto sibi Duce ac milite Boemico, repente plusquam tanto operi expediret fidens nescio an negligens, in Marchiam Misinensem se infudit, videlicet vana spe illusus, quod Ducis Otthonis industria & cæterorum, quos beneficio suo deuinctos sibi gloriabatur, omnem rebus moram, omnem conficiendo negotio difficultatem, ademptura foret. Sed Dux Ottho sciens genti Saxonem iustas esse causas rebellionis, id multo iam tempore apud Regem crebris legationibus egerat, vt belli seminarium irarumque causas amoueret, leges ac iura sua Saxonibus rata manere sineret, æquitatis potius armis tumultuantes compesceret, & tantos labores, tantum qui prælio fundendus esset sanguinem lucratus, sine difficultate in perpetuum opulentissimæ gentis seruitio frueretur: Hanc regis ac Tyranni esse distantiam, quod hic vi atque crudelitate obedientiam extorqueat ab inuitis, ille legibus ac more maiorum moderetur subiectis, præcipiatque facienda.

Imper. Misniā vastat.

Regis ac Tyranni differentia.

Verum ille homo imperio natus & nutritus vt tantos natales, tantos prosapiæ fasces ac titulos decebat, in omnibus Regium semper aduersis animum gerebat, mori quam vinci malebat. Inexpiabilis ignominiæ maculam putabat, impune iniuriam accepisse. Et è contra sūmum decus & vitæ præsenti comparandum æstimabat, nihil quod secus accidisset, inultum præterisse. Ad hoc homines sibi asciuerat taliū rerum artifices, mediocri quidem loco natos, sed consilio, ac manu promptissimos, qui

Heinrici Imperat. ingeniū.

Sal. An. 1076. Ottho Dux Baioariæ cur ab Imperatore defecerit.

secundum quod Propheta dicit, Loquebantur ei placentia, & diuinabant ei errores, & ægrotum animum & per se affinem iracundiæ ac temeritati, adulationibus suis tamquam supposita face, in omne quod libuerat inflammabant. Ideoque vt opera sua magis illi foret necessaria, perpetuis Rempub. tempestatibus vexari quàm maximè satagebant. His pessimis vsus consultoribus, Principes Regni recta suadentes plurimum auersabatur, nec eos ad consilium suum, nisi forte inexplicabilis necessitas incidißet, admittebat. Quin imo authoritatem eorum, si copia fieret, opprimi ac penitus obliterari cupiebat: vt in omne quod animus suggessisset effrenata libertate graßanti nullus obsisteret, nemo obloqueretur.

Igitur Dux Ottho vehementer efferatus: quod contra consilium suum Rex Saxoniam bello rursus impeteret, ait ad Epponem Citicensem Episcopum, qui ei, vt dictum est, in Salefelt functus legatione Regis occurrerat: Se Regi quod honori eius, quod commodo Reipub. competeret suggessiße: Sed quoniam plus apud eum fidei sit ineptis assentatoribus quam sibi, plus spei ac fiduciæ ponatur in milite Boemico, quàm in Theutonici exercitus robore, ad eum pertinere, quem cœpta exitum sortiantur, se nec rebus bene gestis gloriam, nec si aliter cesserint, ignominiam habiturum. Præterea nulla iam sacramenti, quo ei fidem dixerit religione teneri, cum recta & vtilia suadens non audiatur. Insuper contra leges Dei, contra decus imperij, contra salutem animæ suæ ad effundendum sanguinem innocentem gentili ritu arma sumere iubeatur. Proinde omni periurio absolutum, libere deinceps causam gentis suæ, quæ iusta sit quantum valeat armis & opibus aßerturum.

Eadem protestabantur cæteri quoque Principes, tam Saxoniæ quam Turingiæ. Qui etiam si cupidissimè vellent, nullum petenti præstare possent auxilium, vnanimiter, scilicet, detrectantibus militibus eorum infaustam contra patriam parentesque suos militiam. Iam enim non dubia fide, vacillantibus animis, vt prius cum inter spem & metum fluctuarent, sed vnanimi sententia, obstinata contentione ad rebellandum conspirauerant. Neque callidis Principum exhortationibus, vt antea concitatum vulgus ad arma prosilueránt, sed omnes simul prouinciales non ductu auspicioque Principum, sed priuatis studijs, priuatis impensis bellum gerere proposuerant, sibi dimicare, sibi si Deus annueret, vincere parati, nec aliud à quoquam militiæ suæ stipendium præstolantes, quàm coniugum liberorumque suorum salutem, atque vt à ceruicibus suis durissimæ seruitutis iugum excuterent. Ipsos denique Principes si obniti, si contra hiscere tentarent, dissipatis vel incensis omnibus quæ eorum essent, procul patrijs finibus expellere minabantur. Ad vltimum ea mente rem gerendam susceperant, vt vel vincerent obstinate, vel morerentur. Vltima desperatio sic studia inflammauerat, quoniam certa superioribus annis documenta cœperant, nullam apud regem victis esse spem veniæ, cum ferocitatem pectoris eius, & inexorabile Saxonici nominis odium, nec voluntaria deditio Principum, nec tantus in Turingia fusus in sanguis restinxisset.

Saxonum noua in Imper. confœderatio.

Vulgus ad arma pronus.

Igitur vbi per Saxoniam rumor percrebuit, quòd rex conterminam Regi Saxonici Marchiam Misenensem ferro & igne depopularetur, ad arma conclamant, multa millia hominum breui concurrunt, conserendi certaminis intolerabili feruent desiderio, obuiam ire hostibus vnanimi alacritate contendunt.

Sed quoniam accelerando itineri turba frequentior armis, atque alijs impedimentis implicita, parum pro voto satagere valebat, filij Geronis comitis, assumptis secum VII. millibus expeditorum equitum, summo nisu, ardentissima citius conficiendi negotij auiditate, in occursum properant. Quod si regem consequi, & sic efferato milite: sic feruentibus studijs signa conferre contigisset, vt multorum ferebat opinio, tractum tot annis bellum Saxonicum facili compendio confectum fuisset, & Regem cunctumque eius comitatum, vel mors certissima, vel ignominia difficilè abolenda occupasset. Nam præter exercitum Boemicum, qui nec ipse vel armis, vel numero, vel virtute tanto negotio se parem præstiterat, paucissimos secum habebat. Quoniam superuacaneum arbitratus fuerat. Theutonicis militibus tam longinquæ expeditionis laborem indicere: cum speraret, vt dictum est, industria Otthonis Ducis & aliorum, quos deditione gratis absoluerat, omnes Saxonum vires facilè eneruandas, & copias sibi maioribus etiam

bellis

Sal. An. 1076. bellis sufficientes, statuto die ac loco affaturas.

Forte tum temporis Deo misericorditer saluti regis prospiciente, fluuius Milda, qui Imper. fuga. vtrumque exercitum medius dirimebat, effusis nuper imbribus vehementer intumuerat, atque omnem transmeandi facultatem ademerat. Cuius Rex inundatione commodissimè pro se vsus, non expectata decrescentium aquarum vicissitudine, in Boemiam se recepit, maturatoq; per Baioariam reditu, mœstus, ac pœnitens, quod tantos labores in vacuum expendisset, Vvormaciam repedauit.

Marcha Misinensis recuperata. Et quoniam digrediens Duci Boemico Marcham Misinensem, tam spectatæ in arduis rebus fidei, præmium dederat, Ecbertus Marchio, cuius eadem Marcha erat, filius Patruelis regis, puer longe adhuc infra militares annos, vbi primum decrescentibus aquis fluuius factus est transmeabilis, adiunctis sibi Saxonibus Missenen perrexit, omniaque castella, quibus Dux Boemicus præsidium imposuerat, admota militari manu recepit, suosq; milites, qui deinceps contra omnem hostium irruptionem indefessi excubarent imposuit, mirantibus cunctis quod Regem nec ætatis nec propinquitatis respectus ab hac iniuria reuocasset.

Interea Rudolfus Dux Sueuorum, Vvel Dux Baioariorum, Bertholdus Dux Carentinorum, Adelbero Episcopus Vvirceburgensis, Conuentus Vlmæ. Adelbertus Episcopus Vvormaciensis, & alij quos Reipub. calamitas mouebat, in loco qui dicitur Vlma, conuentu habito, statuerunt vt omnes quicumque Reipublicæ consultum vellent. XVII. KL. Nouembris Triburiam conuenirent, & varijs cladibus, quibus per multos iam annos pax Ecclesiæstica turbabatur, tandem aliquando malorum pertæsi finem facerent. Hoc Sueuiæ, hoc Baioariæ, hoc Saxoniæ, hoc Lutheringiæ, hoc Franciæ Theutonicæ Principibus denuntiarunt, vniuersoque in commune per Deum obtestabantur, vt omni excusatione relegata, cuncta priuatæ rei solicitudine post habita, hanc singuli communibus commodis vel extremam operam dependerent.

Qua expectatione suspensis atque attonitis omnibus, Episcopus Magontinus & alij quam plures, qui eatenus partes Regis vehementius tuebantur, ab eo defecerunt, & adiuncti supra dictis Principibus ad meliorādum Regni Statum ardentissimo zelo exarserunt. Miro etiam atque inopinato rerum successu, vt quod moliebantur nullis iam retardaretur impedimentis, obsides quibus nonnulli ex Principibus superiore anno fidem suam apud Regem obligauerant, repente his qui eos dederant, sunt restituti.

Duos Ducis Otthonis filios, alterum Rex ipse, alterum is, qui à Rege seruandum susceperat, inscio Rege, patri nec opinanti remisit. Filius Vtonis Marchionis, & filius Adelæ derelictæ Dedi Marchionis, ambo teneræ ætatis & longè adhuc infra pubertatis annos pueruli, quum in munitione cuiusdam Eberhardi ministri Regis custodirentur, magnum quoddam & posteriorum memoria dignum nobilissimæ indolis documentum ædiderunt. Iusserat Rex eidem Eberhardo, vel propter tanti generis claritatem, vel propter ætatis infirmæ compassionem, vt eos indulgentissime nutriret, & ne aut inerti otio aut iugis custodiæ tædio tabescerent, sineret eos interdum cum æqualibus suis ludicris puerilibus exerceri. Hoc ipsum parentes, crebra custodibus munuscula destinantes flagitabant. Fecit ille vt petebatur & modo intra munitionem, modo extra adhibitis custodibus prout libitū erat, ludere patiebatur, nihil sinistrum in ætate simplici & fraudis nescia suspicatus: interdū etiā in nemus, quod munitioni contiguum erat, venatum pergens, impositos equis, cuius rei vix dum ætas patiens erat, secum ire permittebat, vt oppressas mœrore ac tædio mentes hoc aduocamento recrearent. Cum hoc sæpius faceret, consuetudo fiduciam, fiducia custodibus securitatem pariebat, vt eis indulgentius indies diligentis custodiæ frena laxarent, & absumpta iam omni suspicione, quicquid voluissent, etiam absque arbitris, eos agere paterentur. Cœperunt igitur, vbicumque tempus & locum secretiorem nacti fuerant, sermones conferere, patriæ parentumque recordari, peregrinationis molestias deplorare, & vt pro salute sua aliquid Deo auspice conarentur, mutuis se suasionibus incitare. Quadam ergo die cum iuxta solitum prædictus Eberhardus secum assumptis eis, venatum exisset, & ad insectandam quæ casu occurrerat feram, omnes, vt fieri assolet, inconditis clamoribus feruentissimis studijs discurrissent, pueruli vbi se solos aduerterunt, custodem nullum, eos qui simul venatum processerant, aliarum rerum immemores, soli

Iuuenū Saxonicorum è custodia se liberandi astutia.

quæ

Sal. An. 1076. quæ agebatur venationi intentissimos, quantis possunt viribus equis subdunt calcaria, per condensa syluarum, per abrupta montium, per concaua vallium, periculi sui, vel negligentes vel contemptores dicto citius euolant. Nec in certum aliquem locum regionis ignari cursum dirigunt, sed laxatis temere habenis quocumque impetus equos ferebat præcipites ruunt. Celeri cursu transmisso nemore ad Moinem fluuium perueniunt, piscatorem illic offendunt in scapha piscatoria capturis piscium incumbentem, euehi sectionis pretium offerunt. Ille vel pretio allectus, vel miseratione periclitantium permotus, hoc enim ex trepidatione & cætero corporis gestu facile conijciebat, benignè in nauiculam suscepit, & vtensilibus quæ in nauicula erant adopertos, ne scilicet, ab insequentibus agnoscerentur, Magontiam vt rogauerant euexit. Equi eorum transito amne in vlteriore ripa iuxta nauiculam mirum in modum moderato gradu decurrebant, ita vt cum eunte nauicula pariter irent, cum subsistente pariter subsisterent. Brutis pecoribus humanas inesse animas credere. Vbi Magonciam ventum est, receptis equis suis in domum quandam ripæ contiguam clanculo se immergunt, dominumque domus per Deum obtestantur, ne eos cuiquam prodat, se Archiepiscopo Magontino genere coniunctissimos esse, cui si incolumes intemerata fide restituat, tam ab ipso quàm à cæteris parentibus suis, qui inter regni Principes & opum & dignitatis speciali prærogatiua emineant, digna meritis præmia relaturus sit.

Nec multo post aderat Eberhardus fremēs & stridens dentibus præ doloris impatientia, compertoq; per veridicos indices, quo pueri diuertissent, summa vi summo conanime domū expugnare, foresque infringere parabat, & nisi obsides regis mature redderentur, ignem tectis iniecturum se minabatur. Concurrit ciuitas ad spectaculum, & facta est pro studijs partium confusa ac dissona, aliud atque aliud clamantium turbarum, vociferatio. Perlato ad Episcopum Magontinum tumultuantis ciuitatis nuncio, misit confestim cum armatis Cunradū Comitem de castello, quod dicitur Luizelenburg, qui tum forte apud Episcopum præsens erat. Qui veniens Eberhardum improbè sæuientem atque in omnes qui obsisterent nunc vi, nunc comminatione grassantem, ab oppugnatione ædium cum contumelia repulit, susceptosque pueros Episcopo præsentauit. Ille admodum gratulatus quòd causam Principum, qui pro communi commodo arma sumere meditabantur, hac etiam parte impedimentorum liberasset, suis singulos parentibus cum omni diligentia, ne quis, scilicet, insidiaretur abeuntibus, remisit.

Tumultus Moguntiæ.

Statuta die iuxta condictum. Principes Sueuiæ & Saxoniæ Triburiam conuenerunt amplissimo numero, obstinatis mentibus ad summouendum à negotijs regni Regem Heinricum, & alium, in quem communis electio consensisset, creandum. Aderant vna Legati Apostolicæ Sedis, Sigehardus Patriarcha Aquileiensis, & Altmannus Pataniensis Episcopus, vir Apostolicæ conuersationis, & magnarum in Christo virtutum, cui Papa vices suas in dispositione Ecclesiasticarum causarum delegauerat: Et layci nonnulli, qui magnis opibus relictis, vltro se ad priuatam tenuemque vitam, propter Deum, contulerant. Missi à Romano Pontifice, vt palam omnibus per Gallias contestarentur, iustis de causis excommunicatum esse Regem: & ad eligendum alium Regem Apostolici consensus & authoritatis suffragium pollicerentur. Hi nec Principi nec priuato cuiquam, qui Regi Heinrico dicto vel facto aliquatenus post excommunicationem communicasset, communicare volebant, donec publicè professus pœnitentiam, per Altmannum Vicarium Romani Pontificis anathemate absolueretur. Pari cautela eorum quoque communionem vitabant, qui presbyteris coniugatis, vel eis qui Ecclesiasticas ordinationes pretio comparauerant, in oratione communicassent.

Conuentus Triburiæ.

Presbyt. coniugati excom.

Per septem itaq; continuos dies consilia conferentes, quid facto opus esset, qua ratione periclitanti, & iam iam naufragium minitanti Reip. consulendum foret perquirebant. Replicabant ab tenero, vt aiunt vngue, omnem vitæ regis institutionem quibus probris, quibus flagitijs existimationem suam decusque imperij vix tum adulta ætate maculasset: Quas iniurias singulis, quas in commune omnibus, vbi primum pubertatis annos attigit irrogasset. Quòd remotis à familiaritate sua Principibus, infimos homines, & nullis maioribus ortos, summis honoribus extulisset: Et cum eis noctes perinde ac dies in deliberationibus insumens, vltimum, si possit, nobilitati exterminium machinaretur. Quod barbaris gentibus vacatione data, in subditos sibi

Henrici Imp. vita culpata.

Sal. An. 1076. *ſibi populos dedita opera ferrum diſtrinxiſſet, & in eorum nece hoſtili crudelitate graſſaretur. Regnum quod à parentibus ſuis pacatiſſimum, & bonis omnibus florentiſſimum accepit, quam fœdum, quam deſpicabile, quam inteſtinis cladibus inferum cruentumque reddidiſset. Eccleſias & monaſteria deſtructa, victualia ſeruorum Dei verſa eſſe in ſtipendia militum, ſtudium religionis & rerum Eccleſiaſticarum tranſiſſe ad arma militaria, & ad munitiones extruendas, non quibus vis & impetus barbarorum arceatur, ſed quibus patriæ tranquillitas eripiatur & liberæ gentis ceruicibus duriſſimæ ſeruitutis iugum imponatur. Nullum vſquam eſſe viduis & orphanis ſolatium, nullum oppreſſis & calumniam ſuſtinentibus refugium, non legibus reuerentiam, non moribus diſciplinam, non Eccleſiæ authoritatem ſuam, non Reipublicæ manere dignitatem ſuam: Ita vnius hominis temeritate ſacra & prophana, diuina & humana, faſque nefaſq; confuſa eſſe & implicita. Proinde tantarum calamitatum vnicum ac ſingulare ſupereſſe remedium, vt quantocyus amoto eo alius Rex crearetur, qui tam diu terminos ſuos euaganti licentiæ frena iniiceret, & mundi vacillantis ruinam ſubiectis humeris ſuſtentaret.*

CXCIV. Imper. vitæ correctionẽ promittit, modo titulum Imperat. retineat. *Rex Heinricus contractis in vnum ſuæ partis aſſertoribus, in villa quæ dicitur Oppenheim ſe continebat, Rheni fluuio vtraque caſtra dirimente, frequenteſque ad eos indies Legatos mittebat, pollicens omnium, quæ eos offenderant, in reliquum emendationem: Se veterum iniuriarum memoriam ſequentibus beneficijs, ſi vita comes foret, aboliturum: nihilque deinceps circa rerum publicarum adminiſtrationem abſque communi conſulto acturum. Poſtremo vltro ſe iure ſuo cedere, eiſque gubernandi diſponendique pro ſuo arbitratu totius regni ius poteſtatemque facere: dummodo æquo animo paterentur, ſola regij nominis, regijque cultus rata ſibi manere inſignia, quæ ſemel legitimè accepta, ſine ſumma omnium eorum ignominia amittere non poſſet, nec ſinerent regni Teuthonici ſplendorem, omnibus retro ſeculis intactum incontaminatumque, ſua ætate tam turpis exempli macula ſordeſcere. Quod ſi verba ſua difficilius admitterent magnificis promiſſionibus toties eluſi, paratum ſe quibus ſacramentis, quibus vellent obſidibus fidem facere, quod nulla vnquam dies, nulla rerum vel caſuum mutabilitas hanc ſuam in eos beneuolentiam corrupta foret.*

Legati Imper. repudiãtur. *Ad hæc illi. Nulla, inquiunt, iam ſuperſunt argumenta, quibus toties recognita atque ſpectata fides eius probari vltra vel obligari valeat, quum toties morum ſuorum emendationem coram oculis omnia cernentis Dei quam ſanctè pollicitus, omnia quibus ſe obſtrinxerat vincula, vbi primum calamitas, quæ ad præſens vrgebat, præterijt, tamquam arenarum telas ruperit, & ſemper ſeipſo deterior, curſum mali operis, ſicut equus impetu vadens in prælium, effrenata libertate repetiuerit. Neque nos præcipiti temeritate ad hæc extrema experienda prorupimus, omnes vias, omnia prius conſilia pertentauimus, ſi qua ratione rigidum obſtinatumque in malis deſperati hominis ingenium emolliri poſſit. Sed inueteratus morbus atque imis penitus iam inſidens viſceribus nihil ſpei, nihil admittit remedij, omnem artem, omnem vincens induſtriam medicantium. Quin imo dum leuitati eius impenſius morem gerere ſtudemus, & cunctis quæ perperam molitur religionis obtentu muliebrem præbemus patientiam, ſtatus Reipub. euerſus eſt, tranquillitas Eccleſiarum turbata, maieſtas imperij ablata, authoritas Principum euacuata, mores inuerſi, leges abolitæ, & ſecundum Prophetæ elogium, maledictum & mendacium & homicidium & furtum, & adulterium inundauerunt, & ſanguis ſanguinem tetigit: Poſtremo omnis iuſtitiæ & pietatis, religionis & honeſtatis diſciplina ſitu atque incultu obſoleuit. Hæc quidem dum ſola vitæ temporalis detrimenta, dum ſolam famæ & exiſtimationis labem minitarentur, tametſi viris ferenda non eſſent, tulimus tamen, ne contra iuſiurandum quo tenebamur, præcipitanter impudenterq; venire videremur: & dum gloriæ noſtræ conſulere conaremur, animæ naufragium pateremur. Nunc verò cum ab Eccleſiæ corpore, propter flagitia ſua, Apoſtolici anathematis mucrone præciſus ſit, cum ei communicare ſine communionis Eccleſiaſticæ damno & fidei iactura non poſſimus, cum fidem noſtram multis apud eum Sacramentis implicitam Romanus Pontifex Apoſtolica authoritate explicuerit, extremæ profecto dementiæ eſſet, diuinitus oblatam ſalutis occaſionem, non obuijs, vt dici ſolet, manibus excipere, & quod iam diu præmeditatum ſit, vt agatur, tam opportuno*

Excommunicationis vis.

Sal. An. 1076 tuno tempore non agere: Quum leges humanæ & Ecclesiasticæ sinant, cum locus & tempus arrideant, quum denique omnia, quæ paci vel bello vsui esse solent, conficiendæ tantæ rei fauorem suum polliceantur. Quapropter contemptis inanium argumentorum cuniculis, quibus denuo in ceruices iugulosque nostros viam gladio suo affectat, immobiliter animo fixum tenemus, vt absque vlla dilatione virum nobis prouideamus, qui præcedat nos & prælietur bellum Domini ad expugnandam & destruendam omnem cuiuscumque hominis altitudinem, eleuantem & extollentem se aduersus iustitiam & veritatem Dei, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ authoritatem. In hæc verba Legatos Regis dimiserunt.

Iterum alios atque alios misit, nullum supplicationis genus, quod impediendæ tantæ rei proficuum putaretur, prætermittens. Sed illi in eadem sententia fixi obstinatique manebant. Iamque vtraque ex parte ad magnum discrimen res spectare videbatur.

Denique & hi Regem alium sibi protinus constituere, & transmisso Rheni fluuio (nauigium enim omne Episcopus Magontinus in eam ripam coegerat) proxima luce Regi Heinrico arma inferre parabant, & ille incisa spe dilationis impetrandæ, suos qui per proximas villas dispersi erant, in vnum coire atq; arma expedire iubebat, vt in vlteriorem ripam progressos, confestim prælio adoriretur.

In hac tantarum expectatione rerum intentis solicitisq; omnibus, ecce primo diluculo sequentis diei, quæ vltimam cladem Reipub. allatura timebatur, Sueui & Saxones Legatos ad Regem miserunt qui ei dicerent: tametsi nec in bello nec in pace vlla vnquam ei iustitiæ vel legum cura fuerit, se tamen legibus cum eo agere velle, & quum crimina, quæ ei obijciantur omnibus constent luce clariora, se tamen rem integram Romani Pontificis cognitioni reseruare, acturos se cum eo, vt in Purificatione Sanctæ Mariæ Augustam occurrat: Ibique celeberrimo conuentu habito Principum totius Regni discussis vtrarumque partium allegationibus, ipse suo iudicio vel addicat vel absoluat accusatum. Quod si ante diem anniuersarium excommunicationis suæ, suo præsertim vitio excommunicatione non absoluatur, absque retractatione in perpetuum causa ceciderit: Nec legibus deinceps regnum repetere possit, quod legibus vltra administrare, annuam passus excommunicationem, non possit: Si oblatam conditionem gratanter amplexetur, & Romano Pontifici per omnia subditum se dictoque obtemperantem fore polliceatur, hinc se experimentum capturos, omnes quos ille excommunicauit ex templo à conuictu contubernioque suo amoueat, ipse in vrbem Spirensium dimisso exercitu secedat, ibique solo Verdunensi Episcopo, paucisque ministris, quos tamen sententia Principum ab hac excommunicatione integros, incorruptosq; probauerit, contentus priuatam interim vitam agat, Ecclesiam non ingrediens, nihil circa publica negotia suo iure disponens, nullam Regij apparatus pompam, nulla Regiæ dignitatis insignia sibi iuxta solitum adhibens, vsque ad synodicam causæ suæ examinationem. Præterea ciuitatem Vuormaciensem, quam expulso Episcopo, dissipato cœlestis militiæ sanctuario, arcem belli speluncamq; latronum fecerat, abducto præsidio, Episcopo Vuormaciensi restituat. Datis insuper Sacramentis & obsidibus, ne quid deinceps rebellionis vel insidiarum ab ciuibus timere debeat. Porrò si quid horum præuaricetur, tum se omni culpa, omni iurisiurandi religione, omni perfidiæ infamia liberatos, non expectato vlterius Romani Pontificis iudicio, quid Reipub. expediat communi consilio visuros.

CXCV. Sueuorũ & Saxonum Legati ad Imper.

Vvormatia Spelunca dicta.

Rex cuius omnes spes omnesque copiæ in arctum coactæ fuerant, gratulatus admodum, quod aliqua quantumvis fœda conditione vrgentem ad præsens calamitatem declinaßet, promptissimè per omnia obedientiam pollicetur. Statimque Colonniensem Episcopum, Babenbergensem Episcopum, Strasburgensem Episcopum, Basilæensem Episcopum, Spirensem Episcopum, Losannensem Episcopum, Citicensem Episcopum, Osenbruggensem Episcopum, Vdalricum de Cosheim, Eberhardum, Hartmannum, cæterosque excommunicatos, quorum ante hac opera consilijsque gratissimè vtebatur, omnes castris egredi iubet. Missis quoque Vuormaciam nuncijs, milites, quos illic præsidij causa constituerat, abscedere, vrbemque Episcopo patere præcipit. Dehinc cæteris qui ad auxilia sibi ferenda frequentes conuenerant singulis in sua dimissis, ipse iuxta condictum cum paucis Spiram contendit. Ibique intra terminos & leges, quas Principes præscripserant, aliquanto tempore

Heinricus Imp. cõditiones fœdas cogitur suscipere.

re

Sal. An. 1076. Legati Sueuorũ & Saxonum ad Papam.

re mediocriter vitam moresque cohibebat.

Sueui & Saxones postquam deditis Vuormaciensibus statum ciuitatis Episcopo pacatissimum reddiderunt, læti ouantesq; patriam repetebant: confestimq; Legatos Romam destinarunt, qui Papam rei gestæ ordinem edocerent. Exindeque flagitarent, vt sedandis per Gallias tantis bellorum ciuilium tempestatibus, ipse statuta die suam non dedignaretur præstare præsentiam.

Rex etiam certo sciens omnem suam in eo verti salutem, si ante anniuersariam diem excommunicatione absolueretur, nec satis tu-

CXCVI. Imper. profectionẽ in Italiam parat.

tum suis rationibus existimans, vt expectato intra Gallias Romani Pontificis aduentu, sic infesto iudici, sic obstinatis accusatoribus causam suam addicere ventilandam. Optimum factu sibi iudicauit pro eorum statu rerum suarum, vt in Gallias proficiscenti Romano Pontifici intra Italiam occurreret, & anathematis absolutionem quoquo poßet modo impetrare conaretur, hac impetrata cæteram rebus difficultatem facilè adimendam: eum colloqui principibus, & conferre consilia, & fidem amicorum in aduersis implorare, nulla deinceps vetaret religio.

Paucis igitur ante natalem Domini diebus, Spirensi vrbe discedens cum vxore, & filio paruulo, iter aggressus est, nec quisquam ex omnibus Theutonicis vir ingenuus comitatus est regno excedentem, præter vnum, & ipsum nec genere nec opibus conspicuum. Cumq; impensis iam longi itineris egeret, multisque supplicaret, quibus incolumi Rep. sæpe numero profuerat, pauci admodum erant, qui vel veterum beneficiorum memoria, vel præsenti humanarum rerum spectaculo permoti, necessitatem eius aliquatenus releuarent: Eo miseriarum & calamitatis ex summa gloria summisque opibus repentè peruenerat. Similiter quoque cæteri excommunicati, obtinendæ citius absolutionis studio, ardentissimè iter accelerabant in Italiam, nec tamen in societatem itineris Regem admittere, Principum, vel potius Romani Pontificis metu absterriti, patiebantur.

Imper. miserè desertus.

Vis atque inclementia hyemis hoc anno adeò iugis, solitoque asperior inhorruerat, vt à festiuitate Sancti Martini, Rhenus fluuius glaciali frigore constrictus penè vsque Kalend. Aprilis pedestri itinere transmeabilis maneret. Et plerisque in locis vineta, exiccatis frigore radicibus, omnino arescerent.

Rhenus glacie constrictus.

HENRICVS ITALIAM PETENS, Ab excommunicatione absoluitur. Sal. Anno 1077.

CXCVII

TEutonico dissentiente regno, finitimi, & subditi vel ad libertatem, vel ad insidias proclamabant. Bohemi Poloni olim Imperio subditi Germano, modo Regni regebant habenas. Dux Polonorum Regio vsurpato nomine, in die Natalis Domini, à quindecim consecratur Episcopis; dum *Henricus* in Italiam pergens, *intra Burgundiam, in Bisenzun* (ait Lambertus) *Natalem Domini celebrauit: Satis magnificè pro sua tum calamitate susceptus, & habitus ab auunculo matris suæ Vuilhelmo comite, cuius in illis locis amplissimæ & florentissimæ opes erant. Ea porro causa erat, vt relicto recto itinere in Burgundiam diuerteret, quod certo compererat Duces Rudolfum, Vuelf & Bertoldum omnes vias, omnesque aditus, qui ad Italiam mittunt, quos vulgato nomine Clusas vocant, appositis custodibus anticipasse, vt nulla illic ei copia transeundi fieret. Exacta solemnitate natalis Domini profectus inde, quum in locum, qui Ciuis dicitur, venisset, obuiam habuit socrum suam,*

Clusæ Alpinæ Imper. interclusæ.

filiumq; eius Amedeum nomine, quorum in illis regionibus & authoritas clarissima, & possessiones amplissimæ, & nomen celeberrimum erat. Hi venientem honorificè susceperunt. Transitum tamen per terminos suos aliàs ei concedere nolebant, nisi quinq; Italiæ Episcopatus possessionibus suis contiguos eis redimendi itineris pretium traderet. Durum hoc nimis, atque intolerabile omnibus Regis consiliarijs visum est. Sed cum ei ineuitabilis incumberet necessitas, quoquo possset pacto redimendi itineris, & illi nec iure propinquitatis, nec tantæ calamitatis miseratione quicquam mouerentur, multo labore & tempore in hac deliberatione insumpto, vix & ægrè tandem impetratum est, vt Prouinciam quandam Burgundiæ bonis omnibus locupletissimam, concedendi transitus mercedem dignarentur accipere. Ita indignatio Domini non solum Sacramentis & frequentibus beneficijs sibi obnoxios, sed etiam amicos & genere propinquos ab eo auerterat.

Imper. Iter plenum difficultatis

Difficulter assecuto transeundi licentiam, pro-

Ff

Sal. An. 1077. Hiems aspera & iter periculosum.

protinus alia successit difficultas. Hyems erat asperrima, & montes per quos transitus erat in immensum porrecti, & penè nubibus cacumen ingerentes, ita mole niuium & glaciali frigore obriguerant, vt per lubricum præcipitemque decessum, nec æquitis nec peditis gressum sine periculo admitterent. Sed dies anniuersarius, quo Rex in excommunicationem deuenerat, è vicino imminens nullas accelerandi itineris moras patiebatur. Quia nisi ante eam diem anathemate absolueretur, decretum nouerat communi Principum sententia, vt & causa in perpetuum cecidisset, & regnum sine vllo deinceps restitutionis remedio amisisset. Igitur quosdam ex indigenis locorum peritos & præruptis alpium iugis aßuetos mercede conduxit, qui comitatum eius per abruptum montem & moles niuium præcederent, & subsequentibus quaqua poßent arte itineris asperitatem leuigarent. His ductoribus cum in verticem montis magna difficultate euasissent, nulla vlterius progrediendi copia erat, eò quod præceps montis latus, & vt dictum est glaciali frigore lubricum omnem penitus decessum negare videretur. Ibi viri periculum omne viribus euincere conantes, nunc manibus & pedibus reptando, nunc ductorum suorum humeris innitendo, interdum quoque titubante per lubricum gressu cadendo & longius volutando vix tandem aliquando cum graui salutis suæ periculo ad campestria peruenerunt. Reginam & alias quæ in obsequio eius erant mulieres, bouum corijs impositas Duces itineris conductu præuntes deorsum trahebant. Equorum alios per machinas quasdam summitebant, alios colligatis pedibus trahebant, ex quibus multi dum traherentur mortui, plures debilitati, pauci admodum integri incolumesque periculum euadere potuerunt.

Heinricus quomodo ab Italis exceptus

Postquam per Italiam fama percrebuit venisse Regem & superatis asperrimis rupibus iam intra Italiæ fines consistere, certatim ad eum omnes Italiæ Episcopi & Comites confluebant, eumque, vt Regia magnificentia dignum erat, summo cum honore suscipiebant, atque intra paucos dies infinitæ multitudinis ad eum congregatus est exercitus. Erant enim iam ab exordio Regni eius semper desiderantes aduentum eius in Italiam, eo quod Regnum illud bellis, seditionibus & latrocinijs ac varijs priuatorum infestationibus assidue infestaretur, & omnia quæ præter leges & iura maiorum ab improbis hominibus præsumebantur Regiæ authoritatis censura corrigi sperarent. Præterea quia fama vulgauerat ad deponendum Papam ferocibus eum animis properare, admodum gratulabantur oblatam sibi occasionem eße, qua in eum qui se iam pridem ab Ecclesiastica communione suspenderat iniuriam suam idoneè vindicarent.

Papa Augustā proficisci instituit.

Interea Papa rogatus per literas à Principibus Theutonicis, qui in Oppenheim conuenerant, vt in Purificatione Sanctæ Mariæ ad discutiendam causam Regis Augustæ occurreret, inuitis Romanis Principibus; & propter incertum rei euentum, iter illud dissuadentibus Roma egressus est, & quantum poterat effectionem accelerans statuto die præsto eße satagebat, Ducatum ei præbente Mathilda.

Canusiū Castellū.

Cognito tamen ex insperato, Regis in Italiam aduentu, hortante Mathilda *in Castellum quoddam munitissimum, quod Canusium dicitur, diuertit: expectare volens, donec consilium aduentus eius diligentius exploraret, vtrum scilicet, veniam admissi postulare, an iniuriam excommunicationis suæ militari manu persequi plenus animorum adueniret.*

Episcop. Verdunē. fis captus

Diedericus Episcopus Verdunensis vir constantissimæ erga Regem fidei, dum Regem in Italiam proficiscentem paulò post insequi vellet, captus est ab Adalberto Comite de Castello, quod dicitur Caleuuo, & spoliatus omnibus quas studiosissime conuexerat tam longi itineris impensis. A quo diu habitus in custodia tandem dato quodcumque exigebatur redemptionis suæ pretio addito etiam iureiurando, quod iniuriæ huius nec spiritualem, nec corporalem vindictam aliquando expeteret, liber abire dimißus est.

Episcop. Babēbergensis captus.

Rubertus quoque Babenbergensis Episcopus, dum in Italiam pergens per Baioariam iter ageret captus est ab Vuelf Duce Baioariorum. Qui sublatis omnibus quæ illius fuerant peculiaria, vestes Pontificales & cæterum Ecclesiasticum ornatum, quem in thesauris eius repperit, Ecclesiæ Babenbergensi cum omni integritate reconsignauit. Ipsum verò in castello munitissimo à natale Domini vsque ad festiuitatem Sancti Bartholomæi Apostoli, sub diligenti custodia tenuit, nec vllis amicorum eius precibus aut muneribus, vt dimitteret, euinci potuit.

Ca-

Sal. A.n. 1077. Episcopi Canusij quærunt peccati absolutionem.

Cæteri Episcopi & laici, quos Papa excommunicauerat, quosque Rex huius gratia à latere suo extrema necessitate compulsus amouerat, elusis custodibus, qui Clusas obsidebant, in Italiam illæsi peruenerunt, reperto que Papa in Canusio, veniam præsumptæ rebellionis atq; vt excommunicatione absoluerentur, nudis pedibus, & laneis ad carnem induti suppliciter postulabant. Ille his qui veraciter peccatum suum agnoscerent, & deflerent, non esse aiebat misericordiam denegandam, sed longam inobedientiam & diu incertam peccati rubiginem diuturnioris pœnitentiæ igne exuri & excoqui oportere. Quapropter, si eos reuera facti pœniteret, æquo animo paterentur quodcumque sanandis vulneribus eorum adhiberet Ecclesiasticæ correptionis cauterium, ne ex facilitate indulgentiæ culpa quæ aduersus Sedem Apostolicam atrox & vehemens præsumpta fuisset, vel parua vel nulla videretur. Illis paratos se profitentibus ad omnia quæ imposuisset sufferenda, Episcopos omnes à seinuicem separatos præcepit singullis cellis solitarios includi, nec vllum cum aliquo habere colloquium.

Absolutionis Papalis ratio.

Ad vesperam autem cibi & potus mediocri mensura refici. Laycis quoque pro ætatis vel virium cosyderatione congruentem singulis pœnitentiam indixit. Ita per aliquot dies examinatos tandem ad se vocauit & leniter pro admissis obiurgatos, & ne deinceps simile quid admitterent commonitus excommunicatione absoluit, abeuntibusque id ante omnia repetens iterum iterumque præcepit, ne rege Heinrico donec Sedi Apostolicæ post factam iniuriam satisfecißet aliquatenus communicarent, aut ei ad euertendum statum Reipub. turbandamque pacem Ecclesiasticam in aliquo operam suam accomodarent. Ad hoc tamen omnibus indifferenter eius permisso colloquio, vt ad pœnitentiam prouocaretur, & à cursu mali operis quo, præceps rapi videbatur retraheretur,

CC. Heinricus Imp. excōmunicatio-nis veniā sollicitat.

Interea Rex Heinricus Mathildam comitissam ad colloquium euocauit, eamque precibus ac promissionibus oneratam ad Papam transmisit, & cum ea socrum suam filiumq; eius Azzonem etiam Marchionem & Abbatem Cluniacensem, & alios nonnullos ex primis Italiæ Principibus, quorum authoritatem magni apud eum momenti esse non ambigebat, obsecrans, vt excommunicatione absolueretur, nec Principibus Theutonicis, qui ad accusandum eum stimulo inuidiæ magis quam zelo iustitiæ exarsissent, temerè fides haberetur.

Papæ responsū.

Quorum Papa legatione audita ait. Incongruum valde esse, & ab Ecclesiasticis legibus omnino alienum, vt absentibus accusatoribus causa accusati ventilaretur. Quin immo si innocentiæ suæ confideret, omni timoris scrupulo liberatus, statuto die in Augustam, quo cæteri Principes conuenire statuissent, fiducialiter occurreret: Se illic discussis vtrarumque partium allegationibus, nec odio nec gratia ab iure ad iniuriam deuolandum, sed iuxta leges Ecclesiasticas quàm rectissimam possit de singulis sententiam laturum esse.

Intercessores pro Imp.

Adhæc illi responderunt. Regem illius nusquam terrarum subterfugere iudicium, quem sciat æquitatis & innocentiæ incorruptissimum vindicem & aduocatum fore. Sed è vicino iam vrgere diem anniuersarium, quo excommunicatus fuißet, & Principes Regni hac expectatione suspensos attentosque anxiè rei euentum præstolari: vt si ante hanc diem excommunicatione non absoluatur, deinceps iuxta Palatinas leges, indignus Regio honore habeatur, nec vltra pro aßerenda innocentia sua audientiam mereatur. Proinde obnixius petere, & hoc omni quo Papa iubeat satisfactionis genere paratum emereri, vt solo interim anathemate absoluatur, & communionis Ecclesiasticæ gratiam recipiat: responsurus ex integro quacumque die, quocumque loco Papa præcipiat, tanquam nihil hac conuentione actum sit, omnibus quæ accusatores eius obiecissent, criminibus, & iuxta sententiam eius Regnum, vel retenturus si obiecta purgaßet, vel æquo animo si causa cecidisset amissurus.

Papa postulat coronam Imper.

Diu Papa restitit, veritus in Rege iuuenilis animi inconstantiam, & procliue quocumque assentatores impulissent ingenium. Sed superatus tandem importunitate perurgentium, & grauitate sententiarum, si veraciter, inquit eum facti pœnitet, coronam & cætera Regni insignia in argumentum veræ & ex animo actæ pœnitudinis nostræ potestati dedat, & se post tam contumax admissum Regio nomine & honore deinceps indignum profiteatur.

Durum nimis hoc visum est Legatis, Cumque vehementer insisterent, vt sententiam

Sal. An. 1077.

temperaret, nec calamum conquassatum iudicij austeritate pœnitus contereret, vix & ægrè tandem exoratus, annuit vt comminus veniret, & si veram pro admissis pœnitudinem gereret, culpam quam Sedi Apostolicæ contumeliam irrogando contraxerat, Sedis Apostolicæ decretis nunc obediendo expiaret.

Imper. Papæ se sistit & quo habitu.

Venit ille vt iussum fuerat, & cum castellum illud triplici muro septum esset intra secundum murorum ambitum receptus, foris derelicto omni comitatu, suo deposito cultu Regio, nihil præferens Regium, nihil ostentans pompaticum, nudis pedibus ieiunus à manè vsque ad vesperam perstabat, Romani Pontificis sententiam præstolando. Hoc secundo, hoc tertio die fecit. Quarto demum die in conspectum eius admissus, post multas hinc inde dictas sententias, his postremò conditionibus excommunicatione absolutus est,

CCI. *Absolutionis Papalis conditiones graues.*

vt die & loco quemcumque Papa designasset euocatis ad generale Concilium Theutonicis principibus præsto esset, & accusationibus quæ intenderentur, responderet, ipso Papa si ita expedire videretur, cognitore causarum assidente, & ad eius sententiam vel retineret Regnum, si obiecta purgasset, vel æquo animo amitteret, si probatis criminibus Regio deinceps honore indignus iuxta Ecclesiasticas leges decerneretur: nullam, siue retento siue amisso regno, huius iniuriæ vindictam à quopiam hominum in perpetuum exacturus. Vsque ad eam aut diem, qua causa eius legitimè discussa terminaretur, nulla regij cultus ornamenta, nulla regiæ dignitatis insignia sibi adhiberet, nihil circa rerum publicarum administrationem iuxta consuetudinem suo iure ageret, nihil quod ratum fore oporteat decerneret: Postremò præter regalium seruitiorum exactionem, quibus necessariò ipse & sui sustentandi essent, nihil Regium, nihil publicum vsurparet, omnes etiam qui ei sub iureiurando fidem dixissent, ab huius Sacramenti vinculo, & conseruandæ erga eum fidei debito apud Deum, & apud homines interim liberi expeditique manerent Rutbertum Babenbergensem Episcopum, & Vdalricum de Cosheim & cæteros quorum consilijs se remq; publicam prodidisset, à sua in perpetuum familiaritate amoueret.

Imper. Papæ sit subiectus

Quod si purgatis quæ obijcerentur potens confortatusque in Regno perstitisset, subditus Romano Pontifici semper dictoq; obtemperans foret, & ad corrigenda quæcumque in regno eius contra Ecclesiasticas leges praua consuetudine inoleuissent, consentiens ei & pro virili portione cooperator existeret. Ad vltimum, si quid horũ præuaricaretur, irritam fore hanc, quæ nunc tantopere expetita sit, anathematis absolutionem. Quin immo iam pro conuicto confessoq; habendum esse, nec vltra pro asserenda innocentia sua audientiam impetraturum, principesque regni omni deinceps quæstione, cuncta iurisiurandi religione liberatos, regem alium, in quem communis electio consensisset, creaturos esse. CCII.

Imper. submissio.

Gratanter Rex accepit conditiones, seruaturum se omnia quàm sanctissimis poterat assertionibus promittebat. Nec tamen promittenti temerè fides habita est. Sed Abbas Cluniacensis, quoniam iurare monasticæ religionis obtentu detractabat, fidem suam coram oculis omnia cernentis Dei interposuit. Episcopus quoque Citicensis, & Episcopus Vercellensis, & Azzo Marchio, & alij conuentionis eius principes allatis sanctorum reliquijs sub iureiurando confirmauerunt facturum eum esse quæ pollicebatur, nec aliqua rerum asperitate vel casuum variè succedentium mutabilitate absentia deducendum.

Absoluendi ab excõmunicatione modus & formula.

Ita absoluto eo excommunicatione, Papa missarum solemnia celebrauit, confectaque sacra oblatione regem cum cætera, quæ frequẽs aderat, multitudine ad altare euocauit, præferensque manu corpus dominicum, ego inquit, iampridem à te tuisque fautoribus literas accepi, quibus me insimulabas Sedem Apostolicã per symoniacam hæresim occupasse, & alijs quibusdam tam ante Episcopatum quàm post acceptum Episcopatum criminibus vitam maculasse, quæ mihi secundum scita canonum omnem ad sacros ordines accessum obstruxerint. Et licet multorum idoneorum certè testiũ astipulatione crimen refellere queam, eorum, scilicet, qui omnem vitæ meæ ab ineunte ætate institutionem integerrimè nouerunt, & eorum qui meæ ad Episcopatum promotionis authores fuerunt: Ego tamen ne humano potius quàm diuino niti videar testimonio, vt satisfactionis compendio omnem omnibus scandali scrupulum de medio auferam, ecce corpus Dominicum quod sumpturus ero, in experimentum mihi hodie fiat innocentiæ meæ, vt omnipotens Deus suo me hodie iudicio vel absoluat obiecti criminis suspicione, si innocens sum, vel subitanea

Gregor. PP. innocẽtiã sumpta Eucharistia probat.

Sal. An. 1077. tanea interimat morte, si reus. Hæc & alia, vt solemne est, præfatus verba terribilia, quibus Deum causæ suæ æquissimum iudicem & innocentiæ assertorem adesse precabatur, partẽ Dominici corporis accepit & comedit. Qua liberrime absumpta cum populus in laudes Dei, innocentiæ eius congratulatus, aliquandiu acclamasset, tandem impetrato silentio conuersus ad Regem. Fac ergo, inquit, fili si placet quod me facere vidisti. Principes Theutonici regni suis indies accusationibus aures nostras obtundunt, magnam tibi molem capitalium criminum impingentes, pro quibus non modo ab omni rerum publicarum administratione, sed ab Ecclesiastica etiam communione & ab omnimoda vitæ secularis conuersatione vsque ad extremum spiritum te suspendi oportere existimant. Petunt etiam magnopere diem & locum statui audientiamque præstari canonicè discutiendis, quas aduersum te afferant accusationibus. Et nosti optime humana plerumque vacillare iudicia, & in publicis disceptationibus nonnunquam falsa pro veris persuaderi, dum pro disertorum hominum ingenijs & dicendi copia & suauitate, falsitas verborum phaleris adornata libenter auditur, & veritas nullis eloquentiæ nixa adminiculis contemnitur. Cum ergo tibi bene consultum cupiam, pro eo quòd in calamitatibus tuis supplex Apostolicæ sedis patrocinium expetisti, fac quod moneo. Si te innocentem nosti, & existimationem tuam ab æmulis tuis per calumniam falsis criminationibus impeti, libera compendiose & Ecclesiam Dei scandalo, & teipsum longæ concertationis ambiguo, & sume hanc residuam partem Dominici corporis, vt comprobata Deo teste innocentia tua, obstruatur omne os aduersum te iniqua garrentium: Et me deinceps causæ tuæ aduocato, & innocentiæ tuæ vehementissimo assertore Principes tibi reconcilientur, regnum restituatur, omnes quib. iamdiu resp. vexatur bellorum ciuilium tempestates in perpetuum sopiantur.

Papa fauet Imp. & residuã Sacramẽti partem communicat.

CCIII. Imper. abhorret verba Papæ.

Adhæc ille inopinata re attonitus æstuare, tergiuersari, consilia cum suis familiaribus segregatus à multitudine conferre, & quid facto opus esset, qualiter tam horrendi examinis necessitatem euaderet, trepidus consulere. Resumpto demum spiritu causari apud Papam cœpit de absentia Principum, qui sibi in aduersis fidem adhuc integram seruassent, quibus inconsultis & potissimum absentibus accusatoribus irritam fore, nec quicquam virium apud incredulos habituram esse, quamcunque pro experienda innocentia sua satisfactionem paucis qui aderant proposuisset. Proinde sedulò Papam orare, vt rem integram generali concilio communique audientiæ differet. Vt ibi congregatis accusatoribus & secundum leges Ecclesiasticas discussis tam accusationibus quam accusatorum personis, conditionibus quascunque principes regni æquas iudicassent obiecta refelleret.

Haud grauatè Papa petenti acquieuit, expletoque sacro ministerio Regem ad prandium vocauit, benignissimèq; profecto, & de omnibus quæ eum obseruare oporteret diligenter instructum, cum pace ad suos qui longius extra castellum remanserant, dimisit. Epponem quoq; Citicensem Episcopum præmisit ante eum, vt eos qui excommunicato, priusquam anathemate absolueretur, indifferenter excommunicauerant, vice sua excommunicatione absolueret: benignè præcauens, ne quam denuo receptæ communionis maculam contraheret. Qui dum venisset, & causam pro qua missus fuerat Italis exposuisset, vehemens in eum ira & indignatio coorta est. Fremere omnes & sæuire verbis ac manibus cœperunt. Apostolicæ legationi irrisorijs exclamationibus obstrepere, conuicia & maledicta, vtcumque turpissima furor suggessisset, irrogare: Se excommunicationem illius nihil æstimare, quem ipsum omnes Italiæ Episcopi iustis ex causis iam pridem excommunicassent: qui sedem Apostolicam per simoniacã hæresim occupasset, homicidijs cruentasset, adulterijs alijsque capitalibus criminibus polluisset: Regem secus ac deceat egisse, crimenque gloriæ suæ intulisse nunquam abolendum, quòd homini hæretico & probris omnibus infamato, maiestatem regiam summiserit, & quẽ iustitiæ patronum, legumque Ecclesiasticarum vindicem sibi parassent, is fœdissima subiectione sua fidem planè Catholicam, authoritatem Ecclesiæ, dignitatem Reip. prodierit. Se in vltionem eius omnes quas potuerint Papæ iniurias irrogasse, & nunc quod dictu turpe sit, se in medijs perturbationum fluctibus relictos, ipsum sibi consuluisse, & cum hoste publico priuata necessitudine in gratiam redisse. Hæc potissimum Principes Italiæ iactando & passim per populum serendo, ingens Regi odium breui conflauerant.

Papa & Imper. reconciliati.

CCIV. Papæ laudes ab Italis data.

Sal. An. 1077 HENRICO RELAPSO, RODVLPHVS ELIGITVR IMPERATOR. Sal. An. 1077.

CCV. Cognito fœdere, quod inter se Cæsar & Pontifex, contraxerant, *Theobaldus, & Gibertus* (ita ex Sigonio) *Archiepiscopi, ac reliqui eius factionis Italici verbis eum contumeliosissimis exceperunt, ac se Gregorij anathema pro nihilo habere dixerunt, quem constaret, ab Episcopis iusto iampridem esse anathemate obligatum, quòd Sedem Apostolicam per Simoniacam hæresim inuasisset, ac cædibus, adulterijs, alijsque nefarijs sceleribus inquinasset. Henricum indignè fecisse, & nomini suo maculam fœdissimam aspersisse, quòd eiusmodi hominis fasces Regiæ maiestatis summiserit, perfide verò, atque dolosè, quòd sibi vni consulens in gratiam cum eo redire studuerit, seipsos verò, qui illius caussa omnibus Gregorium iniurij lacessiuerint, in medijs turbarum fluctibus deseruerit, enimuero tantas iniurias æquo haudquaquam animo esse ferendas; patrem, qui se vltro Regni titulo indignum præbuerit, abdicandum, filium, licet nondum satis propter ætatem Regno maturum, dominum asciscendum, nouoque Pontifice declarato per eum Romæ corona Imperatoria exornandum. His vocibus perculsus Henricus, atque Italici Regni amittendi in discrimen adductus, quicquid apud se Principum erat, ad eos misit, mandatis datis, vt percontarentur, quæ caussa iræ, ac consternationis subitæ foret, & quacunque ratione possent, animos eorum exasperatos lenirent; se quod fecerit, extrema necessitate compulsum communis commodi caussa fecisse, nec Germaniæ Principibus, qui sibi Regnum per calumniam eripere conarentur, nec Gregorio, qui Apostolicum gladium ira furens intentaret, aliter satisfieri potuisse, quàm vt ante annum anathemate solueretur, nunc se omnibus salebris, in quas ab inimicis fuerat impulsus, elapsum omne studium, omnemque operam ad persequendas suas, atque illorum iniurias collaturum. His verbis compressa potius, quàm extincta seditionis est flamma. Siquidem plerique procerum è castris se per iram proripientes iniussu eius domum reuertere, ceteri dissimulata iracundia redeuntem pacato quidem vultu exceperunt, verum neque solitum cultum, neque solemnia officia præstiterunt, sed per omnes circulos probris, & iurgijs lacerarunt, quod tandiu, ac tanto studio expectatus, nihil tamen auxilij periclitantis Italiæ rebus attulisset. Itaque, cum Italiam perlustrare cæpisset, vt eos, qui oppressi erant, iure de more dicundo leuaret, neque cum facults, & faustis, vt assolebat, acclamationibus occurrerunt, neque in vrbes receperunt, sed in suburbijs manere iußerunt, neque eò annonam ad sustentandum exercitum, vt debebant, opportunam, & vberem detulerunt, ac dispositis singulis in locis armatis prædas ex agris, villisque agi ad explendas necessitates prohibuerunt. Quibus rebus commotus Henricus, cum se Germaniæ finibus excedendo non hostem euasisse, sed mutasse, videret, grauiter intimis sensibus angebatur, atque eorum animos quoquo pacto sibi restituere conabatur. Cuius rei vt rationem iniret, Vdelricum de Coshein, & ceteros, quos iuratus à sua familiaritate repulerat, aduocauit, & cum ijs, vt ante, de priuatis, publicisque negotijs communicare consilia cæpit, atque ex eorum auctoritate dissolutis omnibus humanis, ac diuinis, quibus se Pontifici obstrinxerat, legibus efferata in eum libertate se intulit, atque acerbissimis, vt tantarum turbarum concitorem, vocibus insectari, eosq; ad tantas suo ductu vindicandas iniurias incitare instituit. Quibus rebus placati paulatim Italici animis erga eum studijsque accensi sunt, vsque adeo, vt frequentiore eum in dies multitudine stiparent, sumptibus exercitum vberioribus sustinerent, & se ad omnia, quæ imperaret, exequenda paratos esse ostenderent. Quo cognito Episcopi Lietmarus Bremensis, Eppo Citicensis Benno Ossemburgensis, Burchardus Losannensis, & Burchardus Basileensis, & ex laicis Vldericus, Eberardus, Bertoldus, & alij pene omnes, quos apud Oppenehin Legati Pontificij à contubernio eius arcuerant, eum adierunt, atque omnium se particeps consiliorum, & seditionum socios præbuerunt. Hæc cum in Germaniam nunciata essent, Moguntinus, Virciburgensis, & Metensis Episcopi, Rodulfus, Velfo, & Bertoldus Duces, alijque de Reipublicæ commodis conuocati statuerunt, vt Principes Saxoniæ, & ceteri omnes, quibus Respublica curæ foret, iij. Idus Martij ad Forchein conuenirent, & communi*

consi-

Sal. An. 1077. *consilio, quid opus esset facto, decernerent. Literas quoque ad Pontificem dederunt, vt quoniam in Purificatione Augustam ad conuentum dolo Regis occurrere non potuerat, saltem ad Forchein die constituta adesset. Velfo autem Dux Bauariæ fuit, superioris Velfonis, quem ab Henrico secundo discessisse supra declarauimus, filius, qui cum Ecclesiam tuendam aduersus vesanam Henrici Gibellini contumaciam suscepisset, tradita posteris vtriusque discordia, teterrimis, quæ post in Itàlia exarserunt, Velfonum factionibus nomen dedit. Gregorius Canusio Carpinetam, & Bibianellum castra Mathildis in Apennino sita se contulit, atque ibi, vt in locis tutissimis, hostium insidias euitauit, secum constitutum habens non ante Romam redire, quàm, quemadmodum ad Principes Germaniæ scripserat, instituto perfecto itinere optatam Ecclesiæ concordiam peperisset. Itaque litteris Principum lectis, etsi frequenti fama acceperat, Henricum mutata voluntate hostilem aduersus se, atque Ecclesiam animum induisse, misit tamen ad eum vnum ex Cardinalibus Episcopis Gregorium, qui nunciaret, venisse tempus, quo promissa præstaret, conuenturos in Forchein iij. Idus Martij ad componendum Reipublicæ Statum Regni Theutonici Principes. accederet ergo, ac præsens oblata crimina, se iudicium exercente, purgaret, & Ecclesiam scandalo, Rempublicam belli ciuilibus, se ipsum fœdissima existimationis macula liberaret. Ad hæc dissimulato animi consilio, respondit Henricus, se post acceptum Regnum nunc primùm in Italiā traieciße, nec posse multis, magnisque negotijs impeditum tam citò decedere, nisi Italos, quos longa sui aduentus expectatione suspendit, sine caussa grauissimè velit offendere, nec si id bona ipsorum venia facere liceat, cum dies obeundo conuentui immineat, se tam breui spatio tanta terrarum interualla vlla equorum pernicitate ad tempus poße percurrere. His acceptis Pontifex Bernardum Abbatem Massiliensem, & Bernardum Cardinalem Diaconum ad Principes in Forchein conuenturos misit, eosque docuit, se omni ope nisum, vt die, & loco Statuto communibus de Ecclesia consilijs habendis interesset, sed Henrici diligentia factum, vt neque tutò in Germaniam progredi, neque Romam sine periculo regredi possit, omnibus ab eo, qua transire possit, itineribus occupatis. proinde monere eos, vt interim Regni rationibus, quoquomodo possint, prospiciant, quoad patefactis itineribus ipse tutò accedere, & communicatis consilijs Regni, & Ecclesiæ vtilitatibus, quæ opportuna sint, decernere posit.*

Constituto itaque loco, & die conuenere Principes cum Pontificiis Legatis de *Henrico*, & regni rationibus differentes. Nemo CCVI. erat (*Sigonius*) qui non grauissimè senserit, & pari seueritate censuerit. Ita communi consilio, approbantibus legatis, cum citatus ad causam dicendam *Henricus* non affuisset, regni titulo iustissimis de causis spoliatur. Cumque de successore eligendo quærerent, omnes in vnum *Rodulphum* Sueuiæ Ducem, consenserunt, hominem & opibus, tum virtute, ac pietate præstantem.

MONETAM AVREAM *RVDOLPHI* vide pag. 42.

At cum singuli deberent eum Regem laudare CCVII. (Goldastus in Constit. Imper.) *quidam voluerunt aliquas cōditiones interponere, vt hac lege eum super se leuarent Regem, quatenus sibi de suis iniurijs specialiter promitteret iustificationē. Otto namq; Dux non prius volebat eum sibi Regem constituere, nisi promitteret honorem sibi iniustè ablatum restituere. Sic & alij multi suas singulares causas interponunt, quas vt ille se correcturum promitteret, volunt. Quod intelligens Apostolicus Legatus fieri prohibuit, & ostendens eum non singulorum, sed vniuersorum fore Regem, vt vniuersis iustum se promitteret, satis esse perhibuit. Ait etiam, si eo modo, quo cœptum fuerat promissionibus singillatim præmissis eligeretur, ipsa electio, non sincera, sed hæresis Simoniacæ veneno polluta videretur.*

Tamen quædam sunt ibi causæ specialiter exceptæ, quas quod iniustè viguerant, deberet emendare: scilicet vt Episcopatus non pro precio nec pro amicitia daret, sed vnicuiq; Ecclesiæ de suis electionē (sicut iubēt Canones) permitteret.

Hoc etiam ibi consensu communi comprobatum, Romani Pontificis auctoritate est corroboratū, vt Regia potestas nulli per hæreditatem, sicut antè fuit consuetudo, cederet, sed filius Regis, etiamsi valde dignus esset, per electionem spontaneam, quam per successionis lineam, Rex proueniret: si verò non esset dignus filius, vel si nollet eū populus, quē Regē facere vellet, haberet in potestate populus.

Porrò

Sal. An. 1077. CCVIII. Porrò non minùs *Rudolphus*, quàm *Henricus* Legatos ad Pontificem misere. Is auxilium implorans; ille vt obsequium erga Pontificem profiteretur, filio suo in obsidem oblato. Respondit Pontifex, *se non* CCIX. *defuturum, vbi causam vtriusque nouisset.* Legatis suis interim *Bernardo* Diacono, & *Bernardo* Abbati mandauit, vtrumq; monere Reges, vt sibi tutum iter in Germaniam præstarent, quò venire ad causam regni cum consilio Clericorum & Principum cognoscendam posset, & quem huic officio deesse inuenissent, eum ab Ecclesia & communicatione Corporis & Sanguinis Christi arcerent: qui se obsequentem præbuisset, eum conuocato consilio in Regno confirmarent: atque ad Clericos etiam, & Principes litteras eodem die dedit, præcipiens, vt legatis auxilio essent, aduersùs eum, qui præceptis suis obtemperare renueret. Litteras etiam ad Hugonem Archiepisc. Treuirensem & suffraganeos eius misit sequentes. *De tumultu Regni Germaniæ quantam curam, ac solicitudinem susceperimus, Deus ipse optimus testis est, quem assiduis precibus pro quiete eius orare non desistimus. Litteras autem ante tres menses, & eò amplius ad Legatos nostros Bernardum Diaconum nostrum, & Bernardum Massiliæ Abbatem, necnon, & vniuersis principibus dedimus, quibus quod nobis optimum videretur, ad bellica detrimenta vitanda eis præscripsimus. Verum quia incerti sumus, num illæ ad eos litteræ sint perlatæ, eodem exemplo alteras ad vos misimus, monentes vos vt operam detis, vt hæc his finiatur. Misimus etiam Sacramentum, quo te Henricus per fideles suos nobis obstrinxit, vt eo lecto videatis, quàm honestè erga nos se gesserit: qui postea per fideles suos Legatos nostros cæperit Bernardum Ostiensem Episcopum in Lombardia, & Bernardum Abbatem Massiliensem in Germania: nos tamen nihil aduersus eum, nisi quod rectum, & iustum iudicamus, gesturi sumus: sicut neque precibus eius nisi quod iustum visum fuit, exegimus. Romæ xj. Kalend. Octob.*

Inde *Robertum*, & *Ricardum* propter captum Salernum iratus, furijs inferorum deuouit (*Sigonius*) atque aduersùs eos exercitum comparauit. Ea re accepta *Robertus* Beneuento, *Ricardus* Neapoli bellum intulerunt, atque exercitu admoto vtrumque obsidere cœperunt. *Henrico* Italia profecto Lombardiæ ciuitates delusas se ab Henrico querentes, paulatim ab eius auctoritate recesserunt, atque auctore *Mathilde* se se Pontifici tradiderunt, per quem regio fuerant Sacramento solutæ, & nouo altero syncerioris, atque integrioris libertatis initio facto, cum eximia alia dignitatis deinceps ornamenta asciuerunt, tum militaria multa vexilla, vulgò *Carrocia* dicta, instituerunt, quod genus à Mediolanensibus superiore Italica sub Conrado defectione inuentum, fuerat vsurpatum. CCX. *Italia ab Imperio deficit.* CCXI.

Obijt hoc anno (*Bertoldus*, & *Vspergensis*) Agnes religiosissima Imperatrix, iam xx. annis in viduitate Deo deuotissimè seruiens, nec filio suo *Henrico* contra Sedem Apostolicam consentiens; Romæ quieuit sepulta in Ecclesia S. Petronillæ; ad cuius tumulum, hæc inscriptio legitur. CCXII. *Agnes Imper. moritur.*

✠ *ANNO MLXXVI. AB. INCARNAT. DOM. NOSTRI. IESV. CHRISTI. INDICT. PRIMA. ANNO. QVINTO, PONTIFICATVS. DOMINI. GREGORII. PAPÆ. SEPTIMI.*
AGNES. IMPERATRIX. AVG. POST. MORTEM. VIRI. SVI. HENRICI. IMP. II. ANN. XXII. DIE. XIV. MENSIS. DECEMBRIS. ANIMAM. BONIS. OPERIBVS. FOECVNDAM. LATERANIS. SALVATORI. SVO. ATQVE. OMNIVM. BONORVM. DEO. AVCTORI. REDDIDIT.
ET. HIC. VBI. ANTEA. MILITAVERAT. CLAVIGERO. COELI. PRO. CVIVS. AMORE. IBIDEM. PEREGRINATA FVERAT.
QVINTA. DIE. MENSIS. IANVARII. EXPECTANS. SPEM. BEATÆ. RESVRRECTIONIS. ET. ADVENTVM. MAGNI. DEI.
MEMBRA. CARNIS. COMMENDAVIT.
IN PACE. AMEN.



Sal.An. 1078

SYNODVS LATERANENSIS. Sal.Ann. 1078.

PLurima hoc anno Orbis pacem conturbant. Byzantino Imperio deturbatus
CCXIII. *Michael* à *Nicephoro Botoniate*, ad *Robertum* virtute, opibus, ea tempestate præstantem confugit; Interim *Ricardo* Capuæ mortuo *Iordanes* filius Neapolis obsidionem soluit, & *Gregorio* gratificatus castra *Roberti* ad Beneuentum disiecit, & cum omnibus Apuliæ Comitibus aduersus eum conspirauit. Quod vbi *Robertus* (qui tum erat in Calabria) comperit, exercitum in Apuliam reduxit, eaque recepta, aduersus *Iordanem* mouet. Verum *Desiderius* auctoritate sua interposita, *Robertum Ricardo*, *Gregorium Roberto* reconciliauit, qui hunc ab excommunicatione semouit. Interim *Gregorius* Germanæ seditioni cupiens aliquod afferre remedium, Mense Martio Concilium in
CCXIV. Laterano vocauit, quò Episcopi ad centum, Abbatesque plurimi affuerunt. In eo vetera in *Gibertum* Rauennatem, & *Theobaldum* Mediolanensem Archiepisc. reintegrata sunt anathemata. Tum *Arnulfus* Cremonensis, *Rolandus* Taruisinus Episcopi, ab officio
Episcopi & Card. in partibus Hērici qui? Episcopali semmoti, *Hugo* Cardinalis quia in partibus staret *Henrici* noua execratione damnatus. Inde de causa Regum ita subiecit. *Et quoniam* (ex Sigonio) *Regum controuersiam maximum S. Romanæ Ecclesiæ periculum conflare videmus, placet elaborare, vt viri doctrina, & sanctitate probati à nobis eo mittantur, qui omnes religiosos vtriusque ordinis regni proceres conuocent, ac de præsenti dissidio iudicent, & pacem inter Reges concilient. Et quia multos turpis largitionis spe impulsos huic paci aduersaturos, non ignoramus, statuimus, vt nemo Rex, Archiepiscopus, Dux, Marchio, Comes, milesue audeat Legatis impediendæ gratia pacis obstare. Qui secus faxit, eum anathematis vinculo alligamus. Nortmannos etiam, qui Marchiam Firmanam, & Ducatum Spoletanum inuasere, & eos qui Beneuentum obsident, & populantur Campaniam maritimam, & Sabinos, & qui tentant vrbem Romam confundere, communione secernimus. Episcopos verò, qui vocati ad conuentum non venerunt, ab Episcopali officio suspendimus.* Hæc V. Nonas Martias acta. Scripsit postea ad Principes Germaniæ, se in concilio decreuisse, vt conuentus in Germania de compositione rerum haberetur, & vt legati eo mitterentur. Mense Iunio iterum monuit cauerent, ne moram concilio afferrent. Indè cum se Romam recepisset, nouum xiij. Kal. Decembr. in CCXV
Laterano conuentum habuit: In quo *Nicephorus*, quia *Michaelem* Imperio deiecisset, communione secretus. Legati verò *Rodulphi* (teste *Bertoldo*) cum expostularunt, quod *Henricus* nemini parcens, vexandis Clericis totam tumultu Germaniam permisceret, & conuentui habendo moram afferret: plerique censebant eum iterum CCXVI.
esse gladio Apostolico feriendum, sed *Gregorio* dissentiente nil actum. Quare *Henrici* Legati iram Gregorij veriti, *Henricum* posthac paratum fore, responderunt, & responsum tali sacramento firmarunt.

IVRAMENTVM NVNTIORVM HENRICI REGIS.

LEgati Domini mei Regis ad vos venient infra terminum Ascensionis Domini, exceptis legitimis causis, id est morte, vel graui infirmitate, vel captione, absque dolo, qui Legatos Romanæ Sedis securè ducent & reducent. Et Dominus Rex obediens erit illis in omnibus, secundum iustitiam & iudicium illorum. Et hæc omnia obseruabit absque dolo, nisi quantum ex iussione vestra remanserit. Et hæc iuro ex præcepto Domini mei Regis Herici.

IVSIVRANDVM RODVLPHI, EIVSQVE LEGATORVM.

SI colloquium ex vestro præcepto constitutum fuerit in partibus Theutonicis, loco & tempore à vobis definito ante præsentiam vestram, vel Legatorum vestrorum, Dominus noster Rex Rudolphus, vel ipse veniet, vel Episcopos & fideles suos mittet, paratusque erit iudicium, quod sancta Romana Ecclesia decreuerit, de causa regni subire, nulloque malo ingenio conuentum à vobis siue Legatis vestris constitutum impediet. Et postquam certum, inde vestrum Nuncium videbit de pace in Regno constituenda & confirman-

Sal. An. 1077. *manda, studebit ut Legatio vestra prouenire ad pacem regni & concordiam possit. Hæc omnia obseruabuntur, nisi quantum ex vestra certa licentia remanserit, vel ex impedimento legitimo, scilicet morte, vel graui infirmitate, vel captione sine dolo.*

Henricus etiam Patriarcha Aquileiensis & *Gandulfus* Ep. Regiensis iurarunt, se dicto Ecclesiæ audientes futuros. *Theobaldus* verò Mediolanensis, *Sigifridus* Bononiensis
CCVXII. & *Rolandus* Taruisinus comunione depulsi sunt. *Robertus* in Græciam *Michaelis* restituendi causa profectus, rem prosperè gessit. *Henricus* (ait Bertoldus) *maxima multitudine flagitiorum adunata, procinctum in Saxoniam parauit, cui Rex Rudolphus apud Struuæ cum exercitu obuiauit: & illo fugato, ipse campum victoriæ obtinuit.* Posthæc CCXVIII
Tertium bellum (ait Lamberti continuator) *iuxta Fladecheim commissum est v. Kal. Feb.* In quo (ex Krantz *lib.* 5. *Saxon. c.* 7.) cecidit VVizilo Archiep. Magdeb. & Saxones terga verterunt. Dux Bohemiæ lanceam *Rudolphi* nactus, eam insigni munere præferri omnibus Bohemiæ Regibus instituit. Spoliatur in hoc prælio Dux Magnus, Comes frater eius captus, & Episcopus VVormaciensis Poppo ex primoribus Henrici principibus cecidit. Ita penè æquata sunt vulnera.

EXCOMMVNICATVR DENVO HENRICVS. *Sal. An.* 1080.

CCXIX. Victoriè elatus *Henricus*, dum renouata temerat sacramenta & fidem frangit: *Gregorius* in Quadragesima frequentissimũ in Laterano concilium conuocat. In quo Ecclesiastica disciplina dispositâ; penaq; & aduersùs Nortmannos Sancita, postremò in Henricum se confert, & tamquam relapsum nouo percutit anathemate, hisce verbis.

Beate Petre Princeps Apostolorum, & tu Beate Paule Doctor gentium dignamini quæso aures vestras ad me inclinare, meq; clementer exaudire. Quia Veritatis estis Discipuli & amatores, adiuuare vt veritatem vobis dicam, omni remota falsitate, quam omnino detestamini, vt fratres mei melius mihi acquiescant, & sciant & intelligant, quia ex vestra fiducia post Dominum & Matrem eius semper Virginem Mariam, prauis & iniquis resisto, vestris autem fidelibus auxilium præsto. Vos enim scitis, quia non libenter ad sacrum ordinem accessi, & inuitus vltra montes cum domino Papa Gregorio abij; sed magis inuitus cum domino meo Papa Leone ad vestram specialem Ecclesiam redij, in qua vteumque vobis deseruiui. Deinde valde inuitus, cum multo dolore & gemitu, ac planctu in throno vestro valde indignus sum collocatus. Nec ideo dico, quia non ego vos, sed vos elegistis me, & grauissimum pondus vestræ Ecclesiæ supra me posuistis. Et quia super montem excelsum me iussistis ascendere & clamare, atque annuntiare populo Dei scelera eorum, & filijs Ecclesiæ peccata eorum: membra diaboli contra me cœperunt insurgere, & vsque ad sanguinem præsumpserunt in me manus suas inijcere. Astiterunt enim reges terræ, & Principes sæculares, & Ecclesiastici: aulici & vulgares conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus vos Christos suos dicentes: Dirumpamus vincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipsorum, *& vt me omnino morte, vel exilio confunderent multis modis conati sunt in me insurgere.*

Inter quos specialiter Henricus, quem dicunt Regem, Henrici Imperatoris filium, contra vestram calcaneum erexit Ecclesiam, facta cum multis Episcopis Vltramontanis, & Italicis conspiratione, annitens me deijciendo, eam sibi subiugare. Cuius superbiæ vestra restitit auctoritas, eamque nostra destruxit potestas: qui confusus & humiliatus ad me in Longobardiam veniens, absolutionem ab excommunicatione quæsiuit. Quẽ ego videns humiliatum, multis ab eo promissionibus acceptis de suæ vitæ emendatione, solam ei communionem reddidi, non tamen in regno, à quo eum in Romana Synodo deposueram, instauraui, nec fidelitatem omnium, qui sibi iurauerant, vel erant iuraturi, à quo omnes absolui in eadem Synodo, vt sibi seruaretur, præcepi. Et hæc ideo detinui, vt inter eum Episcopos, vel Principes Vltramontanos, qui ei causa iussionis vestræ Ecclesiæ restiterant, iustitiam facerem, vel pacem componerem, sicut ipse Henricus iuramento per duos Episcopos mihi promisit. Prædicti autem Episcopi, & Principes Vltramontani audientes illum non seruare mihi quod promiserat, quasi desperati de eo, sine meo consilio,

vobis

Sal. An. 1080. *vobis testibus, elegerunt sibi Rudolphum Ducem in Regem. Qui Rudolphus festinanter ad me misso Nuntio, indicauit se coactum regni gubernacula suscepisse, tamen se se paratum mihi omnibus modis obedire. Et vt hoc verius credatur, semper ex eo tempore eumdem mihi semper misit sermonem, adijciens etiam, filio suo obside, & fidelis sui Ducis Bertholdi filio, quod promittebat firmare. interea Henricus cœpit me præcari, vt illum contra prædictum Rodulphum adiuuarem. cui respondi, me libenter facere, audita vtriusq; partis ratione: vt scirem cui iustitia magis faueret. Ille vero putans suis viribus eum posse deuincere, meam contempsit responsionem. Postquam autem persensit, se non posse, sicut sperauit, agere; duo Episcopi, Virdunensis videlicet, & Osenburgensis de consentaneis suis Romam venerunt, & in Synodo ex parte Henrici me, vt ei iustitiam facerem, rogauerunt, quod & Nuncij Rodulphi fieri laudauerunt. Tandem, aspirante Deo, sicut credo, statui in eadem Synodo, in partibus Vltramontanis fieri colloquium, vt illic aut pax statueretur, aut cui amplius iustitia faueret, cognosceretur. Ego enim (sicut vos mihi testes estis Patres & Domini) vsque hodie nullam partem disposui adiuuare, nisi eam, cui plus iustitia faueret. Et quia putabam, quod iniustior pars colloquium nollet fieri, vbi iustitia suum locum seruaret: excommunicaui, & anathemate alligaui omnes personas, siue Regis, siue Ducis, aut Episcopi, seu alicuius hominis, qui colloquium aliquo ingenio impediret, vt non fieret. Prædictus autem Henricus cum suis fautoribus non timens periculum inobedientiæ (quod est scelus idololatriæ) colloquium impediendo excommunicationem incurrit, & seipsum anathematis vinculo alligauit, magnamque multitudinem Christianorum morti tradi, & Ecclesias fecit dissipari, & totum pene Teutonicorum regnum desolationi dedit.*

Quapropter confidens de iudicio & misericordia Dei, eiusque pijssimæ Matris semper Virginis Mariæ, fultus vestra auctoritate, sæpe nominatum Henricum quem Regem dicunt, omnesque fautores eius excommunicationi subijcio, & anathematis vinculis alligo, & iterum regnum Theutonicorum, & Italiæ ex parte Omnipotentis Dei, & vestra interdicens ei omnem potestatem, & dignitatem illi Regiam tollo, & vt nullus Christianorum ei sicut Regi obediat, interdico: omnesque qui ei iurauerunt vel iurabunt de regni dominatione, à iuramenti promissione absoluo. Ipse autem Henricus cum suis fautoribus in omni congressione belli nullas vires, nullamq; in vita sua victoriam obtineat. Vt autem Rudolphus regnum Theutonicorum regat & defendat, quem Theutonici elegerunt sibi in Regem; ad vestram fidelitatem ex parte vestra, dono, largior, & concedo omnibus sibi fideliter adhærentibus absolutionem omnium peccatorum, vestramque benedictionem in hac vita, & in futura, vestra fretus fiducia, largior. Sicut enim Henricus pro sua superbia inobedientia & falsitate à Regni dignitate iuste abijcitur: ita Rudolpho pro sua humilitate, obedientia & veritate potestas, & dignitas regni conceditur.

Agite nunc quæso, Patres, & Principes sanctissimi, vt omnis mundus intelligat, & cognoscat, quia si potestis in cœlo ligare & absoluere; potestis in terra Imperia, Regna, Principatus, Ducatus, Marchias, Comitatus, & omnium hominum possessiones pro meritis tollere vnicuique, & concedere. Vos enim Patriarchatus, Primatus, Archiepiscopatus, Episcopatus frequenter tulistis prauis & indignis, & religiosis viris dedistis. Si enim spiritualia iudicatis; quid de sæcularibus vos posse credendum est? Et si Angelos, dominantes omnibus superbis Principibus, iudicabitis; quid de illorum seruis facere potestis? Addiscant nunc Reges & omnes sæculi Principes, quanti vos estis quid potestis: & timeant paruipendere iussionem Ecclesiæ vestræ, & in prædicto Henrico tam cito iudicium vestrum exercete, vt omnes sciant, quia non fortuito, sed vestra potestate cadet. Confundatur vtinam ad pœnitentiam, vt spiritus sit saluus in die Domini. Acta Romæ Nonis Martij, Indict. iij.

Inde conuentu dimisso regiam ad *Rudolphum* coronam transmisit, cui erat inscriptū *Petra dedit Petro, Petrus Diadema Rudolpho.* eumque ad vindicandam acriter aduersùs Henricum Ecclesiam incitauit. Quibus exasperatus *Henricus*, vt *Gregorium* vlcisceretur, alterum & ipse conuentum Schismaticorum apud Brixinam cōgregauit, vbi *Gregorium* abiurauit, & *Guibertum* Rauennatem quondam Episcopum obiecit. Deinde apud CCXX.

Sal. An. 1080. Moguntiam conuentu iterum facto, eamdem electionem à quibuscumque potuit, fecit confirmari, (ita *Bertoldus*,) & Pseudopapam adorari, à quo post pedum osculum ipse *Henricus* Imperij coronam accepit. Comitiorum Brixinæ (in Norico est) fuit tale.

DECRETVM.

Anno Domini MLXXX. cũ apud Brixinã Noricam triginta Episcoporũ conuẽtus, nec non & optimatum exercitus non solum Italiæ sed & Germaniæ, iussu Henrici Regis congregaretur, factus est omnium consensus aduersus Hildebrandum Papam, cognominatum Gregorium Septimum, quem Pseudomonachum, totiusque væsaniæ pestiferum Principem, & præcipuè sanctæ Romanæ Sedis inuasorem affirmantes, ab Apostolica Sede depellendum, quamuis absentem, diiudicabant; & Vvigbertum Rauennensem Archiepiscopum ipsi subrogandum eligebant. Huius Decreti conclusio hæc est: *Quia* (inquiunt) *illum constat non à Deo electum, sed à seipso in fraude ac pecunia impudentissimè obiectum: qui Ecclesiasticum subuertit ordinem, qui Christiani Imperij perturbauit regnum, qui Regi Catholico ac pacifico corporis & animæ intentat mortem; qui periurium defendit Regem; qui inter concordes seminauit discordiam, inter pacificos lites, inter fratres scandala, inter coniuges diuortia, & quicquid quiete inter piè viuentes stare videbatur, concussit: nos, authore Deo, congregati in vnum, legatis ac literis freti decem & nouem Episcoporum, die sancta præteritæ Pentecostes Moguntiæ congregatorum contra eundem Hildebrandum procacissimum, sacrilegia ac incendia prædicantem, periuria & homicidia defendentem, Catholicam & Apostolicam fidem de corpore & sanguine Domini in quæstione ponentem, Hæretici Berengarij antiquum discipulum, diuinationum ac somniorum cultorem, manifestum necromanticum, Phytonico spiritu laborantem, & idcirco à vera fide exorbitantem, iudicamus canonicè deponendum & expellendum: & nisi ab ipsa Sede his auditis descenderit, in perpetuum condemnandum. Facta sunt hæc vij. Kal. Iulij, feria v. Indict. iij.*

CCXXI. Scripsit posteà idem *Henricus* ad *Gregorium* temulentus epistolam, quam ex Goldasto lege.

Henricus non vsurpatiuè, sed pia Dei ordinatione Rex, Hildebrando non iam Apostolico, sed falso Monacho.

Hanc talem pro confusione tua salutationẽ promeruisti, qui nullum in Ecclesia ordinem prætermisisti, quem confusionis non honoris, maledictionis non benedictionis participem nõ feceris. Vt enim de multis pauca & egregia loquamur: Rectores sanctæ Ecclesiæ, videlicet Archiepiscopos, Episcopos, vel Presbyteros, non modò tangere sicut Christos Domini, non timuisti, quin sicut seruos, nescientes quid faciat Dominus eorum, sub pedibus tuis calcasti. In quorum conculcatione tibi fauorem ab ore vulgi comparasti, quos omnes nihil scire, te autem solum omnia noße iudicasti. Qua vtique scientia non ad ædificationem, sed ad destructionem vti studuisti: vt iure hoc beatum Gregorium, cuius nomen tibi vendicasti, de te credamus prophetaße, sic dicentem: Ex affluentia subiectorum plerumque animus Prælati extollitur; existimat se plus omnibus nosse, cum se videt plus omnibus posse.

Et nos quidem hæc omnia sustinuimus, dum Apostolicæ Sedis honorem conseruare studuimus: sed tu humilitatem nostram timorem fore intellexisti; ideoque in ipsam Regiam potestatem nobis à Deo concessam exurgere, non timuisti, quam te à nobis auferre ausus es minari, quasi nos à te regnum acceperimus, quasi in tua & non in Dei manu sit Regnum vel Imperium. Quia Dominus noster Iesus Christus nos ad Regnum, te autem non vocauit ad Sacerdotium. Tu enim his gradibus ascendisti, scilicet astutia & fraude, quodque Monachica professio abominatur, pecunia fauorem, fauore ferrum, ferro Sedem pacis adisti, & de Sede pacis pacem turbasti, dum subditos in Prælatos armasti, dum Episcopos nostros à Deo vocatos tu non vocatus spernendos docuisti; dum Laicis ministerium eorum super Sacerdotes vsurpasti, vt ipsi deponant vel condemnent qui ipsos de manu Domini per impositionem manuum Episcoporum docendo acceperant.

Me quoque (licet indignus inter Christianos sim ad Regnum vnctus) tetigisti, quem sanctorum Patrum traditio soli Deo iudicandum docuit; nec pro aliquo crimine, nisi à fide (quod absit) exorbitauerimus, deponendum coaßeruit. Ipse verò quid verus Papa beatus Petrus clamat? Deum timete, Regem honorificate. *Tu au-*

Sal. An. 1080. *autem, quia Deum non times, me constitutum eius inhonoras. Vnde beatus Paulus, vbi Angelo de cœlo, alia si prædicauerit, non pepercit, te quoque in terris alia docentem non excepit. Ait enim:* Si quis vel ego, vel Angelus è cœlo, præter id quod euangelizauimus vobis, euangelizauerit, anathema sit. *Tu igitur hoc anathemate, & omnium Episcoporum nostrorum & nostro iudicio damnatus, descende, vendicatam tibi Sedem Apostolicam relinque; alius in solium beati Petri ascendat, qui nulla violentiam religione palliet, sed beati Petri sanam doctrinam doceat.*

Ego Henricus Rex Dei gratia, cum omnibus Episcopis nostris tibi dicimus: Descende, Descende.

Henricus Dei Gratia Rex, vniuersæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ Clero, & Populo gratiam salutem, & omne bonum.

Hæc fides firma & inconcussa creditur, quæ semper & eadem & præsenti seruatur & absenti, nec diuturna eius, cui debetur, absentia nec longi temporis tædio immutatur. Quam talem vos nobis seruare scimus, & gratias agimus: &, vt eadem perseueret, petimus, videlicet vt (sicut facitis) amicis nostris amici, inimicis nostri inimici iugiter existatis. Inter quos scilicet Hildebrandum Monachum notantes, vos in eius inimicitiam excitamus, quod hunc & Ecclesiæ inuasorem & oppressorem, & Romanæ Reipubl vel Regni nostri insidiatorem comprehendimus, vt in subsequenti epistola sibi à nobis directa pernoscere in promptu est.

Henricus Dei Gratia Rex, Hildebrando. Quum hactenus à te, quæ sunt Patris, expectarem tibique in omnibus magna fidelium nostrorum indignatione obedirem; recepi à te vicissitudinem, qualem oportebat ab eo, qui vitæ regnique nostri perniciosissimus hostis esset. Nam quum primum omnem hæreditariam dignitatem, quæ mihi ab illa Sede Apostolica debebatur, superbo ausu rapuisses; longiùs inde progrediens, regnum Italiæ pessimis artibus alienare tentasti. Neque hoc contentus, in reuerendissimos Episcopos, qui nobis velut dulcissima membra vniti sunt, manum mittere non timuisti, eosque superbissimis iniurijs acerbissimisque contumelijs contra diuina & humana iura (vt ipsi aiunt) exagitasti. Quæ omnia quum ego quadam patientia dissimularem, tu hoc non patientiam sed ignauiam æstimans, in ipsum caput insurgere ausus es, mandans quæ nosti, scilicet (vt tuis verbis vtar) quod aut tu morereris, aut mihi animamq; regnumque tolleres. *Hanc inauditam contumaciam ego non verbis, sed reconfutandam dijudicans, generalem conuentum omnium Regni Primatum, ipsis supplicantibus, habui. Vbi, quum ea quæ hactenus metu & reuerentia tacebantur, in medium deducta fuissent, veris assertionibus illorum, quas ex ipsorum literis audies, palàm factum est, te nullatenus in Apostolica Sede posse persistere. Quorum sententiæ, quòd iusta & probabilis coram Deo hominibusque videbitur, ego quoque assentiens omne tibi Papatus ius, quod habere visus es, abrenuncio, atque vt à Sede Vrbis, cuius mihi Patriciatus, Deo tribuente, & iurato Romanorum assensu, debetur, descendas edico.* (Huc vsque Epistola.) *Hæc series nostræ epistolæ ad Hildebrandũ Monachum. Quam idcirco & vobis scripsimus, vt & vobis nostra voluntas, & nobis, immò Deo & nobis vestra satisfaciat caritas. Exurgite igitur in eum fidelissimi, & sit primus in fide primus in eius damnatione. Non autem, vt sanguinem eius fundatis, dicimus (quippe quum maior sibi sit post depositionem pœna, vita quàm mors) sed vt eum, si nolit, descendere cogatis, & alium communi omnium Episcoporum & vestro consilio à nobis electum in Apostolicam Sedem recipiatis, qui, quod iste in Ecclesia vulnerauit, curare velit & possit.*

Ad Christianos etiam Principes pro suo Antipapa legationẽ direxit *Henricus* in Anglia tamen non fuere receptæ, sed litteræ reprobatæ, vt docet rescriptum *Lanfranci* Archiepisc. Cantuariensis

Lanfrancus Hu.* Hugoni.

Litteras tuas, quas mihi per portitorem mearum misisti, suscepi & legi, & displicuerunt mihi quædam quæ in eis inueni. Non probo, quod Papam Gregorium vituperas; quod Hildebrandum eum vocas: quod Legatos eius Spinosulos nominas: quod Clementem tot & tantis præconijs tam propere exaltas. Scriptum est enim, non esse laudandum in vita sua hominem, nec detrahendum proximo suo. Adhuc incognitum est humano generi quales nunc sint, & quales futuri sint in conspectu Dei. Credo tamen, quod gloriosos Impera-

perator sine magna ratione tantam rem non non est aggressus patrare, nec sine magno auxilio Dei tantam potuit victoriam consummare. Non laudo, vt in Anglicam terram venias, nisi à Rege Anglorum licentiam veniendi prius accipias. Nondum enim Insula nostra priorem refutauit, nec vtrum huic obedire debeat, sententiam promulgauit. Auditis vtrimq; causis, si ita contigerit, perspicacius quid fieri oporteat prouideri valebit.

Aduersus porrò Antipapam *S. Anselmus* Episcopus Lucensis scripsisse legitur, præuaricatorem, ac superbum cognominans, inter alia subinferens (ait Vspergensis) *Vt ego de beato Gregorio patre nostro dicã, quod de Cornelio scripsit B. Cyprianus factus est Episc.*

MORS RVDOLPHI. *Sal. Ann.* 1080.

CCXXIII His ita gestis; *Henricus*, & *Rodulphus* rursus bellum renouant circa fluuium *Ellestram*, vbi *Rudolphus* vulneratus in dextera, obijt. Cum se recepisset Herbipolim, magnates & Episcopos suæ partis ad se iussit conuenire, & elata dextera in astantes, *Hec est*, inquit, *manus qua ego Sacramenta præstiti Henrico domino meo, vobis tamen vrgentibus toties in eum infœliciter pugnaui. Ite, & implete primam Regi vestro fidem: nam ego vadam in viam patrum.* Sic moritur. *Albertus Krantzius c.7. lib.5. Sax. Vspergensis.*

Rudolphus vincitur.

In Italia interim, victoriæ *Henrici*, certior factus Gregorius sibi, suisque timere cœpit, & quod adhuc facere distulerat, præsidium quærens, *Robertum* Apuliæ Ducem, sibi beneficio Apuliæ adiungendum putauit. Itaque cum ambo Ceperanum se contulissent, iij. Idus Iulij res ita transacta est. Primùm *Robertus* ita loquutus est. *Ego Robertus Apuliæ, Calabriæ, & Siciliæ Dux posthac ero fidelis tibi Domino meo Gregorio Pontitifici, neque auctor ero, aut operam dabo, vt vitam, aut membrum amittas, aut dolo malo capiaris, consilium, quod mihi communicaueris, in tui damnum sciens non enunciabo. S. Romanam Ecclesiam, & te adiuuabo, vt teneas, acquiras, & defendas regalia S. Petri, eiusque possessiones pro meis viribus contra homines præter partem Firmanæ Marchiæ, & Salernum, & Amalfim. de quibus adhuc non est decretum, & adiuuabo te, vt tutò & honorificè teneas Pontificatum. Terram S. Petri, quam nunc tenes, vel habiturus es, postquam sciero tuæ esse potestatis, nec inuadere, nec acquirere conabor, nec prædari audebo, sine tuo, tuorumque successorum permissu, pensionem de terra S. Petri, quam ego teneo, aut tenebo, quotannis bona fide persoluam S. Romanæ Ecclesiæ, omnes Ecclesias, quæ in eius sunt ditione, tuæ potestati dimittam, easque defendam. Si tu, aut successores tui ante me ex vita migrauerint, prout monitus fuero, auxilio ero, vt Pontifex eligatur, & ordinetur.* Quibus dictis Gregorius subiecit: *Ego verò Gregorius Pont. inuestio te Roberte, de terra S. Petri, quam tibi concesserunt antecessores mei Nicolaus, & Alexander. De illa autem terra, quàm iniustè tenes, Salernum dico, & Amalfim, & partem Marchiæ Firmanæ, nunc te patienter sustineo in confidentia Dei omnipotentis, & tuæ bonitatis, vt tu postea ad honorem S. Petri ita te geras, sicut & te gerere, & me suscipere decet sine periculo animæ tuæ, & meæ.* Tum Robertus sic subsequutus est: *Ego Robertus Dux ad confirmationem traditionis, & recognitionem fidelitatis de omni terra, quam ego teneo propriè sub dominio meo, promitto, me quotannis pro vnoquoque iugo boum pensionem XII. denariorum Papiensium soluturum B. Petro, & tibi D. meo Gregorio Pontifici, & omnibus successoribus tuis, aut tuis, aut successorum tuorum nuncijs, vbi dies Sanctæ Domini Resurrectionis aduenerit.* Interim Michael, qui fuerat Imperio Orientis deiectus auxilij inops ad Robertum virtute, opibusque ea tempestate præstantem confugit, atque vt sibi ad rem suam recuperandam adesset, orauit; Quod cum se summo studio facturum Robertus pollicitus esset, simul etiam sacrum Gregorij auxilium inuocatum est. Quamobrem Gregorius precibus eorum obsequutus viij. Kal. Augusti ad Episcopos Apuliæ, & Calabriæ sic scripsit: *Non ignorare vos arbitramur, Michaelem Constantinopolitanum Imperatorem Imperio fuisse depulsum, eumq; ad auxilium beati Petri, & Roberti Ducis filij nostri implorandum in Italiam aduenisse. Quæ caussa facit, vt eum quoquomodo possumus, nobis subleuandum putemus. Quare quod ipsi valiturum plurimum putant, milites ad eius opem bona contendere fide præcipimus. vos autem*

eos,

Sal. An. 1080. *eos, qui cum ipso Imperatore, & Duce traijcient, monete, vt dignam ante pœnitentiam agant, & ritè expiatos à peccatis suis absoluite.* Interim Henrico absente vrbem, Ecclesiamq; Rauennatem sibi ope Principum Italicorum recuperandam censuit, eorumque auxilio impetrato, xiij. Kalend. Octobris ad omnes Episcopos Romanæ Ecclesiæ fideles in hunc modum scripsit: *Volo, vt sciatis, nos cum Duce Roberto, & Principe Iordane loquutos, eosque nobis promisisse, se summo studio, prout iureiurando tenentur, aduersus omnes homines honorem Romanæ Ecclesiæ defensuros. Idem quoque pollicentur, qui circa vrbem sunt, & in Tuscia, ceterisq; regionibus. Quare post Kal. Septembris, vbi æstus remiserit, partes illas armata manu petemus, atque Dei auxilio eas liberare conabimur. Quamobrem bono vos animo esse iubemus.* Redacta inde in potestatem Rauenna, de nouo Archiepiscopo, qui fidelis Ecclesiæ Romanæ esset, cogitare instituit. Quamobrem litteras ad Episcopos, & Abbates Marchiæ Tuscanæ, Firmanæ, & Exarchatus Rauennatis misit, eodemque exemplo ad Clericos, & populum Rauennatem scripsit, rogans, vt secum virum idoneum conquirerent, qui Ecclesiæ Rauennati à Giberto afflictæ præficeretur, cumq; ipse Rex quendam legisset, atq; Rauennam misisset, iij. Idus Decembris ad Abbates, Comites, & milites in Parochia Rauennate, Pentapoli, Marchia Firmana, & Ducatù Spoletano agentes, sic scripsit: *Rogo vos, vt R. Rauennatem Archiepiscopum, quem post diuturnas inuasorum occupationes nuperrimè Rauennas Ecclesia à Romana accepit, complecti, & defendere contra Gibertum velitis.*

NOVA SYNODVS LATERANENSIS. Sal. Ann. 1081.

CCXXV Anno ineunte 1081. *Gregorius* conuentu iterum in Laterano coacto, præter cætera *Henricum*, & fautores eius, qui in pertinacia permanebant, nouo anathemate ferijt; & Episcopos quosdam, quia ad conuentum vocati non venerant, officio abdicauit. Inde de rebus, quæ ab *Henrico* pararentur, ab Episcopo Patauiensi edoctus, respondit: *Non desunt, qui audita morte Rudolphi regis me hortentur, vt Henricum, cui plerique Italicorum fauent, omnia se mea caussa facturum pollicentem, in gratiam recipiam, adijcientes, si Henricus in Italiam contra Ecclesiam venerit, fore, vt frustra auxilium à vobis expectetur. & si vos Mathildi filiæ nostræ opem non feretis, euenturum, vt ipsa, quæ vulgò insanire existimatur, aut pacem necessariò accipiat, aut omnia sua amittat. Quare vestræ erunt partes, vt eam de vestro, si Henricus Lombardiam intrarit, auxilio certiorem faciatis, præterea admonendi sunt omnes, ne in Rege in Rodulphi locum sufficiendo properanter, sed maturè se gerant, ac longa consultatione virum tanto fastigio dignum, atque Ecclesiæ Romanæ fidelem exquirant.* Per eosdem etiam dies scripsit ad Desiderium Abbatem Cassinatem in hunc modum: *Non veremur, quin scias, quantum commodi Ecclesia Romana ex pace cum Roberto Duce facta perceperit. Quare volumus, vt animum eius explores, si necessaria nobis post Pascha expeditio, fuerit num per se, aut per filium suum nobis se præsidio futurum polliceatur, itemque num per Quadragesimam, qua Normani bellica intermittere studia solent, ipse nobiscum, aut cum Legato nostro ad aliquot oppida S. Petri recuperanda proditurus sit. Volumus etiam, vt eum admoneas, ne contra pacta permittat nepotem suum Robertum de Loretello oppida S. Petri bellico apparatu tentare. De rebus transalpinis nihil certi habemus. Henricum tamen malè rem gerere, pene omnium, qui illinc veniunt, sermonibus nunciatur.* Cæterùm Henricus iureiurando à Clemente solutus, omnes ad Gregorium curas intenderat, scilicet cupiens, eo pulso, Clementem Pontificem consecrare, atque illius manu diadema Imperatorium sumere. Itaque delectibus, vt potuit, habitis, primo vere ex Germania mouit, atque in Italiam transgressus recto itinere Rauennam accessit, eamque primo aduentu recepit. Qua re cognita, Gregorius ad Desiderium ita scripsit: *Volumus, te scire, Henricum, qui dicitur Rex, in suburbanis Rauennæ versari, eo animo, vt ad Pentecosten ad vrbem accedat. Habet ex transalpinis, & Lombardis manum exiguam, verùm sunt, qui dicant, eum ex Rauennatibus, & Marchianis supplementum esse scripturum, quod parum credibile videtur, cum ne socium quidem*

Sal. An. 1081. CCXXVI dem ab ijs: per quos transit, accipere possit. Nosti nimirum charissime frater, nisi nos studium iustitiæ, & honoris S. Romanæ Ecclesiæ teneret, & si prauæ Regis, suorumq; voluntati seruire voluissemus, neminem prædecessorum nostrorum ab antecessoribus regibus & Archiepiscopis, tam amplum, & deuotum obsequium sicut nos, ab hoc Rege, atque Archiepiscopo obtinere potuisse, verum quia illius minas, & obsequia pro nihilo ducimus, alacrius mortem, si necesse erit, oppetemus, quàm vt eorum impietatibus assentiamus, aut à iustitia desciscamus. Comitissa Mathildis ad me scripsit, se comperisse, Henricum cum Roberto Duce pepigisse, vt filius Regis filiam Ducis sibi despondeat, & Rex Duci Marchiam tribuat. Quod Romani facilè credent, si Robertum auxilium nobis suum, quod fidelitatis iureiurando promisit, viderint denegare, cuius rei veritatem explores, velim. Romani fidem nobis, atque officium egregiè præstant, tu da operam, vt ad nos quamprimum accedas. Per eosdem dies Robertus mare transgressus ad Dyrrachium cum Alexio Comneno, Imperatore nouo, bene pugnauit, atque eum in fugam egit, &, irruptione in Thessaliam facta, oppida quædam cæpit. Qua de re litteras ad Gregorium, & Romanos propere misit, quibus Gregorius sic respondit: *Rectè, atque ordine fecisti, quòd gesti belli victoriam nobis, & Romanis significasti. Est igitur, quòd gratias agas S. Petro, cuius auxilio rem tam prosperè gesseris. Fac præterea, vt tibi in memoriam Ecclesiam redigas, quæ omnem suam spem in te præcipuè posuit, teque ipsum præcipuè diligit, simulque animo promissa repetas, quibus te illis iuratus obstrinxeris, neque enim te latere oportet, quanta per Henricum perturbatione vexetur, & quantum præsenti tuo auxilio egeat. Quamobrem te, vt ei quàmprimùm subuenias, te hortamur.* Henricus præter ceteros, Patauinos sui maximè studiosos nactus, Milonis Episcopi propinqui sui, & Reginæ Bertæ rogatu libertate, & *Carrocij* vsu eos donauit. CCXXVII Quos eosdem Cremonenses quoque sequuti eodem, vt puto, beneficio affecti suum & ipsi *Bertam*, ac *Bertacciolam* vocarunt. Rauenna inde Romam versus profectus, per Etruriam iter suscepit, ac Florentiam, quæ Imperium detrectabat, per Aprilem mensem insigni obsidione oppugnauit. Eius aduentu cognito, Gregorius animum non demisit, sed Romanorum, atque Mathildis præsidijs nixus, vrbem sibi ex Episcoporum sententia defendendam suscepit. Henricus cum Clemente pridie Pentecostes Romam accessit, & castris Neronianis in pratis de more locatis, vrbem Leoninam obsidere instituit, verùm sagittis, lapidibusque à Romanis repulsus nihil profecit. Itaque ad suburbana loca succendenda conuersus, æde Sancti Pauli violata, cum ne ita quidem conatus deditionis eliciendæ succederet, re infecta Rauennam in hiberna se rettulit, hucvsque *Sigonius*.

ROMAM EXPVGNAT HENRICVS. *Sal. Ann.* 1082.

CCXXVIII Rauennæ anno peracto, renouatis *Henricus* viribus, per Spoletinos ad Vrbem duxit, & Leonina per totam Quadragesimam obsessa; ea post Pascha potitur: temploque Augustissimo S. Petri direpto, porticus duas labefactauit. Inde veteris vrbis oppugnationem aggressus, multa per æstatem Romanis incommoda intulit. Demùm sæuientium ęstuum magnitudine conflictatus, ac Romanorum constantia exterritus, ab oppugnatione recessit, exercitu per vicina loca diuiso, ac *Clemēte* rei bellicę vniuersę prefecto: cuius inclementia nec ędificijs (quibus se abstinuerat *Henricus*) pepercit.

HERIMANNVS IMPERATOR ELIGITVR. *Sal. Ann.* 1082.

CCXXIX. Eodem tempore Principes Teutonici, & Archiepisc. Episcopi, conuentu (*ita Bertoldus*) facto *Hermannum* nobilem virum, sibi in Regem elegerunt: qui protinus aciem in fautores *Henrici* dirigens, eius electionem impedire satagentes fugauit. Electus est ante festum S. Laurentij, & sequenti die, de inimicis triūphauit, in cōfinio Boiariæ in loco qui dicitur *Hostette*, postea in Saxoniā consecrandus discessit: vbi in festo S. Stephani ab Episcopis coronam accepit, dederuntq; illi arcem ad oppidum Isleue: Et quia ibi allium abundat, Imperatorij illum per contumeliam appellauere *Regem alliorum*. Romam CCXXX. inte-

Sal. An. 1083. interim cum *Clemens* obsideret in cassum, ignem in domum S. Petri immittere tentauit, vt portas irrumperet, si Romani derelictis propugnaculis, ad incendium restinguendum concurrerent. *Gregorius* verò huic obuiauit versutiæ: Nam primum viso incendio, omnes milites Romanos ad propugnacula defendenda transmisit, ipseque solus fiducia S. Petri fretus, facto signo Crucis contra incendium, ignem progredi vlterius non permisit. *Hermannus* autem de calamitate Sedis dolens Apostolicæ, vt eam à manibus liberaret *Henrici*, expeditionem paraturus Italicam, in Sueuiam venit: sed mors *Ottonis* omnia distulit.

ROMAM OPPVGNAT HENRICVS. Sal. An. 1083.

Ccxxxi. ANno ineunte 1083. cum apud Farfam *Henricus* esset, per litteras *Desiderium* Abbatem Cassinensem, ad se vocauit. Eo non respondente, alteras subiecit minarum spirantes. Cunctante *Desiderio*, tertias scripsit, quibus ad celebrandum Pascha secum inuitabat. Fluctuabat *Desiderius*, anathema metuens, si proficisceretur; vincula, incendia, mortem, si maneret, & monasterium quod in tutela eius esset, *Iordani* Principi, qui ad eum transiuerat, condonaret. Proficiscitur itaque prius tamen certiore facto *Gregorio*, & Monasterium ex manu sua iubetur suscipere, eique fidelitatem iurare. Rogatus ab *Henrico*, vt ad coronam impetrandam sibi adesset, promptè promisit. Variæ inde de Pontificis auctoritate, cum Episcopis eius contentiones susceptæ. *Henricus Iordani* præsenti Capuanum Principatum confirmauit, & Paschate acto, inde ad exercitum se recepit, ac nouo, eoque multo; quàm ante, grauiore vrbem conatu oppugnare instituit. Quo territus *Gregorius*, Laterano relicto, ac *Rustico* nepote ad septem folia dimisso, ipse cum Cardinalibus in arcem ascendit, ac *Robertum* qui *Alexio* Imperatori bellum in Græcia faciebat, ad sui auxilium aduocauit. Hoc nuncio accepto *Robertus*, *Boemundo* filio in expeditione relicto, extemplo se cum parte exercitus retulit in Italiam. Cumque vrbs acri diligentia obsideretur, iij. Nonas Iunias expugnatur ob Romanorum desidiam. Cum enim miles quidam muros supergressus, omnia, Romanorum negligentia, custodijs vacua animaduerteret, ne seipsum clamore proderet, manu contubernales acciuit, & mœnibus captis, cuncto exercitui iter patefecit in vrbem. Ingressus *Henricus* Capitolium occupauit, ibique se præsidio firmauit. Inde *Rustico* ad deditionem compulso, ad Pontificem oppugnandum se contulit. Sed oborta in exercitu pestilentia, relictis ad obsidionem militibus, cœli quærens salubritatem, ineunte Iulio, ad colles secessit. xij. inde (ait *Sigonius*) Kal. Decembr. *Gregorius* Archiepiscopis, Abbatibusque Campanis, Appulis, & Francis nonnullis aduenientibus (nam plurimi ab *Henrico* prohibiti, accedere nequiuerunt, & Episcopus Ostiensis ex legatione rediens captus fuerat) ad eos de Repub. retulit, atque ex eorum sententia *Clementem*, & *Henricum* cum omnibus eorum socijs nouis execrationum laqueis irretiuit, atq; post tertiũ diem deplorato Ecclesiæ statu conuentum dimisit. Noua *Gregorij* indignatio vndè venerit? *Leo Ostiensis* in Nortmannorum fœdus refundit: quorum dominium ob insolentiam odiosum factum, populi excutere cogitabant. Quo Nortmanni explorato, consilium inierunt de fœdere paciscendo cum Rege *Henrico*, ne si ille Roma potiretur, coniunctis illi Regnicolis, sedibus suis pellerentur Nortmanni. Quod vbi inter eos firmatum est, Legatis ad Imperatorem missis, & reuersis, *Desiderium* tandem aduocant patrem, orant, vt secum ad Imperatorem pergat, non tam ob eorum securitatem, quàm vt pacem inter Imperatorem, & Pontificem tractarent. Hoc vbi *Gregorio* nunciatum est, Imperatorem cum fautoribus suis, ab Ecclesiæ communione separauit. Nortmanni his cognitis, cum antea Pontificem sincerè ac fideliter dilexissent & corpore, & animo tunc alienati sunt. *Leo Ostiensis. lib. 3. c. 49.*

Iterum excomm. Hēricus

Ccxxxii.

Interim Romani pretio conducti, vel minis coacti, omnes triẽnali obsidione fatigati, *Henrico* iurauerant, vt *Gregorius* Papa eum coronaret, vel *Gregorio* deposito, alium Papam subrogarent. Quod iuramentum licet in præterita æstate factum, omnes tamen intimos Papæ (ait *Bertoldus*) vsque ad terminum penè latuit. *Adueniente ergo*

Sal. An. 1083. *termino, Romani Papæ de vi iuramento manifestarunt, dicentes: se hoc iurasse, non vt Papa solemniter regali vnctione coronaret, sed tantum simpliciter, vt ei coronam daret. Annuit ergo Papa votis eorum, vt eos à iuramento absolueret, videlicet Henrico, si vellet cum Iustitia: sin autem cum maledictione, coronam daret. Vnde Romani mandauerunt, vt veniret ad accipiendam coronam cum iustitia, si vellet: sin autem, de Castello S. Angeli per virgam sibi demissam à Papa reciperet. Sed Henrico vtrumque recusante, alium Legatum illi direxere, qui eos bello defenderet, si opus esset. Sed bene attendisse quid iurauerint, nec se amplius eo iuramento detineri obnoxios. Igitur Domino Papæ multo firmius, quàm pridem, consilio, auxilio adhæsere. Henricus autem multo instantius pro eis sua parte applicandis, nunc minando, nunc promittendo, laborauit: multumque tempus circa Romam moratus, huic negotio inuigilauit.*

LADISLAI CORONATIO. Sal. Ann. 1083.

CCXXXIII HÆc in Italia, in Germania verò, Salomone (subiungit *Bertoldus*) Rege Vngarorum deposito & carceri tradito, ipse *Ladislaus* regnum occupauit. Rem fusiùs enarrat *Bonfinius lib. 4. Decad. 2.* Victo *Salomone*, ab Angelo coronatus *Geysa*, quum pœnitentia ductus viuenti Regi arripuisse regnum, de restitutione cogitaret; & morte præuentus (nè fortè cœlos aut erroris, aut iniustitiæ argueret, à quibus regnum acceperat) perficere non potuisset: *Ladislaus Geysæ* germanus, inuitus ad solium eripitur. Malens tamen fraternæ charitatis, quàm priuati comodi habere rationem, *Salomonem*



iam à regni liminibus exulem, asciuit in consortem, si non oneris, saltem honoris. Stipendia namque ei destinauit, dummodò regnum non adiret: eo tamen animo, si fratrem sensisset mutatum, regio muneri se vltro cessurum. Obstitere porro regni proceres; calamitosum autumantes *Salomonis* reditum: Reconciliatus *Salomon*, non diu quieuit, sed concordiæ prætextu vindictam quærens, *Ladislaum* euocat ad colloquium vt eum valida armatorum phalange circumueniat. Certior fit *Ladislaus*, vnde pari ludens

Sal. An. 1084. ludens arte, munitioni fretus descendit præsidio, & in fraude deprehensum *Salomonem* capit, carceri tradit: Exinde diuino iubente liberatus Oraculo, nouos suscitat infelix tumultus. Inter Christianos nesciens quò confugeret, ad Barbaros se cōtulit *Chu-*
Ccxxxiv. *tescum* Chunnorum Principem, ac Transyluani dominatus auidissimū. Huius exorat auxilium, Transyluaniā exhibet, eius filiam in vxorem ducturus promittit. Barbarus inani spe tractus, in Vngariam erumpit coacta ingenti multitudine. Accurrit *Ladislaus*, & Chūnos toties cecidit, quoties hostes habuit: vno interdum è millibus cladis nuncio relicto. Postquam *Salomon* desperatam vndiq; salutem vidit, diuiniore compulsus impulsu, à suis se eripuit, & in proximam syluam se recondidit, vbi saccum pro sago, & pro trabea cilicium indutus, cumulatissimas ferociæ suæ in eremo pœnas exoluit.

HENRICVS ITERVM EXCOMMVNICATVR. *Sal. Ann.* 1084.

Annus sequitur 1084. quo plurimi dicunt ab *Henrico* Romam expugnatam,
Ccxxxv non anno priori; nec ferro sed auro vicisse. Byzantinus (inquiunt) Imperator grandem pecuniam *Henrico* transmiserat, vt *Robertum Guiscardum* Calabriæ, & Apuliæ Ducem, bello appetendo in Italiam reuocaret. *Henricus* verò acceptam pecuniam non militibus in *Robertum*, quod iuramento promiserat, sed in *Gregorium* vt Romanorum vulgus sibi conciliaret, erogauit. Quorum auxilio, Lateranense Palatium feria v. ante Palmas cum Rauennate Antipapa intrauit. Nobiles autem Romani Sacramentum
Coronatur ab Antipapa. *Gregorio* renouando, obsides numero quadraginta dederunt. Papa in Castellum Sancti Angeli se recepit: omnesque Tiberinos
Ccxxxvi. pontes, & firmiores Romanorum munitiones retinuit. Dum in Paschatis die *Henricus* à pseudopontifice coronam recepit *non gloriæ sed confusionis*, ait *Bertoldus*. Coronatus *Henricus* Episcopum Virdunensem triumphi sui sequenti fecit certiorē epistola.

Rex Henricus Dei Gratia Romanorum Imperator semper Augustus Theodorico Virdunensi Episcopo dilectionem nulli maiorem. In primis te scire volumus, quia nulli melius, quam tibi, confidimus, nec Episcopum Traiectensem fidei monitorem, sed ad honorem Regni tractandum tibi misisse cooperatorem. Deinde ad singula, quæ mandasti, negotia, singula damus responsi, sed breuissima, quia infinita tibi reseruamus ore ad os dicenda.

Sed quidem hoc, quod in margine Epistolæ tuæ de Romano negotio nobis mandasti, in primis tibi dicimus: Romam in die S. Benedicti intrauimus. Qualiter à Romanis recepti sumus, qualiter cum Romanis steterimus, qualiter à Romanis recesserimus, ab alijs multis te audisse credimus, Tum etiam literis nostris tibi indicamus, quas te nondum vidisse putamus: sed etiam mallemus alio quam nostro ore te rescisse, quæ nobis Dominus fecit. Incredibile enim videtur, quod verissimum probatur, quod factum est in Roma, vt ita dicam, cum decem hominibus, in nobis operatus est Dominus, quod antecessores nostri si fecissent cum decem milibus, miraculum omnibus esset. Nam cum in Theutonicas partes de acquirenda Roma iam desperantes redire vellemus, ecce Romani missis Legatis, vt Romam intraremus, rogauerunt, seque in omnibus nobis obedituros promiserunt, quod & fecerunt. Summo namq; gaudio nos intrantes receperunt, summo studio secum manentes adiuuerunt, summo triumpho & fide ab eis recedentes prosecuti sunt, in tantum vt in Domino fiducialiter dicamus, quia tota Roma in manu nostra est, excepto illo castello, in quo inclusus est Hildebrant, scilicet in domo Crescentij.

Quem Hildebrandum legali omnium Cardinalium ac totius populi Romani iudicio scias abiectum, & elatum Papam nostrum Clementem, in Sede Apostolica sublimatum, omnium Romanorum acclamatione, nosque à Papa Clemente ordinatum, & consensu omnium Romanorum consecratum in die sancto Paschæ Imperatorem, totius populi exultatione.

His itaque factis benedictione Dei & S. Petri omnium gaudio à Roma recessimus, & quantocius possumus ad has partes properamus: & in via reditus inuenit nos tuus nuncius. Gaudeant, qui velint; doleant, qui velint: nos, Deo propitio, assumus.

Dominus ille quid agat, scire non curamus sed quod tu monuisti, libenter, ne nobis damnū faciat, prouidebimus. De Saxonibus verò, de Salzburgense Archiepiscopo, de Comite Adel-

Sal. An. 1084.

berto, & de alijs ad nos redire volentibus, id tibi respondemus, quia consilijs tuis libenter acquiescimus, vt tantummodo pax vera fiat in nostris temporibus, videlicet vt fideles sint, cum ad nos redierint.

Tu autem, si non grauaris facere, quod volumus, Augustam ad nos venire post festum Apostolorum Petri & Pauli rogamus, quia Deo volente in festiuitate eorum Ratisponæ erimus. Studeas ergo ad nos venire, vt tuo aduentu possis lætificare.

Insuper mandat tibi Apostolicus Clemens & Imperator Henricus, vt sicut nos diligas, ita Archiepiscopum Treuerensem consecrare properes. Vale.

Insidiæ in Henr.

Accidit autem, dum *Henricus* vnà cum suis contineret se in Auentino, ibiq; positus frequentare soleret Ecclesiam S. Mariæ, in qua oraret: quidam ignotus homo ei strueret insidias, saxum nempe prægrande parando, quod super caput Imperatoris deorsum mitteret, sed Deus restitit, & extitit tanti facinoris vltor, nam cum saxum ille pararet, vnà cum saxo deorsum cadens occubuit; eũq; populus in gratiã Cesaris per deuia tractũ in frusta discerpsit. *Gregorius* autem non habens vnde triumphantes *Henrici* copias repelleret militares, ad *Robertum* se conuertit, Normannicæ rei summã in eo monens adductam discrimine, vt si *Henrico* posteriora prospera cederent, actum foret de Nortmannis.

Ccxxxvii *Papa ad Normã. nos confugit.*

Hisce persuasus *Robertus* in Italiam descendit, & nouo collecto milites, Romam accurrit. *Henricus* vbi *Robertum* cum exercitu Ceperanum accessisse sibique ni obsidionem solueret, exitium intentare cognouit, collecto exercitu, cum *Clemente* vrbe excessit, & circa Kal. Febr. in Etruriam properauit. Ita vt eodem die Senas, quo *Robertus* ad Portam Latinam, accesserit. Resistentibus Romanis, Robertus vrbem oppugnare parans ab amicis *Gregorij* porta Flaminia est introductus. Ingressus, cum non reciperetur, regiones vrbis proximas illato ædificijs ad terrorem incendio, deuastauit, ac multis prælijs cum Romanis editis, victor Capitolium ascendit. Inde compulsis ad deditionem Romanis, ad arcem progressus munitionum repagula, quæ exitus intercludendi causa ab *Henrico* fuerant obiecta, refregit, ac *Gregorium* arce eductum incolumem Laterano restituit. Ibi *Gregorius*, vt tot Reipublicæ vulneribus medicinam opportunam afferret, conuentum in Quadragesimam indixit. Verum vt neq; duos superiores, propter infrequentiam Episcoporum habere potuit, quia accedere ab *Henrico* prohiberentur, insessis itineribus. *Robertus* inde vrbe sibi cedendum arbitratus, saluti *Gregorij* timens, quod *Henricum* non longe cum exercitu consedisset, Romanorum animos prorsùs à *Gregorio* alienatos esse videret, ipsum ex vrbe eduxit, & Cassinum ad *Desiderium* primùm, deinde Cassino Salernum perduxit. Eo profecto, Romani collectis ex magno pauore animis, *Henricum* Senis reuocarunt, atque vltro cum *Clemente* aduenienti portas vrbis aperuerũt.

Ccxxxviii *Henr. Senas se recipit.*

xj. Kal. Aprilis Vrbem porta Lateranensi ingenti cum gloria biduò ante diem Palmarũ ingressus, in Lateranum diuertit. Postridie concione aduocata, crimina ad se de *Gregorio* delata, & aduentus sui rationem exposuit, ac triginta è factione sua Episcopis ad Concilium adhibitis; *Gregorio* rursus absente damnato, *Clementem* ex eorum auctoritate suffecit, ac postridie in die Palmarum per Mutinensem, Bononiensem, & Cremonensem Episcopos consecrauit. Octauo inde die, qui & Resurrectionis, se Imperatorem iussit ab eo vngi, & cum *Berta* vxore sua de more coronari (*vt supra diximus*) Hisce præfectis, iræ honorique suo satis consultum credens, cum præsidio in vrbe *Clemente* relicto, grauioribus in Germaniam euocatus tumultibus secessit.

Gregor. damnat.

Consecratur Antipapa.

Ccxxxix. *Cum Venetis fedus init.*

In Marchiam cum venisset, Taruisij fędus cum *Vitali Faletro*, Duce Venetorum renouauit, filiam eius ex Sacro fonte suscepit: corpus S. Marci clarum miraculis inuisit, Venetias lustrauit Reipub. regimen laudauit, priuilegia multa monasterijs indulsit. *Sigonius*.

Ccxxxx

Inde Veronam accessit, vbi xv. Kal. Iulij, anno, vt ipse notat, primo Imperij sui, Monachis S. Zenonis rescriptum dedit. Traiectis posteà Alpibus, Augustam ab Alemannis occupatam redemit. Romæ interea pestilentia omne Germanorum absumpsit præsidium. Quod vbi Romani cognouerunt, libertatis amore, *Clementem* vrbe deiecerunt, & ad Marsos recedere compulerunt. Pestilentiam grauis sequuta est annona, vt præ victus inopia matres in filios sęuirent. Obijt Patriarcha Aquileiensis *Fridericus*, & *Vdal-*

Pestilentia in exercitu.

Sal. An. 1085. *Vdalricus* ſubrogatur. *Theobaldo* Mediolanenſ. Archiepiſcop. morienti *Anſelmum* ſuffecit *Henricus*, *Gregorius* improbauit.

SAXONVM CONVENTVS IN HENRICVM. Sal. Anno 1085.

CCXLI. OTtone Epiſcopo Oſtienſi Cardinali Legato ad Theutonicos à *Gregorio vij.* ſolicitante, & anathema in *Guibertum* pseudo Pontificem, & *Henricum* reſonante, Conuentus habetur xv. die poſt Epiphaniam in Saxonia, ait *Bertoldus*; ſeu vt vult *Vſpergenſis* in Thuringia, loco qui dicitur *Bercach*. Indicitur porrò ab inimicis *Henrici*, aut probarent ſe iure *Henricum*, quia excommunicatum vitare à Pontifice *Gregorio* in Synodo Romana. Aduerſarij autem opponebant non potuiſſe à *Gregorio* damnari, *eo quod expoliatus non potuerit vocari, iudicari, ſiue damnari. Ad hæc Saxones reſponderunt: ſe iudicium Sedis Apoſtolicæ, nec debere retractare, nec poſſe: hoc cum illo potius tractandum, qui illum damnauerit, non cum Saxonibus, quod damnationi eius non interfuerint, qui ſedis Apoſtolicæ iudicio nullã retractationem ſed obedientiam debuerint, Ita ergo ſoluto colloquio diſceſſum* pag. 239. *eſt.* Vſpergẽſis verò paulo diuerſam rem geſtam narrat. *Eodem anno cõdito tã ab inimicis quã amicis Imperatoris colloquio, in Thuringia, loco qui* Bercach *dicitur, conueniebant, ex vtraq; parte, quicunq; ſapientiſſimi de optimatibus iudicabantur, canonum auctoritate probaturi, cui parti iuſticia faueret, Imperatore tamen abſente, ſic enim ipſe conſenſit. Electis igitur ſatis literatis & eloquentibus viris, hinc Vvecilone Mogontino, illinc Geberhardo Saltzburgenſi Archiepiſcopis, diſputatio cœpta eſt. Affirmat Geberhardus proponente hoc prius Vvecilone, Imperatorem non iniuſto iudicio, tam regno, quàm communione Apoſtolici ſententia priuatum, econtra Vuecil dominum ſuum præiudicium non minus à Papa, quàm à principibus paſſum contendit, dum ipſo apud Canuſium in ſatisfactione poſito, immo iam à Papa in communionem recepto, alterum ſuper ſe regem eleuarent. Adiecit etiam idem Mogontinus, quòd Imperator diu iam à Saxonia depulſus, & regnandi copia etiam ab illa diſſenſione, quæ ante Rudolphum facta præſcribitur, ſpoliatus: nec vocari, nec iudicari, nec damnari canonice debuiſſet. Hoc Gebehardus improbare nitens aſſerit, neminem per hoc diuinis abſolutum legibus, ſi forte ſua qualibet re familiari fuerit ſpoliatus, quanto minus Rex qui Saxonia, quæ non ſuum duntaxat prædium, ſed domini ſit regnum, qui Daniele, vel ipſo Rege Nabuchodonoſor teſte cuicumque voluerit, dat illud: cum etiam ante amiſſam Saxoniam prius ab Alexandro, dehinc à Hiltebrando vocatus, ſatisfacere contempſiſſet. Sic itaque vtrinque parte ſua fauente, atque acclamante diſceſſum eſt. Notum tamen eſt, quod eandem ſententiam aduerſarij Imperatoris tanto inſequebatur zelo, vt habito poſtmodum in Quintilingoburg concilio, vbi Otto Epiſcopus Oſtienſis interfuit, legatus Hiltebrandi Papæ, ipſam nimium vẽtilantes, hæreſim Vvecilonis, ipsũq; hæreſiarchã appellarent, contra fidẽ ſcilicet illũ dogmatizaſſe culpãtes, quòd quamdiu qui ſuis ſpoliatus ſit rebus, diuinis non ſubiaceat legibus.*

Fuit autem *Vvecel* iſte Clericus Haluerſtatenſis Epiſcopi, quem vt fautorem ſuum *Henricus* Moguntino Archiepiſcopatu donauit. Quid in Comitijs Quedelinburgenſibus captum fuerit, *Goldaſtus* exhibet.

DECRETA COMITIORVM QVEDELINBVRGENSIVM. Ann. 1085.

CCXLII. *HErmannus Rex in Quintilineburg Paſcha celebrauit, vbi & Legatus Domini Apoſtolici in ipſa Paſchali hebdomada, generalem ſynodum cum Archiepiſcopis, & Epiſcopis & Abbatibus, S. Petri fidelibus, ſolemniter celebrauit. Interfuit autem huic Synodo, Gebehardus reuerendiſſimus Iuuanienſis Archiepiſcopus, item venerabilis Hartuuigus Magdeburgenſis Archiepiſcopus, cum ſuis ſuffraganeis, item ſuffraganei Moguntiæ Sedis de Saxonia. Nam Vrceburgenſis & Vvormatienſis, Auguſtenſis quoque & Conſtantienſis de Alemannia, quique ipſi canonica neceſſitate impediti, venire non potuerunt, per legationem ſuam ſe S. Concilio repræſentauerunt; ſeque per omnia eiuſdem ſynodi ſtatutis aſſenſuros, mandauerunt. Rex etiam Hermannus cum ſuis Principibus eidem Synodo interfuit.*

Cum ergo omnes iuxta ordinem ſuum conſediſſent, prolata ſunt in medium decreta ſancto-

Sal. An. 1085 *ctorum Patrum, de primatu Sedis Apostolicæ, quòd nulli vnquam liceat eius iudicium retrectare, & de eius iudicio iudicare. Quod de totius synodi publica professione laudatum & confirmatum est: & hoc vtique contra Heinricianos, qui fideles S. Petri constringere voluerunt, vt excommunicationem domini Papæ Gregorij, super Heinricum cum illis retrectare præsumerent.*

Quidam autem Babenbergensis clericus, nomine Gunibertus, Romani Pontificis primatui derogare volens, in mediam synodum se contulit, asserens, Romanos Pontifices hunc sibi primatum asscripsisse, non aliunde conceßum hæreditasse, videlicet, vt nullus de eorum iudicio iudicare debeat, nec illi alicuius iudicio subiaceant. Qui cum apertè à tota synodo confutaretur, præcipue tamen à quodam laico conuictus est, per illud Euangelicum: Non est discipulum supra magistrum. *Cum enim hoc generaliter in omnibus ecclesiasticis ordinibus obseruandum deputetur, ne maior à minore iudicetur; quis hoc Vicario S. Petri denegare potuit, quem omnes Catholici pro domino & magistro venerantur?*

In eadem Synodo ordinatio VVecilonis, Mogontini inuasoris & Sigefridi Augustensis & Norberti Curiensis, imò omnes ordinationes & consecrationes excommunicatorum, penitus irritæ iudicatæ sunt, iuxta Decretum Sanctorum Patrum Innocentij, Leonis primi, Pelagij, atque eius successoris Gregorij primi.

Item secta prædicti Vvecilonis eiusque sociorum, sub anathemate damnata est, quæ aßerit, seculares suis rebus expoliatos Ecclesiastico non subiacere iudicio, nec excommunicari posse, pro suis excessibus: quæque excommunicatos absque reconciliatione recipi posse, contendit.

Statutum autem est ibi, vt quicumque ab Episcopo suo, nec officio nec communione priuato, excommunicatus esset, etsi iniustè; nullatenus tamen reciperetur ad communionem, nisi absolutus Ecclesiastico more. Similiter & pro sacrilegio excommunicatos decreuit sancta synodus non recipiendos, absque solita reconciliatione, & nisi dudum, quæ sacrilegè sibi vendicauerant, reddidißent. In eadem Synodo, Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, perpetua, iuxta Decretum sanctorum Patrum, indicta est continentia.

Item statutum est, ne laici pallas altaris & sacra vasa contingant.

Item, ne laici decimas sibi vindicent in proprietatem, nec etiam in beneficium, nisi concessione legitimorum possessorum.

Item, vt vernum ieiunium in prima hebdomada Quadragesimæ, æstiuum in Pentecoste semper celebretur.

Item, ne quis Caseum & oua comedat in Quadragesima.

Item synodali iudicio confirmata & laudata est ordinatio domini Gebehardi Constantiensis Episcopi, imo omnia quæ præfatus Sedis Apostolicæ legatus, cum esset Constantiæ ordinauit.

Item, ibi mota est quæstio, de consanguinitate Regis & vxoris suæ. Vnde & Rex in media synodo surrexit, seque de hac re iudicium S. Synodi, per omnia obseruaturum professus est. Sancta autem synodus hanc causam in præsenti canonicè examinari non posse iudicauit, eò quod legitimi accusatores nō essēt.

In fine autem synodi sententia anathematis cum ardentibus candelis promulgata est, in Guibertum hæresiarcham, Sedis Apostolicæ peruasorem, & in Apostatam S. Petri, Hugonem Albanensem, Iohannem Portuensem Exepiscopos Petrum Excancellarium: item in Leomarum Bremensem, Vtonem Hildinesheimensem, Ottonem Constantiensem, Bucharдum Basiliensem, Huzmannum Spirensem, Exepiscopos, item in Vvecilonem Moguntinum inuasorem, Sigefridum Augustensem Nortbertum Curiensem, in hos (inquam) & in omnes eorum complices, ineuitabilis sententia anathematis promulgata est. Subscripserunt per se aut per Legatos suos:

Hermannus Rex Romanorum.

Otto Monachus Cluniacēsis, Legatus Gregorij Papæ.

Archiepisc.:
Gebhardus Salisburgensis,
Harduuicus Maydenburgensis,

Episcopi.:
Adalbero Vvirizburgensis,
Altmannus Bathauensis,
Bernardus Mersburgensis,
Guntherus Citicensis,
Benno Mœsianus,
Albertus Vangionus,
Burckhardus Halberstatensis,
Hermannus Mediomatricus,
Reginardus Mindensis,
Vvigoldus Augustanus,
Gebhardus Constantiensis.
Heinricus Bambergensis,

Eckber-

Sal.An. 1085. *Eckbertus Marchio Saxonum Brunouicensiũ.*
Heinricus Crassus, filius Ottonis Ducis Bauariæ.
Conradus Comes à Beuchlingen.

Haud tamen territi Henriciani, generalem & ipsi indixere conuentum Moguntiæ, CCXLIII. cui Rex ipse *Henricus* interfuit, ibi ab omnibus exigens, teste *Sigeberto*, vt *Hildebrandi* depositionem, & *Guiberti* ordinationem subscripto approbarent. Nonnulli manu & ore fauentes, corde tamen *Hildebrando* adhæserunt. Hisce comitijs, quæ in tertia hebdomada post conuentum Quedelinburgensem, habita sunt, præfuere Romani Legati non à *Gregorio* missi, sed à pseudopontifice *Guiberto*. In eo *Hildebrandi* exsibilantur decreta, Episcopi à parte *Hildebrandi* albo eraduntur Pontificum. *Hermannus*, *Echbertus*, *Vvelpho* eadem censura notantur. In eodem Concilio Pragensis ditio sicut ab Imper. *Ottone II. Benedicto VIII.* Pontif. Max. consensu *D. Vvolfangi* Reginoburgensis Episcopi instituta fuerat, certis limitibus describitur, in quibus etiam Cracouia comprehenditur. *Guibertus*, atque *Henricus* diploma dederunt. *Vratislaus* quoque Boiemiæ, CCXLIV. atque Poloniæ Rex constitutus est. Ipsum cum vxore *Suataua*, Pragæ xvij. Kal. Iulij, *Angelbertus* archimysta Treuerorum, iussu Cæsaris inaugurauit, populo, Senatuque acclamante, *Vratislao* pacifico Boiemiæ, atque Poloniæ Regi, à Deo coronato vita, laus & victoria. *Auentinus pag.* 465. Inter hæc Imperator Episcopis, quos hostes agnouerat, deturbatis. Bathauiæ *Hermannum* filium *Luitolphi* Ducis Charionum, Iuuauensibus *Bertholdum* Morburgensem Principem, *Megirardum* literis & facundia insignem Vvrzburgio præfecit. Mediomatricibus *Brunonem* filium *Alberti* Iauci imponit, sed mox abdicat. Post hæc cum exercitu in Saxoniam transit; *Hermannus* autem fugam capessit. Cæteri Saxones deditionem faciunt. *Henricus* Hardouicum Hernerldensium præsulem, Magdeburgensibus præfuit. Sed iterum concitati Saxones arma sumunt, finibus suis Augustum cedere compellunt.

Vratislaus Rex Poloniæ creatur.

Fugit Herman.

GREGORII VII. MORS. *Ann.* 1085.

CCXLV. Mense interim Maio *Gregorius* post diuturnas contentiones quas passus fuerat, graui implicitus morbo, Salerni moritur. Quidam eum omnia acta sua rescidisse, mandasseque vt sui in Imperatoris gratiam redirent, literis produnt. Alij contra referunt, adiurasse socios, ne quemquam præter *Sergium* Monachum Cassinensem, *Ottonemue* Cluniacensem Monachum, Episcopum Ostiensem sibi substituerent. Alij, & verius, dicunt, triduò antequam moreretur rogatus ab Episcopis, & Cardinalibus, qui tunc fortè cum *Desiderio* aderant, quid de successore suo sentiret, expromere? *Legite*, inquit, *Desiderium: etsi ille recuset. Hugonem Lugdunensem, aut Othonem Ostiensem Episcopos*, sic viij. Kalend. Iunias expirauit. Eo sepulto, Episcopi Cardinales qui partes sequebantur Ecclesiæ conuocati, in vnum omnes *Desiderium* conuenere. Quorum ille repudiato iudicio in monasterium CCXLVI. suum aufugit, nec toto illo anno persuaderi potuit Romam remeare. Moritur hoc anno in Græcia *Robertus Viscardus*, Apuliæ, Calabriæ Dux *Rogerius* filius eius succedit.

ELECTIO DESIDERII IN PONTIF. MAX. *Sal. Ann.* 1086.

Romæ conuenientes Cardinales, *Desiderio* Cassinensi Abbati renunciarunt, vt Romam accederet; ac secum Cardinales & Episcopos, qui Cassini degebant, vnaq; *Gissulfum* Salernitanum Principem duceret, vt de Ecclesiæ salute consulerent. Venit protinus, & pridie Pentecostes comitijs aduocatis, Clerici, & Laici orabant, vt Romanum susciperet Pontificatum, neque Ecclesiam Dei ab adulterino pateretur detineri Pontifice. Ille vero eadem, quà ante constantia, se omnia passurum potius, quàm onus accipere, respondere. Obsecratus quem idoneum iudicaret, expromere? Ille, re cum *Cincio* Consule Romano communicata, Ostiensem nominauit Episcopum, fide datà in Cassinati Cęnobio contra *Clementis* potentiam custodiendi, quem eligerent. Plerisq; inde in Ostiensem inclinantibus, Cardinalis quidam, ait *permittet Deus ne Desiderium Pontificem habeamus*. Qua voce erecti cæteri *Desiderium* vno consensu prehen-

Sal. An. 1086. henderunt, & in æde S.Luciæ nomine *Victoris III.* chlamyde affectum coccinea exornarunt, albam enim renitenti non potuerunt imponere. Post quatriduum *Victor* Roma egressus Ardeam, & Tarracinam adijt, ibique se Pontificem esse nolle professus crucem, chlamydem, ceteraque Pontificia deposuit ornamenta.

HENRICVS A SAXONIBVS VICTVS. *Sal. Ann.* 1086.

CCXLVII. SAxones cum ab *Henrico* iterum defecissent, & in Herueldenses castra mouissent, ipse *Reginoburgij copias cogens in Saxoniam intento infectoque exercitu contendit: Arueldenses obsidione liberat. Turogorum Saxonumque fines percurrit cunctos imperata facere cogit* (ait Auentinus) *Rursus induciæ fiunt, pacis conditiones ab vtriusque partis amicis dicuntur. Henricus pacata Saxonia in Franciā ob Quadragesimæ solemnem abstinentiam redit. Episcopi odio excæcati, pacem rursus interturbant, copias cogunt, extra fines Turogorum, Saxonum perducunt, domi lacessere armis Imperatorem statuunt, VVartzburgium obsident. Augustus obsessis auxilio venit. Dumque vtrinq; prælio commisso armis dimicant, nonnulla pars equitum, qui lateri Regis hærebant, corrupti pecunia ab hostibus, arma in Cæsarem vertunt, excitatoq; tumultu, conclamant, Cæsarem, qui ictus, munimento armorum incolumis euasit, interfectum esse, reliquus equitatus illos quidem perfidos particulatim concidit: verum cum conclamatum eßet, Cæsarem perijsse, terga vertunt, pedites qui sibi consulere fugà nequibant, maximà clade affecti sunt, quatuor millia desiderata fuisse reperio. Capta est vrbs iij. Idus Augusti:* Adalbero *episcopus restitutus, firmumque præsidium vrbi impositum.* Meginardus *Episcopus aufugit.* Reginerus *Sacrificulus* VVetzilonis *Mogontini Pontificis captus est, quem increpatum acriter, quod deserto* Hildebrando *(cui sub Sigfrido Sacramento rogatus astrictus fuerat) ad Imperatorem defecisset, Hartuicus quondam Magdeburgensis archiflamen circumducit, hostilia cadauera paßim humi strata ostendit. Vide (inquit) penès victores iustitiam esse exitus probat. Imperator autem collectis rursum viribus, VVartzeburgium petit, præsidium, hostesq; continuò in Saxoniam elabuntur. Adalbero à suis desertus obsidetur, vrbs expugnatur. Capitur Adalbero, nec precibus, nec minis neque à principibus, neque Episcopis persuaderi potuit, vt vel ad conspectum Cæsaris, vel colloquium veniret, mori se posse respondit, at vt Henricum videat, cogi non posse. Augustus æquo animo hanc contumeliam tulit. Hostes Reipublicæ proscriptos atque deuotos, non solum impunitos dimisit, verum Adalberonem etiam incolumem VVeinspergium deduxit. Recepta itaque vrbe restituto Meginardo, in Saxoniam castra mouet.*

p. 466.

HERMANVS OCCIDITVR. *Sal. Ann* 1087.

CCXLVIII. SAxoniam populante Henrico *Hermannus* (Auentinus pag. 466.) *nescio quam ob causam à Saxonibus exigitur, abiectoque regio nomine ab Henrico domum redire permittitur.* Vel vt scribit Krantzius Sax. c. 2. *cernens Henricum inualescere, deposito Regis nomine, Henrico reconciliatur, & breui post in obsidione castelli, ictus lapide interijt. Hic est ille Hermānus, quē per cōtumeliā Hērici milites* Alliū *ex memorata causa cognominauerint.*

ECKBERTVS A SAXONIBVS CÆSAR SALVTATVS. *An.* 1087.

CCXLIX. ERat tum in regno Eckbertus Saxoniæ Marchio, cognatus Cæsaris; subditus iste in castra venerat, *in verba Imperatoris iurat, fidem dat, se atque populares suos* (Auentinus ibid.) *imperata, deditionem, mandata facturos, si ille exercitum reducat. Henricus postulatis annuit. Eckbertus ad Saxonas reuertitur, ab Hartuico, Burchardo deuotis Episcopis, spe regni lactatur fidem frangit, noua molitur, rebellionem facit, Imperatori nunciari iubet, se non poße deserere fidem, quam popularibus suis dederit, aut deniquè seruare, quæ pactus fuerit. Sed cum à cæteris Episcopis pax peteretur ab Cæsare, Eckbertoq; regnum denegaretur, atq; ipse ita repulsam pateretur, rursus à Saxonibus ad Augustū defecit. Hartuicus quoq; qui fuerat Magdēburgij Archimystes, veniā delicti impetrauit.*

VI-

Sal. An. 1087. *VICTORIS PONTIF. MAXIM. CONSECRATIO. Sal. Ann. 1087.*

DVm Germania quassaretur discordijs, Cardinales in Italia coegerunt con-
CCL. uentum, cui *Victor* prefuit cum *Cincio* Consule, *Iordane* Principe, & *Rogerio* Roberti filio Apuliæ Duce. Eo peracto repente clerici, & laici omnes nouis illum solicitant precibus, vt dignitatem resumeret Pontificiam. Spreuit biduò, demum Duce, Principe, Cardinalibus Episcopis ad pedes obsecrantibus, cessit, ac xij. Kal. April. in festo Palmarum superiora comitia, cruce, & chlamyde resumpta confirmauit. vij. Idus Maij, Dominica post Ascensionem, ab Ostiense, Tusculano, Portuensi & Albanensi Episcopis consecratus. His actis, vt Sarracenorum qui in Africa erant, insolentiam frangeret, de consilio Cardinalium &
CCLI. Episcoporum, ingentem ex omnibus Italiæ partibus exercitum coegit, ac vexillo B. Petri tradito, & noxis omnibus relaxatis, in Africam misit, ac per eos centum millia hostium cæcidit, & Vrbem eorum maximam cœpit. Victoria eodem die in Italia nunciatur, ac in Africa comparatur. Inde aduersùs *Clementem*, & fautores conuersus conuentum Beneuentum indixit vbi anathema renouauit in Principes seculi, qui Ecclesiasticas auderent distribuere dignitates. Post triduum aduersa valetudine tentatus Cassinum reuertitur, atque *Oderisium* Abbatem sibi subrogauit: sæuiente morbo Episcopos, & Cardinales ad se accitos monuit, vt si quid sibi humanitùs accidisset, ex *Gregorij* præcepto *Othonem*, Episc. Ostiens. sufficerent. Inde XVI. Kalend. Octobr. ex hac vita migrauit.

Victore mortuo, communi cleri ac populi CCLII.
consensu *Otho* Episcopus Ostiensis, Pōtifex renūciatur Romanus, & iv. Idus Mart. Salut. An. 1088. in solio collocatur.

NVPTIÆ HENRICI, & ADHELEIDIS. Ann. 1088.

MOritur hoc anno *Bertha* Augusta, in Hemetum Vrbe sepelitur. Imperator
CCLIII. pacata rursus Saxonia, vxori more Cæsareo magnificè iusta facit. Brumales ferias Moguntiaci concelebrat, in *Vueizilonis* Episcopi demortui locum *Ruthardum* sufficit: Inde Agrippinam petit; *Adheleidem* vxorem ducit, alij dicunt *Praxedem* viduam *Vdonis* Marchionis Brandeburgensis, filiam Regis Russorum, auspice *Hartuico* nuptias regio apparatu facit. Nec mirum Russorum regna ad Theutonas mittere nuptā, *Hērico* nā-
krantz. lib. 5. que imperāte, duo Russi Regis filij de Regno
Sax. c. 12 contendētes, eousq; processere, vt pulsus alter *Henricum* adierit, se regnumque subijciens imperio, si armis illius reduceretur. Sed tanta erant in visceribus Romani imperij bella, vt externis *Henricus* vacare non posset, licet via esset per Polonos fœderatos, si non subditos in Russiam perueniendi. Celebratis nuptijs, *Gdefrido* filio
Auent. 467. *Eustachij* Boloniensis, nepoti ex sorore *Godefridi* Gibbosi, Ducatum Lotharingiæ, Antorphensem Marchiam in tutelam committit. Inde aduersus *Eckbertum* Principem CCLIV
atque ferocem adolescentem rursus rebellantem Saxoniam petit. Quintelburgij sorore atque vxore relicta, Glicham oppidum *Eckberti*, obsidione cingit. *Eckbertus* vt Cęsarem à Glicha abstrahat, mulieribus opem ferre cogat, Quintēlburgium arma transfert. *Hartuicus* superior cum parte copiarum, iussu Imperatoris ad liberandas Augustas proficiscitur. Homo tamen perfidus neutri parti fidus, certiorem *Eckbertum* facit, Imperatorem cum paucis in obsidione relictum, facile intercipi posse. Ipse diuerso itinere, ne *Eckberto* obuiam veniret, Quintelburgium Fugatur
peruēnit. *Eckbertus* interim ix. Kalend. Ian. Henricus
dies Solis erat, repente Imperatorem inuadit, copias eius in fugam vertit, ipsum retrò ferre pedem cogit occiso *Burchardo* Losannæ Episcopo, qui eo die hastam sacram Cæsari prægesserat. Hoc ideo euenisse Imperatori quidam in literas retulere, quod hisce, quos concio Sacra impietatis condemnarat, gratiam absque concilio decreto fecerit.

⊙ *NVPTIÆ CVM VvELPHO. Sal. An. 1088.*

CCLV. EOdem tempore, iunior *Vvelpho* Dux Bauariæ fertur (ait *Krantzius lib. 5. Saxon cap. 13.*) se in peregrini habitu in Italiam contulisse, motus virtute *Mathildis*,

Sal. An. 1088. quam viduam audiens, in eius aspirauit nuptias. Vnde *Mathildis* fuerit? variant historici. *Mathildis ortus.* *Beatricis* fuisse filiam Epistolæ *Gregorij Septimi*, Pontif. Maxim. constanter probant. Pater non tam in comperto est. *Egberti* Marchionis Saxoniæ filiam *Krantzius* fuisse scribit *Saxon. 5. cap. 13.* nouissimi *Egberti* emuli *Henrici IV.* germana; ex *Beatrice*, & *Bonifacio* natam *Mathildem* dicunt, & *Godefredo* nuptam, à quo diuortisse legitur, licet causa lateat diuortij. *Mortuo Bonifacio* (ait Krantzius cap. 13 lib. 5. Saxon.) *Quum Mathildis Azonem Estensem, tertio gradu consanguinitatis priori cohærentem acciperet, quamuis ignorans id iniret coniugium, volente Pontifice ab eo declinauit, & in sanctimonia permansit, donec à Bauaro peteretur.* Probant hoc ex *Ep. 9.* & *Ep. 36.* Gregorij *lib. 2.* in quibus Mathildi exprese mandatur ab *Azone* declinare. Sed *Krantzium* iure *Baronius* improbat, nam in Epistolis Gregorianis de quatuor huiusce nominis fœminis sermo recurrit. De *Mathilde* nostra filia *Beatricis II.* De *Mathilde* Anglorum Regina III. De *Mathilde Azoni* nupta. IIII. De *Mathilde* vidua relicta *Arnulphi* aduocati. *Mathildis* filia *Beatricis* nequit esse ea, quæ *Azoni* nupta fuit; nam hęc fuerat primum copulata *Guidoni Azonis* consanguineo, vt idem *Gregorius* habet in *ep. 35. lib. 2.* *Mathildis* autem *Beatricis* filia, nupta fuit *Godefredo*. Cur verò iam senescens, *Vvelpho* nuberet? non ex incontinentia, quia numquam carnalem cum *Vvelpho* copulam habuit, respondet *Bertoldus*, fuit: sed pro obedientia Romano Pontifici debita, vt

CCLVI CCLVII



tanto virilius S. Romanæ Ecclesiæ contra Schismaticos posset subuenire. Nascitur *V-Velpho*, qui *V.* dictus est ex *Vvelfone IV.* qui sacra in expeditione obijt, & matre *Juditha* Flandrię Principe, filia *Balduini V.* cognomẽ. to *Pij* & *Insulani*, Potentissimi Flandriæ Comitis, & *Adelæ* siue *Adhelaidis* Galliarũ Regis filię. Regiam genesim materna ductam ex linea ne tædeat percurrere; sic etiam diligentissimus Bucelinus recenset.

FLAN-

Sal.An. 1088. *FLANDRIÆ COMITVM FRAGMENTVM GENEALOGICVM*

Balduinus, *cognomento* Ferreus, *siue* Brachio Ferreus, *quod nunquam nisi armatus incederet, postquam Iudithum Caroli Calui Imp. viduam, Edfridi Regis Anglorum filiam, coniugem duxisset. Obiit anno* 879.

Carolus Comes Flandriæ, iuuenis decessit.
Baldouinus II. Caluus, Forrestarius, Comes Flandriæ, obijt 919 Ex. Eiltrudis filia Eilfridi Regis Angliæ.
Eudo Comes Cameracensis, in prælio occubuit.

Arnoldus Magnus, Forestarius, Comes Flandriæ, obijt anno Christ. 964. Vxor Adela, filia Humberti Comitis Veromandiæ.
Adolphus Comes Tertoanæ mortuus anno 937.

Balduinus III. Forestarius, Comes Flandriæ, ob. 967. Vxor Mechtild. filia Herm. D. Saxoniæ.
Arnoldus Iunior Forestarius, Comes, Flandriæ, obijt 988. Vxor Rosula filia Berengarij II Regis Italiæ.

Balduinus IV. Barbatus, Comes Flandriæ, Valencianam expugnauit, obijt 1033. Vxor Ogina, filia Giselberti Lucelburgici,
Arnoldus III. Comes Flandriæ, claruit anno 1300.

Balduinus V. cognomento Pius & Insulanus, Comes Flandriæ, Tutor Philippi I. Regis Galliarum, obijt 1069. Vxor 1. Leonora D. Norm. 2. Adela, filia Roberti Pii Galliarum Regis.
Hiltrudes Com. Flandriæ. Vxor Luitpoldi, Marchionis Saxoniæ.

Robertus cogn. Frisius, Comes Flandr. ob. 1078. Vx. Gertruda filia Bernardi Ducis Saxon.
Balduinus VI. cogn. Montanus, Comes Flandr. & Hannon. Vxor. Richildes Hæres Hannoniæ.
Iuditha, Vxor 1. Tostici Regis Angliæ 2. Guelphonis IV. D. Bauar.
Mechtildes, Vx. Guilielmi Ducis Normanniæ, Regis Angliæ.

Robertus Hierosolymitanus, C. Fland. Vx. Clementia C. Burgundiæ.
Philippus & Guiliel. & Balduin.
Adela, Vxor Canuti Regis Daniæ.
Balduinus I. Comes Hannoniæ. Vxor Ida Comitissa Louaniensis.
Arnoldus siue Arnulphus C. Flandriæ contra patruum occubuit.
Robertus, Dux Norm. Vx. N. D. Apuliæ.

Balduinus Securis, Comes Flandriæ, contra Anglos occubuit 1122. Vx. Agnes Comitissa Britanniæ.
Gertruda, Hæres, Vxor Theodorici, Comitis ab Engisheim.
Carolus Bonus, Comes Fland. Vxor Marg. C. Clarimontis.
Balduinus II. Comes Hannoniæ, obiit 1133. Vxor Iolante Comitissa Gelriæ.
VVilhelmus Comes Flandriæ, occubuit contra Theod. Alsat. Vx. N. C Verruzii.

Theoderic. cogn. Alsatius, Com. Fland. ob. 1168. Vx. Marg C. Clarimontis, vidua Car. Boni.
Simon, Landtgrauius Alsatiæ, Comes in Engisheim: Vxor Margarita, filia & hæres Domini de Hennin. & Quinchi.
Balduinus III. Comes Hannoniæ, mortuus 1171. Vxor Alexia filia & hæres Godofridi Comitis Namurc.

Philippus Comes Fland. Vxor 1. Elis. C. Veromandiæ 2. Mechtild. Ducissa Portugalliæ.
Petrus C. Niuernensis, Vxor Sibylla, hæres in Niuers.
Matthæus, Comes Boloniæ. Vxor Maria, filia Stephani Regis Angliæ.
Margarita hæres Flandriæ, Vxor Balduini Audacis, Comitis Hannoniæ.
Balduinus cognomento Audax, C. Hannon. Vxor Margar. Hæres Flandriæ.

Elisa. Vxor Philippi Augusti Regis Gal.
Balduinus, Comes Flandriæ Imp. Or. obiit 1205. Vxor Maria. Com. Blesensis
Henricus Imp. Constantinop. obiit 1216. Vx. N. filia Petri Com. Namurc *
Philippus, Comes Namurcensis. Vx. Mar. filia Phil. Aug. Regis Galliæ.
Ioannes C. Namurcensis, cælebs decessit.

Ioanna Com. Flandriæ, Vxor Ferdinandi, filii Sancii Regis Portugalliæ.
Iolante, Vx.* Petri Cortracensis, C. Altissiodorensis, Imperatoris Orientis occisi 1221.
Margarita hæres Flandriæ & Hannoniæ, Vxor 1. Bochardi Domini Auienuensis 2. VVilhelmi Dampetræ, à quo Comites Flandriæ.
Petrus & Balduinus Comites Flandriæ, iuuenes vita excessere.

Robertus, Imperator Bizantinus, obiit 1228. Vx. N. Princeps Orientalis.
VVilhelmus Dampetra, Comes Flandriæ, obiit anno millesimo ducentesimo octuagesimo primo. Vxor Beatrix, Ducissa Brabantiæ.
VVido Dampetra, Comes Flandriæ, obiit 1303. Vxor Mechtild. Comitissa de Bethune.
Ioannes Dampetra, Comes Namurci, Vxor Laura Duc. Lotharingiæ.

VVilhelmus, Comes Teneramundæ. Vxor N. C. Heslæ.
Robertus Comes Flandriæ, cogn. de Bethune, obiit 1322. Vx. 1. Blanca, filia Caroli I. Reg. Gall. 2. Iolante hæres Niuersii.
Philippus & Ioannes, plure sque liberi.

Ludouicus, Comes Niuersii, obiit ante patrem, 1322. Vxor Maria, Comitissa & hæres in Reetel.

Ludouicus II Comes Flandriæ, occubuit ad Cresciacum anno 1346. Vxor Margar. filia Philippi Longi Regis Galliarum.

Ludouicus IC. dictus de mala, Comes Flandriæ, obiit anno 1383. Vxor Margarita Ducissa Brabantiæ.

Margarita hæres Flandriæ. Vxor Philippi Audacis Ducis Burgundiæ.

Ad Cęsarē regrediamur Germanus. Diuturna tepescebat discordia; & Romani regnū offerebant *Henrico* si *Guibertum* dimitteret, & ad Ecclesiæ remearet pastorem. Conditionem ipse non respuit, dummodo Episcoporum suorum placitum accederet; verum quia isti cum *Guiberto* erant deponendi, reconciliationem dissuaserunt.

HENRICVS IN ITALIAM DESCENDIT. *Sal.Ann.* 1090.

CCLVIII Aduersùs *Vrbanum* transgressus *Henricus*, cum in Lombardiam venisset, primo aduentu *Mathildem* habuit aduersam. Vnde ab ea parte bellum habuit exordiri.

Sal. An. 1088. *Mathildē Henricus vincit.* diri. Ei verò trans Padum omnia populanti *Mathildis* Bononiensibus adiunctis audacter occurrit, ac summo prælio in campo Sorbariæ, inito superior abijt, Parmense & Regiense Episcopis *Clementis* fautoribus captis. Itaque accenso contentionis studio, *Henricus* omnibus trans Padum castris frustra repugnante *Mathilde*, potitus, Mantuam

CCLIX. oppugnatum accessit, ac maiore mole obsessam post XI. menses *Mathilde* Canusij se continente, adduxit in potestatem, cum iam esset annus Millesimus nonagesimus primus. Extant priuilegia immunitatum à *Mathilde* Mantuanis indulta An. M.XC. Eademque repetita ab Henrico M.XCI. *Vvelfo Dei gratia Dux, & Marchio, & Mathilda Dei gratia si quid est. Cum Mantuani à nobis petierint, vt oneribus aliquot leuarentur, & vt beneficijs afficerentur, quibus à maioribus nostris fuerant spoliati, ob eam rem nos ciuitatis fide perspecta, omnia tributa eius remittimus, hospitia condonamus, vtramque ripam Mincij, Olij, & Tartari damus, per ditionem nostram tutos ire, vectigalium, & ripatui immunes iubemus. Mantua, V. Kal. Iul. Ind. XII. An. MXC.* Item *Henricus III. Diuina Clementia Romanorum Imper. August. Cum fidem Mantuanorum erga nos perspexerimus, ob eam rem omnia tributa eis remittimus, quæque à Mathilde acceperint, confir-*

CCLX. *mamus.* Bella porrò in Italia gerente Cæsare, *Vvelpho*, quarto die ante Pascha proditione Augustam Rhetiæ capit, (ait Auenti-

Vvelpho Augustā capit. nus) *Populus, Sacerdotes prædæ fuere. Complures, qui in templum maximum confugerant, ab irato hoste ibidem contrucidati sunt. Sigefridus Episcopus ab ora retractus, in vincula conijcitur. Vvigoldus Hildebrandinus author huiusce belli ciuibus Episcopus imponitur. Postridie licet pollutus homicidio, sacrificat. Vix sacra perpetrarat, morbo corripitur, atque expirat. Circa eundem temporis tractum vniuersi Episcopi, Principes, faces, & antesignani ciuilis belli, quo septemdecim annos Respublica attrita fuit, vno anno extincti sunt.* Hermannus Rex Saxonum iam saxo percussus obierat. *Eckbertus* Regij no-

CCLXI. minis affectator, simili rapitur fato. *Ad Hyldeshaimenses* (rem ita narrat Auentinus) *Augusto fideles obsidendos remissis copijs, cum paucis contendit, atque de via publica diuertit, per colles syluestres pergenti, æstu sitique defatigato grauis somnus obrepit. Qui cum eo erant, molam fortè conspicati eumdem excitant, ipseq; equo descendit, casam vilem subit, molarium in proximum vicum allatum potionem ablegat: illi fortè fortuna Cæsariani obuiam veniunt, rogant, quonam ita anhelabundus properet? Homo causam absque cunctatione aperit, hospitem nil mali suspicatus prodit. At hi calcaria equis subdunt, ad tugurium aduolant: Eckbertum cum suis inopinatum imparatumque aggrediuntur, nec quicquam resistentem contrucidant. Saxones qui vrbem obsederant, audita Ducis clade, diffugiunt, obsidionem soluunt. Luitulfus Chaꝛionum Dux, regnum ambiuerat, Bertoldus Rudolphi Regis filius, Nordmannorum Principes, Huga Alsatius sæuitia in Cæsarianos insignis eodem anno mortui sunt. Henricus quoque ac Conradus filij Ottonis, quondam Boiariæ reguli miserè periere.* Ad Cæsarem CCLXII.

regrediamur, is Anno Sal. 1091. Mantua *Lōbardiā occupat Henricus* in ditionem adducta, Ferrarienses bello non expectato, *Henrici* potestati vltrò se permiserunt. *Mathilda* ditione Transpadana amissa, de Cispadana solicita, castra, quæ in agro Regiensi, ac Mutinensi vallis, præsidijsque tenebat, eandem tempestatem verita confirmauit, atque *Hugonem* Estensem ei obiecit; vel vt ait *Bertoldus* Vvelphonem Ducem Italiæ. Transacta hieme, *Henricus*, *Vvelphone* repulso, Padum traiecit, (Annus erat M.XCII.) in agrum Mutinensem, ac Monte Maurello, & Monte Alfredi ex *Mathildis* ditione receptis Montembellum circumuallauit, & per totam æstatem obsedit. Ex aduerso Episcopus Regij *Heribertus* *Clementis* impulsu, pacem in Carpineto tractauit, resque facilè conuenisset, nisi Io: quidam Eremita, *Mathilde* spem vnam in Deo habere iussa, auctoritate sua omnia disturbasset, ita *Sigonius*. Rem tamen aliter enarrat *Bertoldus*, *Vvelpho* Dux Baioariæ Lombardiam ingressus mense Augusto, vt Regi *Henrico* reconcilaretur, si tamen *Henricus*, *Guibertum* desereret hęresiarcham, nec nō *Vvelphoni Vvelphonis* filio, & fautoribus bona restitueret *Henrici filius obit.* iniustè ablata. Quibus conditionibus Cæsar acquiescere nolens, *Vvelpho* in Germaniam remeauit. Irritatus *Henricus* filium suum, cuius nomen (ait *Sigonius*) reticetur in Chronicis, ad Carpinetum

oppu-

Sal. An. 1092. oppugnandum misit, sed eo in prælio mortuus est; vnde doloris acerbitate Veronam recessit. Vbi verò confectis exequijs paulisper luctus, mœrorque resedit, Parmam contendere simulans, Cabillianum repetijt, vt inopinatu aduentu Canussium, vbi erat *Mathildes*, inuaderet, haud sanè iucunda illius temporis repetita memoria, quo iniquissima hieme ante portam arcis, *Gregorij* responsum per triduum expectarat. *Mathildes* autem, præsidio Canussij relicto, cum altera copiarum parte Bibianellum se contulit. *Henricus* verò Canussio exercitum admouit, ac prelio
CCLXIII. cum præsidiarijs edito, vexillum amisit. Bibianum receptus, collectis sub lucem vasis, trans Padum exercitum omnem reduxit. *Mathildis* verò omnia castra sua cis Padum recuperauit. Moritur hoc anno *Anselmus* Archiepisc. Mediolan. cui populus *Arnulphum* substituit ex porta Orientali capitaneum, quem *Henricus* vt consueuerat, per annulum & virgam instituit. Ab vno tantùm Catholico episcopo consecratus, cæteris assentientibus non manum imponentibus, quod abstenti essent, à legato Apostolico abdicatur, vnde mutato habitu, in monasterium se inclusit; ibiq; honestissimè vixit.

Proximo anno (Sigonius) *Iordanes, cum omnem fermè Campaniam Ecclesiæ eripuisset,* CCXLIV
Priuerni est mortuus. Ricardus filius eius, qui Principatum exceperat, à Capuanis vrbe exclusus Rogerij Ducis Apuliæ auxilium implorauit: cuius ille precibus obsequutus maximo ac firmissimo exercitu Capuam adducto, Rogerio Siciliæ comite adiuuante, arcta vrbem obsidione circumdedit; nec soluit priusquam *Ricardus* à Capuanis reciperetur.

Conradus Henrici filius aduersus Patrem insurgit. Sal. Ann. 1093.

CCLXV. INterim Ecclesiæ resurgente libertate, Romam post Bariensem Synodum, *Vrbanus* reuertitur; *Conrado* in *Hericum* conspirante, quem ipse tanquam maiorem natu filium Regem Germaniæ destinauerat,

V I D E MONETAM ARGENTEAM, *supra in pag.....*

defectionis causam *Helmodus* & *Dodechinus* enarrant, quia *Rex Adhelaidem Reginam*, (alij Praxedem) *quam duxerat vxorem, odio cæpit habere; ideò incarcerauit eam, & concessit vt plerique vim ei inferrent, immo filium hortans, vt eam subagitaret: quo recusante patris polluere stratum, eum Rex non suum, sed peregrini filium esse affirmauit cuiusdam Principis de Sueuia, cuius etiam faciem prædictus Conradus plurimum assimilauit. Regina autem post plurima & inaudita malorũ genera sibi innocenter illata, de custodia qua tenebatur, quoquo modo Dei miseratione liberata, ad potentissimam tunc temporis feminam Mathildam nomine fugiendo peruenit. Quæ susceptam Reginam ad venerabilem virum perduxit Vrbanum, Apostolicæ Sedis Antistitem, cuius prouoluta pedibus, profusis lacrymis ac intimis singultibus omnem suæ, quã pertulerat, calamitatis intimauit miseriam. Papa autem agnita Reginæ calamitate, humanitatis miseratione compassus, facta concione Catholicorum, denuo Henricum Regem excommunicauit pro illicitis ac nefandis omnibusque sæculis inauditis rebus, in legitima vxore sua perpetratis. Regina autem reuersa est in regionem suam, & ingressa monasterium facta est Abbatissa, vt quidam dicunt.*

CONRADVS CORONATVR REX ITALIÆ. Sal. An. 1093.

CCLXVI RElicto patre *Conradus* ad *Mathildem*, & *Vrbanum* se contulit, à quo noxa solutus paterna, *Rogerij*, Siciliæ Ducis, filiam sibi matrimonio copulauit. Virtutem animi species corporis comitabatur: Aduersùs patrem modestè se gerens dominum semper vocabat, & Regem, nemine admisso, qui in Patrem conuicia proferret. *Vuelpho* Dux Italiæ, eiusque pater *Vuelpho* Dux Bauariæ cum *Mathilde* ei fidelitatem iurarunt; vndè
CCLXVII *Henricus* nimio dolore confectus, sibi mortem intentasset, ni à suis fuisset præuentus. CCLXVIII Synodus Constantiensis.
Italia tamen anno cessit sequenti. Interim *Gebehardus* Constantiensis Episcopus, Constantiæ Synodo coacta, cui hebdomada maiore, vltra Clericos interfuere *Vuelpho* Bauariæ, & *Bertoldus*, quem Sueui Alemaniæ & Carinthiæ præfecerant; *Querimonia Praxedis Reginæ* audita est, *quæ dudum ad Vuelphonem Ducem Italiæ à marito suo discesserat. Quæ se tantas tamque inauditas fornicationum spurcitias, & à tantis passam* Praxedes ad Vuelphonem confugit.

fuisse

Sal. An. 1094. *fuisse conquesta est, vt etiam apud inimicos fugam suam facillimè excusaret, omnesque Catholicos ad compassionem tantarum iniuriarum sibi conciliaret*. Fœdus etiam inter *Vvelphonem*, & *Bertoldum* initum est ad tutelam iustitiæ, cuius defensor acerrimus erat Bertoldus, *vt omnes prædecessores suos pene vicerit, & de hoc omnium ora pio rumore compleuerit*. Bertoldus. Moritur hoc anno *Juditha* vxor *Vvelphonis* Ducis Bauariæ IV. Non. Martij: & apud Monasterium, quod maritus eius in honorem S. Martini in proprio allodio construxerat, à *Gebehardo* Episc. Constātiensi honorificè sepelitur. *Bertoldus*. CCLXIX

BELLVM SACRVM. *Sal. Ann.* 1094.

DEo aflante in Sarracenos hoc anno expeditionem meditantur Christi fideles. CCLXX *Petrus* eremita, Ambianus genere, paulò ante à sepulchro reuersus, litteras *Simonis* Patriarchæ Hierosolymitani attulerat, quibus ille, damna, contumelias, supplicia quæ Christiani Domini visitantes sepulchrum patiebantur, narrabat, rebus iam Christianorum perditis auxilium poscens. Hisce, & Eremitæ potenti excitatus sermone, è manibus impiorum statuit eripere Hierusalem sanctam *Vrbanus* Pontif. Rom. Italia verò & Germania, *Henrici* iactata fluctibus relictis, Francos potissimum, à quibus trahebat originem sibi incitandos putauit: & diplomate proposito Concilium toti Occidenti Claromontem in Aruernis summis de Repub. arcanis inducit. Iter ingressus, cum frequenti Cardinalium, Episcoporum Principum Italicorum comitatu ad Padum venisset, Vardastalli conuentum CCLXXI habuit, inde Canussij à *Mathilde* magnifico exceptus apparatu, Placentiam postero anno processit, vbi frequentiore conuentu in *Henricum*, & *Guibertum* anathema renouauit. *Praxedes accusat Henricum.* Itidem *Praxedem* Reginam renouantem aduersus *Henricum* questus, quod ipsam tantas spurcitias non tam commisisse, quàm inuitam pertulisse, pro certo cognouerit eam clementer absoluit, quæ peccatum suum spontè & publicè confiteri non erubuit. *Conradus implet officium Stratoris ex Bertoldo.* Mediolanum regressus, *Arnulphum* Archiepisc. è cœnobio euocatum, Ecclesiæ iussit præsidere, pallio decorauit, & Ecclesiam Mediolanensem post tot annos Romanæ restituit. Cremonam pergens obuium habuit *Conradum* Regis filium, qui stratoris officium exhibuit IV. Id. April. Ita pax credebatur Italis restituta, cum noua inter *Vvelphum* & *Mathildem* dissidia cuncta turbarunt. CCLXXII Ab eius coniugio penitus recesserat, illam asserens à se omnino immunem permansisse; *Vvelpho* pater eius in Lombardiam iratus descenderat, sed in cassum laborarat, quamuis in auxilium *Henricum* ipsum auocasset abiurato Pontifice, vt *Mathilda* filio suo licet carnaliter non comixta, bona traderet. *Concilium Claramontis.* Vindictæ itaque cupidus, cum *Vvelphone* filio Alemanniam rediens, diu cum Principibus egit pro *Henrici* restitutione, sed frustra: nam *Henrici* fautores fidem ei non habebant; hostes verò periurium timebant, cum sub excommunicatione *Henricum* abiurassent: & *Conrado* feliciter omnia succederent. Nupserat ei, *Rogerij* Siciliæ Ducis filia, cum immensæ pecuniæ dote: & Pisis regio more nuptias celebrauerat. Pontifex verò Aruernum progressus, Concilium Claramonte habuit, vbi in *Henricum*, & *Clementem*, atque *Philippum* Franciæ Regem, quia vxore viuente, aliam duxisset, anathema dixit. Eloquio, Principum corda in Sarracenos inflamauit, & pro Christi liberando sepulchro expeditionem (*Cruciatam* dictam) decreuit, quæ Ducibus *Gotfrido* Lotharingiensi, *Roberto* Flandrensi, *Regimundo* Comite de S. Ægidio, *Hugone* fratre Philippi Regis Gallorum, omnes ferè Mundi nationes commouit; & numero CCC. M. pugnaturum absque paruulis, & CCLXXIII mulieribus ad Niceam vrbem expugnandam castramentati sunt. *Otto Frising. c. 2. li. 7.* *Cruciata.*

AQVISGRANI COMITIA DE CONRADI DEPOSITIONE. *Sal. An.* 1096.

SAcræ expeditioni Germanis dissonis, *Goldastus.* *Henricus* Aquisgranis coactis comitijs, sic verba fecit.

CCLXXIV *O fidissimi ciuium, pijssimique amicorum Romani Imperij Proceres, Christianæque familiæ columen, id vos oro & per Deum immortalem, per maiestatem Imperij, per salutem & dignitatem vestram, per iurisiurandi religionem, qua nobis & Reip. astricti estis, obtestor, vt positis gratia, atq; odio, in commu-*

Sal. An. 1096. *mune consulatis, & Rempub. capessatis: pietatem, pacem iampridem, factione atque perfidia paucorum terris depulsam, vestro labore vestraque industria reducem stabilite: sæuior tempestas rursus fluctibus obruit. Me in Imperio natum educatumque, quem Deus summus rerum arbiter, & vos Imperatorem rebus humanis imposuistis, non inimicus, neque hostis, sed quod falsum esse, & neminem credere percupiam, filius meus illecebris fœmineis captus, quem genui, participem Regni feci, successorem declaraui, contra ius gentium, aduersus ius naturæ & sanguinis necessitudinem, contra diuinum edictum, immemor beneficiorum, oblitus naturæ, non solum dignitate, sed & vita priuare conatur parentem; cui vitam, dignitatem, quidquid denique habet, acceptum referat necesse est, extinguere connititur. Dux facti fœmina est: diutiùs, quàm filio placet, me Deus seruat. Vitam, quam natura mihi donat, proles mea mihi inuidet. Expectare senis fata recusat. Quæ sanè nostræ sunt iniuriæ, nihil ad vos. Verum nunc vestrum duce fœmina occupauit Regnum, vi & armis tenet. Vos in mea iniuria despecti estis; vestra beneficia mihi erepta sunt; non me, sed vos contemnit. Vestra res agitur, audaciam hominum spectate. Non opus est malis Genijs, homini ex homine plurima mala. Vni animalium homini ambitio honoris, auariciæ immensa cupido: nulli rerum maior libido, nulli rabies acrior. Quid reliquum est, nisi vt cæteri omnes ab hoc quasi in loco illustri constituto exempla sibi sumant, parricidia passim impunè committant? Si vlla apud vos est memoria Conradi aui atque Hainrici parentis mei, maiorumque vestrorum, nolite pati, Imperium vestro sanguine, atq; sudore partum, per scelus & parricidia tabescere; per amplitudinem, salutemque vestram, per immortalem maiorum gloriam obsecro, auferte procul in vltimas terras ex Germania victrice gentium, flagitium hocce, hactenus inauditum. Defessum tot ciuilibus prælijs orbem Romanum asserite à vitijs, scelere immanissimo Rempub. Christianam vindicate, pœnas impietatis scelerati reddant, sentiant sacrilegi impostores, Germanicam virtutem nondum à maioribus degenerasse; vos maiorum vestigijs inniti decet, terrori pessimis quibusq; bonis patrocinio esse. Quod tum fiet, si vno cōsensu filiū meū minorē natu, maiore ob scelera exhæredato atq; proscripto, Cæsarem declaraueritis.*

Hæc vbi Augustus dixit, pauci, quibus omnia alia, ac Respublica, chariora erant, contra nitebantur. Cæteri indignitate facinoris commoti, æqua postulare Augustum censent, ex consilij decreto more maiorum, Hainricum filium Augusti impuberem adhuc, Cæsarem consalutant; isque se nunquam à patre defecturum solemni ritu iurat.



CCLXXV. Minimè tamen in Italia à tutela Ecclesiæ & *Conradi* recessit *Matildes*, sed vltra montes

Sal.An. 1092. tes omninò penè sola *Henricum* fugauit, Annus venit 1097. quo *Azo* Longobardiæ Marchio moritur centenario maior. Hinc de familia Herciscunda contentiones ortæ inter filios, quos è duabus vxoribus tulerat. *Vuelfo* iure matris (fuit ista *Chuniza* siue *Chunegunda* teste Bucellino p.387. filia *Guelphonis II.* soror germana tertij, vxor *Azonis* Marchionis Ateſtini, qui ex *Iuditha Conradi II.* Imp. filia filium suo appellatum nomine *Azonem* genuerat, cui *Mathildes Henrici III.* Imperatoris filia desponsata fuit, *Chuniza* hæc dicitur ab *Henrico III.* Imperatore impetrasse nullitatem fraterni testamenti *Guelfonis* scilicet tertij, qui sine prole moriens, Ascetas Vueingartenses hæredes fecerat ex asse bonorum paternorum; & filium suum *Guelphum IV.* alij dicunt V. annuente Cæsare, hæredem reposuisse. Adiungunt alij *Chunizæ* ab *Azone* donatum fuisse Principatum, vndè iure materno in fratres ex nouerca progenitos *Vuelphum* intulisse arma, quia isti *Azonis* niterentur occupare hæreditatem: propterea *Henrici Quarti Imper.* captatum amicitiam *Vuelphum* à Pontifice diuortisse, cuius partes fuerat sequutus aduersus Imperatorem.

VERDENSI ECCLESIÆ FACTA DENATIO.

CCLXXVI Legitur hoc anno apud *Krantzius Metrop.5.cap.*19. donatio facta Ecclesiæ Verdensi ab *Henrico IV.* in gratiam episcopi *Zegeberti*; perchari Imperatori: qui forestam venationis in Magetheide cum terminis suis, & prædium in Hermensborg, in comitatu Domini Vvitelonis comitis cum omnibus pertinentijs in possessionem tradidit. Iudæis etiam, qui religionis prætextu coacti fidem susceperant, iudaizandi ritum indulsit. *Vspergensis*. Sequenti Anno, Moguntiæ de facultatibus Iudæorum inquirens, qui iam fuerant interfecti, consanguineos Archiepiscopi accusatos vocauit, sed nec ipsi nec Archiep. venere, qui cum suis in Thuringiam secessit, vt terrorem *Henrico* incuteret rebellicũ vicinitate. Hæc in Germania, dum in Syria Antiochia Christianorum vindicata armis, Principi traditur *Boemundo*. Hierosolyma Anno verò 1099. XII. Kal. Iunias cępit obsideri, vbi *Otto* Vicecomes Mediolanensis *Eliprandi* filius germanus

CCLXXVII *Rolandi* Plati, qui primogenitus domi manens, adeo prudenter se gessit, vt dum tota imperialibus & Pontificijs implicaretur Italia dissidijs, ipse nulli alligatus, suæ tantum domus curaret tutelam, & fraterna concordia, arma pararet vltricia contra inuasores sui principatus, vt ex tabula diuisionis inter fratres exaratæ, Ann. Sal. 1022. insigne fortitudinis suæ monumentum relinquens. Ducem Sarracenorum *Volucem* singulari certamine congressus occidit, ac galeã nobile hostis spolium induit, è cuius cono tortuosæ viperæ, ac puerum expansis manibus euomentis, simulachrum extabat, in signum excelsæ prosapiæ quam ex magno *Alexandro* gloriabatur deducere. Idque ipsam & sibi, dum vixit, gestamen asciuit & posteris insigne laudis gentilitiæ prodidit. Quo domi comperto, Mediolanenses decreto publico sanxerunt, vt ad perennem clarissimi viri memoriam, ne posthac castra Mediolanensis exercitus locarentur, nisi signo vipereo ante in aliqua arbore constituto. *Insigne Mediolanensium* Tracta per aliquot dies varijs vtrinque conatibus oppugnatione, tandem mœnibus Christiani potiti, IV. Nonas Iulias, proxima porta refracta, vrbem expugnant, auspicijs *Gothifredo* Ducis Lotharingiæ, qui CCLXXVIII stupentibus omnibus, primus in muros euaserat, vnde communi omnium consensu Rex Hierusalem est appellatus, licet nec titulo, nec regalibus insignibus vti voluerit. *Gothifredus Rex Hierusalem.* Victoriæ plausu gaudere non potuit *Vrbanus*, qui Mense Augusto Salerni in viam carnis abijt, & *Paschali* Cathedram reliquit. Is dissimulatione potius, quàm rigore ducens Imperatorem ad pœnitentiæ semitam reuocare, nec Legatos in Germaniam misit, vsque dum *Henricus* aduersus patrem rebellionem excitauit. *Auent. p. 472.*

CONRADI OBITVS. Sal. An. 1100.

Miserabili clauditur funere seculũ *Conradi*, in quo nemo sapiens (ait *Vspergensis*) Rempublicam constituendum fore dubitabat; Facto abreptus præcipiti, Ecclesiam mœrore confecit. *Erat enim vir per omnia Catholicus, & Apostolicæ Sedi subiectissi-*


Ctissi-

Sal. An. 1099. ctissimus, plus religioni quàm fascibus, & armis deditus: fortitudine tamen & audacia satis & super instructus, lectioni quàm lusibus vacare mallebat: miseris omnimodis, sed præcipuè militibus inopia strictis, compassione & misericordiæ fructu proximus fiebat, nemini contẽptum, cum nemini præiudiciũ intendens, omni personæ, omniq; cõditioni fuit affabilis: indeque non immeritò Deo & hominibus semper extitit amabilis: cælibatus pudorem perpetualiter, & seruare cum proposuisset, coactus tamen à suis filiam Rugeri Ducis Siciliæ, famosissimi penè nostrorum temporum viri, duxit vxorem: cuius tam castè vsus est coniunctione, vt vix crederetur eam vnquam cognouisse. Legali illud præceptum: Turpitudinem patris tui non reuelabis. Itemq; Honora patrem tuum. Murmur, quod per totum Romanum Imperium patris sui mores laniabat, quodque ipsum sibi offensæ patris ac suæ ab illo discessionis causa extitit, auribus proprijs nunquam patiebatur inferri, semper illud dominum suum, & Cæsarem, vel Imperatorem cognominans: vniuersos à palatio patris aduentantes, sub appellatione conseruorum, licet infimos, sociali beneuolentiam tractans. Præter animi virtutes, morumq; compositionem, corpore fuit apprimè decorus, ac statura procerus. Florentiæ moritur & tumulatur Anno 1100. vel vt ait Vspergensis 1101. plenus fide & bona confessione à regno transitorio, ad æternum creditur migrasse. Sunt qui veneno eum dicant interijsse. Testari solent, qui aderãt in bracchio corporis exanimi, crucis signaculum subito exortum se vidisse, ipsasq; eius exequias quibusdam miraculis honorificatas fuisse.

EIVS MONETAM ARGENTEAM, vide in pag. 166.

Obijt hoc anno post aliquot Syriæ vrbes ferro expugnatas *Gothifredus*, eique *Balduinus* frater substituitur, qui primus à *Gothifredo* & ipse muros ascenderat Hierosolymæ. Horum triumphis excitatus *Vvelfo* senior, Dux Bauariæ, iunctis cum *Vvilhelmo* Pictonum Duce viribus, Christianis in Asia laborantibus, ferre statuit auxilia; sociantur etiam plurimi Præsules, Principes, feminæ illustres inter quas *Itha* Princeps Austriaca, *Leopoldi* Austrij mater; Ad Crucis signa conuenere centum sexaginta pugnatorum millia, quæ omnia Græcorum astu in itinere periere, piratarum, vel Turcarum telis exposita, ne in suppetias Christianorum accurrerent. Ipse *Vvelfo* abiectis armis, cæteroque Principis cultu, sub aliena veste ignorabilis, per saltuum deuia, Antiochiam peruenit, vbi lacerati exercitus reliquias colligere aggressus, vix mille recensuit. Vnde adoratis Dei hominis vestigijs, patriam repetens, in Cypro, obijt. Paphi sepultum hæredes refoderunt, vt humarent Altorfij. Reliqui Principes, siti, morbo, vigilijs absumpti finiere. *Itha* Austria diù desiderata,

CCLxxix





& inter mortuos habita, comperta denique, in dynastæ Sarraceni seruitutem, & consuetudinem vxoriam deuenisse, & tulisse prolem in Christianorum sanguinem immaniter sæuituram, comperta est. *Vvelfone* mortuo, *Vvelfo II.* filius eius secundus dicitur

Sal.An. 1101. citur non ordine nominis, sed Bauarici Ducatus) Bauariæ regimen accepit. Romæ autem *Paschalis* in tanta gratulatione nihil sibi antiquius esse debere ratus, quàm vt seditionis reliquias tolleret, Ecclesiamque pacaret, primum *Clementem*, deinde *Henricum* sibi aggrediendum constituit. Ita pecunia opportunè qua initio Pontificatus egebat, à *Rogerio* Duce adiutus, copias necessarias contraxit, ac bello Albam translato, oppidoque expugnato, *Clementem* inde deiecit. Is primum in Castellum Turonensium abijt, vnde pulsus cum longiora loca ad salutem appeteret, repentina morte correptus, expirauit. Eius locum tenuere duo *Albertus* & *Theodoricus*, sed vterque paulò post expirauit. Noua tamen non defuit discordia, *Anselmo* Archiepisc. Mediolan. mortuo Bisantij, *Henricus* namq; *Chrysolaum*, Pars Pontificia *Iordanem Cliuium* subrogauit. *Duo Antipapæ.* CCLxxx.

CONCILIVM LATERANENSE. *Sal.An.* 1101.

CCLxxxi *Clemente* sublato, solus supererat *Henricus*, qui libertatem & pacem, conturbaret Ecclesiæ, hac noua laborabat infamia, quòd propè solus ex Principibus Christianis nec sacro interfuisset bello, nec suppetias misisset is, qui Imperatorium exigens honorem, totius belli Dux esse debebat. Generale propterea concilium in Quadragesimam anni sequentis in Lateranum indicitur, & eo *Henricus* etiam inuitatur dissidij tandem tollendi causa. *Henricus* consilio habito, placidis etiam *Paschalis* allectus nuncijs, & moribus, ad concilium se. Kal. Febr. affuturum exhibet, concordiam spondens vniuersalem. Literis solicitatum *Paschalem* aiunt alij ab ipso *Henrico*, priusquam etiam occumberet *Conradus* filius; *Auentinus* tamen post rebellionem *Henrici Quinti*, non *Conradi* scribit, eas literas exaratas: quæ fuere

HENRICVS IMPER. ROMANO PONTIFICI PASCHALI.

CCLxxxii *SI illa inter nos pax esset & concordia, quæ inter nostros olim & tuos fuit antecessores, quæ inter nos etiam & Nicolaum & Alexandrum, viros Catholicos & religiosos Romanos Pontifices, plena charitate & integra deuotione viguit, mandaremus tibi quicquid filius patri: sed distulimus expectantes, & recognoscere desiderantes, si in beneplacito Dei sit, nobis in charitate & amicabiliter posse conuenire, & Ecclesiam suam nostris temporibus, nostro labore, ipso cooperante in statum redire vnitatis pristinæ. Hoc quanquam dudum, Deo teste, desiderauimus, tamen cognita nimia eorum austeritate, qui in Romana erant Ecclesia, non vtile nobis visum est, vel competens, eos de hac causa conuenire: quia magis videbantur nos prosequi odio & indignatione, quàm zelo iustitiæ, vel etiam quàm velle nos amplecti dulcedine charitatis ad profectum Ecclesiæ. Effectus hoc probat: quia cùm ipsi regnum hæreditario iure nobis collatum tempore religiosorum virorum Romanorum Pontificum pacificè à nobis diu possessum, contra nos commonere studerent, & armare, multa inde orta est strages populorum, tam corporum quàm etiam, quòd magis dolendum est, animarum. Nunc quoque filius noster, quem tam vehementer dileximus, vt vsque ad solium Regni nostri exaltaremus, eodem veneno infectus, consilio quorundam perfidissimorum & periuratorum sibi adhærentium, insurgit in nos; postpositis omnibus sacramentis, quibus se nobis obligauerat posthabita omni fide & iustitia, tantùm vt Ecclesiarum bona & regni liberè valeant perdere, rapere, & inter se diuidere. Et cum multi nobis persuadeant, absque dilatione in eos vi & armis esse vlciscendum, maluimus tamen adhuc differre, vt tam in Italico quàm in Theutonico regno sciatur manifestè, quod nec nostræ sit voluntatis, nec culpæ, si tandem inuiti & coacti in eos surrexerimus, quæcunque mala vel infortunia vel populorum strages inde euenerint. Præterea quia audiuimus, te hominem discretum, Deum timentem, charitati insudantem, sanguinem hominum non sitire, rapinis & incendijs non gaudere, vnitatem Ecclesiæ super omnia diligere, consilio & suggestione Principum nostrorum mittimus tibi nuncium istum cum legatione nostra. Per hanc quippe volumus cognoscere, si est tibi voluntati, te nobis in charitate & amicabiliter, & nos vniri tibi, saluo nobis honore regni & imperij & totius nostræ dignitatis, sicut & auus & pater noster aliique antecessores nostri, tuis antecessoribus seruauerunt,*

& nos

Sal.An. 1088. *& nos præfatis Pontificibus. Quod si placuerit tibi, paternè nobiscum agere, & eam quam mundus dare non potest, pacem integrè nobiscum componere, mitte nobis familiarem nuncium tuum, cum priuatis literis tuis & secreta legatione, cum hoc nuncio nostro, vt hoc modo indubitanter possimus cognoscere omnem de hac re certitudinem voluntatis tuæ. Qua cognita, mittemus tibi de maioribus Principibus nostris, quales & nos tibi mittere, & te deceat à nobis recipere, ad tantam rem componendam, per quos exclusa omni ambiguitate manifestè possis cognoscere, nos veraciter velle complere, quæ tibi mandamus secretè. Præterea quæ hic inscripta non sunt, commisimus huic fidelissimo nostro nuncio, quædam tibi dicenda, quibus tam veraciter quàm scriptis credas.*

Cclxxxiii Hoc nuncio accepto, *Mathildis* transpadanas vrbes ab *Henrico* ereptas, recuperare ante aduentum eius cupiens, Venetorum, Lombardorumq; accitis auxilijs Ferrariam obsedit, Anno 1102. occupauit: dum ineunte Quadragesima, Synodo coacta Romana, cum ferè omnes adfuissent. Vnus *Henricus*, nec venit, nec misit; propterea eum synodus excommunicauit. Is vt simulatione pœnitentiæ fulmen effugeret, per *Emehardum* Episcopum publicari mandauit, filio suo *Henrico* Regi imperium dimissurum, se verò Domini sepulchrum visitaturum: hinc tam vulgi, quàm Principum, ac Clericorum, totiusque regni captato plausu,

Cclxxxiv *Fingit velle visitare Domini sepulchrum.* plurimos ad sanctam peregrinationem voto ipse succendit. Dolo postea detecto, tantum in se conflauit odium, vt eiusdem filius *Henricus* An. 1104. quum Bauariæ pater præfecerat, consilio *Diethboldi* Vogburgensis præfecti, *Berengarij* à *Sultzpach*, Ducis *Ottonis*, *Vvelphonis*, & *Henrici VIII.* regulorum Bauariæ; *Alberti* epistolarum magistri, *Henrici* Lotharingi, in patrem insurgeret. *Imminere*, aiebant, *periculum, si parens Romanorum Pontificum hostis irreconciliatus decederet, ab alio iri præreptum imperium*. Innito itaque cum Noricis, atque

An.Sal. 1105. Saxoniæ principibus fœdere, parricidiale suscipit bellum *Henricus Quintus* in *Quartum*. Nil omisit, quo sibi vulgus conciliaret. Populo namq; congregato obortis lacrymis, *Regem Cœli testabatur, se nulla regnandi cupiditate regimen vsurpare paternũ: neq: dominum, & patrem suum exoptare imperio deponi Romano, imò pertinaciæ misereri paternæ: interim ad laudem Dei, Ecclesiæ defensionem, morum correctionem arma sumere, vt patrem ad meliorem frugem reuocaret.* Placida erant verba, sed arma plusquam ciuilia furebant. Post duos obsidionis menses, Norinberga expugnata filius, Ratisponam se contulit. Quem pater è vestigio subsequens, fugauit. Excurrebat vterque rapinis, incendijs populabundi, & iam castris iuxta castra, & Aquilis iuxta Aquilas locatis, cum de summa rerum concurrere decernerent, filius vel timore, vel reuerentia commotus, loco cessit, *imperatoriæ maiestati milite se exhibere reuerentiam clamante*; Imperator verò dum in castris de crastino certior conflictu disponit, instructus secretis filij nuncis, suorum conspirationem aduersùs se factam, latenter è castris cum paucis subtrahitur: sicque diuina dispositione, vno saluo, multorum, qui fundendus credebatur sanguis, saluatur. Comitia Inde Moguntina indixere Principes, vt quoquomodo filium recõciliarent patri. Vsque adhuc *Vspergensis*. Rem paulo diuersam narrat Auentinus: *Henricus filius*, Ccxxxv

inquit, *consilio eorum, qui Augusti metuebant potentiam, eo quod populus magis patri, quam filio inclinaret, habitu quàm maximè potest miserabili, Confluentiam ad genitorem se confert, pedibus eius accidit, errorem suum confitetur, veniam petit, atque ab indulgentissimo patre impetrat, deinde iuramentum dicit, se in potestate fore Augusti promittit, modò is Pontifici Romano obtemperet. Pater & filius inuicem mutua gratulatione defunguntur, rem omnem ad conuentum deferunt. Et cum Deo propitio in gratiam redacti forent, Cæsar tantum apparatum armorum, tot copias frustra esse, sumptuosioraque fore, quàm quæ ciues atque populus ferre possit, admonet, cum paucis ad Senatum veniendum censet, vbi armorum metu sublato, libera sit decernendi potestas, & potiùs iure quàm ferro disceptetur. Facilè tam salubris consilij ratio recepta est. Augustus igitur dimissis; quas contraxerat tutelæ ergo, viribus, cum trecentis dumtaxat equitibus, comite filio, è Confluẽte Mosellæ atque Rheni egreditur, ad conuentum agendum Moguntiacum procedit, quo interim hostiũ Augusti magna vis vndiq;*

Ccxxxvi *Filius patri reconciliatur.* Ccxxxvii

 in-

Sal. An. 1106 ingruit. Vbi Bingiũ sexto septimanæ die ante ferias brumales (quas celebres natali Seruatoris nostris habemus) peruentũ est, nuncius ingẽtes copias Boiorum atque Sueuorum, item aliorum aduersariorum Augusti, Mogontiaci conuenisse renunciat. Idem Ruthardum quoque archimystam, cæterosque pontifices, & inimicos Imperatoris apud plebem procereśque concionantes deierasse, nolle se vllo pacto contagione pollui, eisque cui sacrificijs interdictum sit, colloquio, aspectu, sermone, conuersatione contaminari, principibus narrat. Mox filius Augustum appellat, Pater pientissime (inquit) in hoc oppidum quod proximum est, paulisper tibi secedendum est, donec illos tibi placeam, atque vos in gratiam redigam, confestimque tertio fide data, opera parenti pollicetur, se eidem sedulo inimicos conciliaturum iurat. At vbi Augustus Bingium quartus intrauit, portæ vrbis clauduntur, cæteri Imperatoris fideles exclusi oppido, diffugiunt. Continuò custodes Augusto, acerbissimi eius inimici, ne fuga elabatur, adhibent. Filius quasi re benè gesta, triumphabundus Mogontiacum properat. Populus qui plus patri quam filio fauebat, sæuire cœpit, indignissimum facinus clamitant, Augustum in vincula à filio coniectum, inauditum scelus, haud leui vniuersæ Reipublicæ malo expiandum esse vociferantur. Inter hæc legatus Romani Pont. duo & quinquaginta episcopi, principes, item alij proceres frequentes coeunt Mogontiaci, & referunt de Republica, sententias dicunt graues, vt quisque acerbissimè censuit, crudelissimè dixit, ita quã maximè ab inimicis Augusti laudatur, dixerat aliquis liuiorem sententiam, mox conuicio aliorum correptus exagitatur. Tandem perscribitur Senatusconsultum, & nemine obnunciante promulgant, hostes Augusti sacrificijs interdictum, è fastigio generis humani abdicãt, vniuersa acta Hyldebrandi comprobant, infirmiores terrent, dubios confirmant. Filius Augusti iterum communi omnium suffragio Cæsar nuncupatur: eidem sacerdotes, proceres more maiorum sacramentum dicunt. Author fit flamen legatusque Romanus. Vuigbertus dux Mysnensis limitis, suscepta legatione iniit ad
cclxxxviii Augustum, ei voluntatem concilij proponit si quidem saluus esse velit, sibi insignia Imperij, sacri penetralia regni reddere iubet.

Paruit necessitati, & quædam tradidit, quædam verò sibi retinuit; prospera illi imprecans, illum primatibus multo fletu commendans, & ex tunc iuxta summi Sacerdotis, totiusque Ecclesiæ decreta suæ consulturum animæ promisit. Captiuus deinde Ingelheimum deducitur. Atque cum seipsum omni honore imperij priuare nollet, & propterea quædam insignia retinuisset, missi sunt tres Episcopi, Moguntinus, Colonniensis, & Vvormatiensis, qui ei inuito auferrent insignia. Cum autem causam ab ijs inquireret, tam seueræ in se inauditum prolatæ sententiæ. Quia tu dixerunt, Episcopatus, Abbatias, omnesque dignitates Ecclesiasticas venales habuisti: quia nihil legitimi in legendis Episcopis ordinasti: ob has res Pontifici, Principibusque Germaniæ placuit, te non solùm piorum communione, sed regni etiam possessione deturbare. Tum Imperator: Quoniam me Ecclesiæ dignitates vendidisse arguitis, dic Moguntine, dic Colonniensis, per nomen Aeterni Dei, quam à vobis mercedem exegi, cum vos vestris Ecclesijs præposui, quas omnium amplissimas, ac fructuosissimas constat? Responderunt, nihil. Et Imperator, Gloria Deo in Excelsis) dixit) quod in hac parte fidelis inuentus sum. Cur igitur, si officium erga vos retinui, aut me huius criminis incusatis, aut vos Duces sociosue eorum præbetis, qui fidem ac iusiurandum Regi datum fefellerunt? Sustinete parumper, & naturalem ætatis meæ iam exactæ terminum, qui longè abesse non potest, expectate; aut si regno me spoliare constituistis, præstituite mihi diem, in quo manibus meis insignia mihi detraham, eaque filio meo vltra imponam. Repugnantibus Cclxxxix
illis, & se negotium acriter effecturos mirantibus, si resisteret; vitæ adductus discrimine, afferri ad se insignia ac regiam vestem iussit; atque ijs ornatus in sellam ascendit, & verba facit sequentia. Hæc regiæ Maiestatis insignia, æterni Regis pietas, & Principum violenter expoliatur Hẽr.
Regni consors voluntas mihi tribuit, quæ vi nulla tueri paratus sum: nam intestinum malum, vt suspectum numquam habui: sic neque etiam caui. Quis ẽnim tantum aut inimicis furoris, aut in filijs impietatis hærere posse existimaret? Verum vnius Dei ope, & vestro pudorem defendam. Quod si vos neque Dei, neque honoris vestri rationem habebitis, vim patiar, quam propulsare non possum. Hæsitantibus autem super his verbis, cæteris, tum Moguntinus; Quid dubitamus (in-

Sal. An. 1087. (inquit) ò socij? *Nonnè officij nostri est Regem consecrare, & consecratum inuadere? cur igitur quem induimus, non meritò exuamus?* Statimque impetu facto, Henricum adorti, coronam ei de capite detraxerunt, ac de sede remotum, purpura, cæterisque insignibus spoliarunt. Tum Imperator rei nouitate attonitus: *Videat Deus* (inquit) *quam iniquè aduersum me agatis: ego quidem delicta iuuentutis meæ apud iustum iudicem luo, nempè ignominiam patiens nulli ante Regum illatam: neque vos tamen noxiæ expertes estis, qui contra Regem vestrem insurrexistis, & Sacramentum fefellistis, quod semel iurastis. Vlciscatur vos Deus, quemadmodum vltus est eos, qui prodidit Christum Dominum suum.* Post hæc Cæsar relicto in Ingehaim patre, vbi priuati more viueret, Moguntiacum redit. *Dimisso conuentu Burgundiam petit* (Auentinus) *superiores regiones Rheno contiguas perlustrat. Est oppidum Alsatiæ, Ruffas, Aquas vocant, armis tum, atq; viris fortibus potens, ibi dum comites Cæsaris multa auarè superbeque in oppidanos committunt, ciues correptis armis, vim vi prohibere, ab iniuria se defendere conantur. Excitatoque tumultu, Cæsar suis opem laturus, non cognita causa armatus aduolat. Sæuit ignobile vulgus: ciues suis dant signum tintinabulo: viri puellæ, pueri, mulierculæ, famuli, liberi concurrunt, furor arma ministrat: hastas, iacula, ligna, lutum, lapides, puluerem in aduersarios iactant: perfidos, sacrilegos, impios, parricidas appellant. Cæsarem in fugam vertunt, mœnibusque cum copijs expellunt, insigna Imperij, Cæsareamque supellectilem diripiunt. Cæsar ea clade atque contumelia accepta, ratus id fraude parentis factum esse, ad Ingelhaim vt eum capiat, contendit. Certior fit Augustus ab amicis qui secretò eius rebus studebant, fugam capessit, ad Agripinensem Coloniam profugus peruenit: Ciues exulem libentissimis animis, maximo honore atque amore, non secus atque rerum dominum recipiunt: omnibus rebus iuuant, quæquæ imperarit cupidissimè se facturos pollicentur. Ab ipsis Imperator in extremos Germanici Imperij fines Leodium deducitur.* CCXCI *Vbi reuerenter ab Otberto episcopo, & Hainrico duce Lotharingiæ excipitur, & ad omnes deinde Christianos principes, maximè ad Philippum primum occidentalis Franciæ regem, litteras dat: tragediam suarum calamitatum explicat.*

Ad filiũ primò Epistolam direxit sequentẽ

HENRICI IV. IMPER. RESCRIPTVM
Ad filium Henricum V. Romanorum Regem. Ann. 1106.

CCXC *Si interrogem te, Fili dulcissime, traditio hominum an mandatum Dei præstantius, magisque tenendum sit, respondebis, nisi à vero deductus sis, similem esse iumentis, qui cœlestia terrenis, humanis diuina non præferat. Cur ergo magis audis eos, qui tibi suggerunt, persequere patrem tuum, quàm verbũ ipsius Dei, honora patrem tuum? Isti tres decipiunt non instruunt: isti honori tuo non prouident, sed inuident: isti sub specie fidei, perfidiæ laqueos nectunt: non aliter peruenire potuerunt ad destructionem honoris tui nisi per destructionem nostri. Fuerit sanè, vt peccatis meis exigentibus (quæ sententia aduersariorum meorum est) abiecerit me Deus, ne regnem: attamen tuum non erat, in abiectionem meam operam dedisse, & Regnum, quod tibi parauerам, mihi præripuisse. Barbara Regna tam inhumanum facinus damnant ac deuouent, ipsi Pagani abhorrent, & qui Deum nesciunt, quid in diligendis hominibus naturæ debeant recognoscunt. Sed quid mirum, si maligna surreptio seductilem & immaturam ætatem decepit, cum etiam senes & fixum animi statum ad malum mala consilia nonnumquam inflectant? Fortuna mea alieni potius, quàm tui sceleris est. Nam tu in manibus suadentium eras, non ille in tuis. Si autem iniuriam addideris, non iam excusari poteris, cum & factam, crimen esse scias, & infectam non facere queas.*

Audiui enim, quod Pascha Leodij celebrandum decreueris: quo in loco fides & pietas Episcopi me recepit, cum non esset, qui vel beneficiorum nostrorum recordaretur, vel fortunæ compateretur: cuius profectò beneficijs in me te decet Regia liberalitate respondere, tantoque certior de eius fide poteris esse, quanto fidelius erga nos probatur egisse. Hic, nisi te fortè domo receperit, me secum in festiuitate Paschali detinendum decreuit. At dicis, dignum & conueniens esse, vt ea festiuitas nos iungat potius quàm diuidat: te velle, te cupere, vt

Sal. An. 1106 re vti ibi tecum agam dies Paschalis lætitiæ; quod quidem & ego cuperem, si non esset, quod timerem; Neque enim non possum timere eos, quos mihi vitam permisisse pœnitet, dum in manibus eorum mors & vita fuisset. Omnia mihi suspecta sunt, omnia timenda sunt, maximè in turba, vbi tanto difficilior est periculi cautio, quanto maior sceleris occasio. Inde est, quod ex medio eorum; qui me oderunt, longe recessi, & in extremis Regni tui finibus me contraxi, vt vel secessu loci totus sim, vel fortuna mea postulauerit extraneam humanitatem expetere, citius Regno tuo cedere possim. Præcor ergo vt causa patris tui Paschalem Curiam alibi disponas, & in domo eius, qui me humanitatis gratia recepit, cum non liceat Imperatorem, saltem hospitem esse sinas, ne vel in meum ludibrium, vel in tuum opprobrium narretur, quod in solemnitate Dominicæ Resurrectionis incerta hospitio fortuna mea quærere cogatur. Si feceris, quod postulo, maximas grates habeo: sin autem: malo villicus esse in extremis Regnis, quàm ludibrio haberi in regnis quondam meis. Ex Leodio.

Circularem etiam euulgauit epistolam ad Principes Imperij, de vindicandis iniurijs in Cæsaream Maiestatem illatis.

HENRICUS REX PRINCIPIBUS IMPERII.

CCXCII. Si per inuasionem Regnum occupassem, tamen resistentes potestati nostræ retunderem, in quantum possem. Nunc autem cum in sumpta Regni dignitate vestris paruerim præceptis, ausus est quispiam impunè in publicam contumeliam Regnum & Nos armis vexare. Cum n. Leodium ituri, vbi nobis Curia Paschalis habenda fuerat ad fluuium Mosam venissemus, Episcopus Leodiensis & Dux Henricus, de quorum fide & obsequij deuotione multum præsumebamus, nobis latenter insidias posuerunt, & nostros inscios & ad pugnam imparatos cædebant, capiebant, fugabant. Quæ & quanta clades ibi acciderit, tam pudet referre, quam inultum dimittere. Igitur constrictus & euentus asperitate & temporis articulo Coloniam diuerti. Quæ cum me recipere satis superbè refutaret, apud villam Bonnam sanctum diem Paschæ vtcunque peregi. Cui vnquam Regiæ personæ tanta contumelia facta est? Nec solum me petit hæc contumelia, vos despecti estis; isti præsumptores decreta vestra authoritatem habere nolunt, sua tantum statuta firma esse volunt; denique in quos totum Regni pondus se reclinet haberi cupiunt; Regem, quem constituistis, destituere parant, vt nihil eorum, quæ vos decernitis, ratum sit. Igitur hæc iniuria mea Regni potius est, quàm mea. Nam vnius capitis licet summi deiectio, reparabile Regni damnum est: Principum autem conculcatio, ruina Regni est. An hæc impunè feremus? & ex ignobili patientia nostra magis tumebit eorum superbia? Absit, vt qui dicimur inhonorati, dicamur & inulti; pauca dixisset sat est; desides animi prolixæ cohortationis stimulo opus habent. In strenuis causa magis ad incitamentum facit, quàm verba. Quia igitur contra tam superbos hostes R. P. viribus vtendum est, expeditionem vobis & rogando præcipimus, & præcipiendo rogamus: cuius collectioni tempus ad Calendas Iulias, locum Vuirtzburgensem vrbem præfinimus.

Aliam scripsit ad *Philippum* Celtarum Regem de sua quærens degradatione, atque vindictam implorans.

HENRICUS IMPERATOR PHILIPPO REGI CELTARUM.

CCXCIII. Princeps Clarissime, & omnium, in quibus post Deum speramus, fidelissime, primum & præcipuum inter omnes vos excepti, cui conqueri & deplorare omnes calamitates meas & miserias necessarium duxi, & etiam genibus vestris aduolui, si licet, salua Maiestate Imperij.

Primùm quidem est, quod non solum vobis, sed totius Christianæ professionis hominibus grauissimum ac intolerabile arbitramur, quod de Apostolica Sede, vnde vsque ad memoriam nostri temporis salutifer fructus consolationis dulcedinis & saluationis animarum oriebatur, modo persecutionis, excommunicationis, & omne perditionis flagellum emittitur, nec ponunt vllum modum sententiæ, tantum vt satisfiat voluntati indiscretæ. Huius voluntatis suæ intemperantia adeo

vsque

Sal. An. 1106. *vsque nunc abusi sunt, vt nec Deum, nec quid, aut quantum mali inde proueniat, pensantes, per se, & per suos omnibus modis in nos inuehantur, cum obedientiam, & omnem subiectionem debitam sæpe obtulerim Apostolicæ Sedi, si tamen honor debitus, & reuerentia, sicut antecessoribus meis, exhiberetur & mihi. Quid autem intendant, opportunius significabo vobis, si quando optati colloquij copiam Deus dederit nobis. In hac igitur persecutionis & odij sui inflammatione, cum parum viderent se proficere, contra ipsum ius naturæ laborantes (quod siue maximo cordis dolore, sine multis lachrymis dicere non valeo, & quia dicitur, vehementer contremisco) filium meum, Absalom, inquam, dilectissimum non solum contra me armauerunt, sed etiam tanto furore animauerunt, vt in primis contra fidem, & sacramentum, quod vt miles Domino iurauerat, Regnum meum inuaderet, Episcopos & Abbates meos deponeret, inimicos & persecutores meos sustineret: ad vltimum (quod maximè vellem taceri, aut si taceri non potest, vellem non credi) omnem affectum naturæ abijciens, in salutem & animam meam intenderet, nec quidquam pensi haberet: quomodo vi & fraude ad hanc periculi & ignominiæ suæ summam aspiraret.*

In hac tanta mali sui machinatione, cum essem in pace & in aliqua salutis meæ securitate, in locum, qui Confluentia dicitur, in ipsis Dominici Aduentus sanctissimis diebus ad colloquium euocauit me, quasi de communi salute & honore filius tractaturus cum patre. Quem cum vidi, illico ex paterno affectu tactus intrinsecus dolore cordis mei ad pedes suos procidi, admonens & obtestans per fidem, per salutem animæ, si pro peccatis meis flagellandus eram à Deo, de me ipse nullam conquireret maculam honori & nomini suo, quia culpæ patris vindicem filium esse, nulla diuinæ legis constituit sanctio. At ille tam pulchre, immo miserrime institutus ad malitiam, quasi abominabile & execrabile scelus cœpit detestari, & procidens ipse ad pedes meos, de præteritis cœpit veniam deprecari, in reliquum, vt miles Domino, vt patri filius, cum fide & veritate per omnia se mihi obauditurum promisit cum lachrymis, si modo Sedi Apostolicæ vellem reconciliari. Quod cum promptissime annuissem, & deliberationi suæ & consilio Principum hoc tantum mancipandum promisissem, in præsenti Natiuitate se producturum me Moguntiam, & ibi de honore & reconciliatione mea, quàm fidelius posset: acturum, & inde in Pacem & securitatem me reducendum promisit, in ea veritate & fide, qua patrem à filio honorari, & filium à patre præcipit Deus diligi. Hac promissione, quæ & Gentili obseruanda est, securus ibam, & filius meus aliquantulum me præceßerat: & ecce quidam fideles verissimè me deceptum affirmabant, & proditum sub falsa pacis & fidei sponsione. Reuocatus autem filius meus, & iterum à me instantissime admonitus, sub eiusdem fidei & sacramenti obtestatione animam suam pro anima mea fore promisit secunda vice.

Cum ergo ad locum, qui Binga vocatur, peruenißem, iam existente die Veneris ante Natiuitatem, numerus armatorum suorum iam satis augebatur, iam fraus ipsa de se detegebatur, & filius ad me: Pater, inquit, nobis secedendum est in vicinum castellum, quia Moguntinus Episcopus in suam ciuitatem non admittet vos, quamdiu in banno eritis. Illic Natiuitatem cum honore & pace agatis, quoscumque placuerit vobis, vobiscum habeatis: ego interim quanto instantius, quanto fidelius potero, pro nobis vtrisque laborabo, quia causam vestram meam existimo esse. At ego, Mi, inquam, fili, iudex & testis sermonum & fidei sit inter nos hodie Deus, quomodo te in virum & hæredem meum produxerim, quantis tribulationibus meis honori tuo inseruierim, quot & quantas inimicitias pro te habuerim, & habeam, solus conscius es. Ille autem tertio sub eiusdem fidei & sacramenti attestatione, si ingrueret occasio periculi, caput suum pro meo capite fore mihi promisit.

Sed postquam clausit me in eodem castello, quo omnia animo & corde fuerit locutus, manifeste rei ostendit euentus. Ex omnibus meis quartus ego sum inclusus, nec quilibet alius admitti potuit, custodes deputati, qui vitæ meæ erant atroces inimici (benedictus per omnia Deus) exaltandi, & humiliandi quæ voluerit Rex potentissimus. Cum ergo ipso sacratissimo die Natiuitatis suæ omnibus redemptis suis ille Sanctus Sanctorum puer fuisset natus, mihi soli filius ille non est datus. Nam vt taceam opprobria, iniurias, minas,

sl. Ann. 1106. minas, gladios in ceruicem meam exertos, nisi omnia imperata facerem: præter famem, & sitim, quam perferebam ab illis, quos iniuria erat videre, & audire, vt etiam taceam, quod est grauius, me olim satis felicem fuisse: illud numquam obliuiscar, illud numquam desinam omnibus Christianis conqueri, quod illis sanctissimis diebus, sine omni Christiana communione in carcere illo fui.

In illis pœnitentiæ & tribulationis meæ diebus à filio meo missus venit ad me quidam Princeps Vvigbertus, dicens: nullum vitæ meæ esse consilium, nisi sine vlla contradictione omnia Regni insignia redderem ex voluntate & imperio Principum. At ego, etsi omnis terra, quantum inhabitatur, mei Regni terminus eßet, nollem Regno vitam commutare: quia vellem nollem, sic agendum, & sic definitum intelligebam, coronam, sceptrum, crucem, lanceam, gladium nisi Moguntiam. Tunc communicato consilio cum inimicis meis, meus filius egrediens, relictis ibidem fidelibus & amicis meis: quasi me eo adducturus, sub multa frequentia armatorum suorum me abductum ad villam, quæ dicitur Ingelheim, fecit me ad se adduci, vbi maximam inimicorum meorum multitudinem collectam inueni, nec ipsum filium ceteris mihi meliorem reperi. Et quia firmius & stabilius videbatur eis esse, si propria manu cogerent me Regnum, & omnia Regalia exfestucare: simili modo & ipsi omnes minabantur mihi, nisi omnia imperata facerem, nullum vitæ meæ consilium fieri posse. Tunc ego inquam, quia de sola vita mea agitur, qua nihil pretiosius habeo, vt saltem viuens pœnitentiam exhibeam Deo, quidquid imperatis, faciam. Cumque inquirerem, si saltem sic de vita mea certus essem? Apostolicæ Sedis Legátus, qui ibidem aderat (non dico, qui omnia hæc audierat) respondit, me nullo modo eripi posse nisi publicè confiterer, me iniustè Hildebrandum persecutum esse, Vvigebertum ei iniustè superposuisse, & iniustā persecutionem in Apostolicam Sedem, & omnem Ecclesiam exercuisse.

Tunc cum magna contritione animi prostratus, cœpi per Deum, per ipsam conscientiā orare: vt locus & tempus mihi daretur, vbi in præsentia omnium Principum, cum innocens essem, vellem ex iudicio omnium me expurgare, & in quo culpabilem me recognoscerent, ex consilio omnium sanioris sententiæ, pœnitentiam & satisfactionem, quo ordine iuberent, quærere, & in Principibus Regni de fidelibus nostris quoscumque obsides vellent, dare. At idem Legatus locum & diem mihi abnegauit, dicens: aut totum ibi debere determinari, aut nulla spes mihi esset euadendi. In tanto tribulationis articulo cum interrogarem, si confiterer, omnia quæ imperabantur, an confessio mea, vt iustum est, veniam & absolutionem consequeretur? ibi Legatus dixit, non esse iuris sui me absoluere: si vellem, inquit, absolui, Romam irem satisfacere Apostolicæ Sedis. Sic desolatum, & spoliatum (nam & castella, & patrimonia, & quidquid in Regno conquisieram, eadem vi & arte sua extorserant à me) in eadem villa reliquerunt me, In qua cum aliquo tempore commoratus eßem, & filius meus ex eodem fraudis suæ consilio demandasset, vt ibidem eum expectarem, superueniens quorundam fidelium meorum Legatio præmonuit, vt si quidem ad monitum ibi remanerem: fore vt aut in perpetuam raperer captiuitatem, aut in eodem decollarer.

Quo nuncio satis tunc vitæ meæ diffisus: illicò aufugiens, fugiendo Coloniam veni, & ibi aliquot diebus commoratus, postea Leodium veni. In quibus locis fideles viros & in fide Regni constantes semper inueni. Horum cæterorumque Regni fidelium consilio vsus, vobis fiducialius & honestius habeo deplorare has omnes meas miserias. Fiducialius quidem, propter mutuum consanguinitatis, & antiquæ amicitiæ debitum: honestius autem, propter tanti Regni nomen gloriosum. Vos igitur per fidem, per amicitiam rogo, in tantis tribulationibus meis ac iniurijs propinquo & amico consulatis. Quæ fidei & amicitiæ vincula etsi inter nos non essent, vestra tamen, & omnium Regum terræ interesset, iniuriam & contemptum meum vindicare, & tam nefariæ proditionis & malitiæ exemplum de superficie terræ extirpare.

HENRICVS V. ADVERSVS PATREM CASTRA MOVET. Ann. 1106.

Henricus Cæsar cum Leodij resciuisset stare parentem, *eo Paschalia* Auentinus, *ibidem celebraturus properat: pœnas de Episcopo, atque Duce, quod hostem recipissent*

Sal. An. 1106. *sent, sumpturus, aut patrem in potestatem redacturus. Cumq; quarto die ante Paschalia in vrbe quam Aquas Graneas vocant reside-ret, à parenti legati veniunt, qui peterent, vt Cæsar alibi Paschalia hoc tēpore perpetraret sineretque parentem in extremo Imperij fine vitam degere: neque beneficia amicorum illi eriperet: malle Augustum, agricolam in alieno regno, quàm in suo ludibrio eße, atque denique alieno scelere, quàm filij perire. Filius vbi hæc mandata parentis accepit, nihilominus in proposito perstat: Trecentos equites, qui pontem Mosæ occupent, præmittit. Augustus in Franciam occidentalem ad regem Philippum aufugere certabat; sed ab Episcopo & Hainrico confirmatus, manet. Huius filius in crepidinibus ripæ equitatem in insidijs locat. Ipse cum paucis pontem transit. Antecursores Cæsaris, qui pontem occupare connitebantur, inuadit lacessitque, donec totum agmen Cæsareum adueniret. Posthæc simulata fuga per pontem aquæ citus fertur, hosteis ad insidias trahit. Nam Cæsariani omnes auidius fugientem insequuntur. Vbi pontem superarunt, ac post se paululum reliquerunt, hi qui latitabant, prosiliunt. Hainricus quoque dux Lotharingius cum nouis copijs aduola: filius eius qui hactenus fugam simularat, restitit. Cæsariani circumuenti cæduntur, in fugam vertuntur, ad pontem properant, seque ibidem stipant. Ponte grauitate ponderis corruente, in Mosa submerguntur. Hacque clade Cæsar tertio die ante Paschalia accepta, Agrippinensem Coloniam petit. A ciuibus portis cladi, Friderico archimysta vrbe pulso, aditus prohibitus, Bonnæ Paschalia celebrat. Postridiæ inde mouet, superiorem Germaniam petit. Mogontiacum procerum conuentu vocato, Hainricum ducem proscribit, ducatuque mouendum decernit, expeditionem in Lotharingios edicit, copias Vvurtzburgij Kal. Iulij conuenire iubet. Vbi hoc Hainricus dux Lotharingiæ, Agrippinenses & Lodienses accepere, quæ vtilia fore credunt, comparant, mœnia reficiunt vallo, fossa muniunt, totis se viribus ad resistendum parant. Mense Iunio Cæsar cum tribus legionibus Agrippinam inuadit, vrbem obsidere conatur. Sed fortiter erumpentibus, qui vrbem tutabantur, procul à mœnibus castra facere cogitur: ibique vnum & viginti dies frustra considet. Nam ciues sæpius erumpebant, commeatum ad castra conuehentes intercipiebant. Caltoburgij dynasta. Saxonum clarissimo genere ortus, intimus Cæsaris, occubuit, literis rebusque bellicis præclarus. Dum hæc fiunt, Augustus filio literas mittit, beneficia huic à se collata eiusque item perfidiam cōmemorat, ad Deum Opt. Max. in ius vocat: paratum se esse, vt decretis Pontificis Rom. cæterorumque Principum stet, affirmat. Iubet proinde eundem ab armis discedere. Scribit in eandem sententiam episcopis, principibus, populo, insuper accerbitatem hostium commemorat, quemadmodum secum fraude actum sit, inculcat. Orat, vti ius sibi iniuria affecto reddant, filiumq; moneant, vt ab armis discedat. Non vi, sed iure gētium in cœtu Principū secū agat.*

RESCRIPTVM HENRICI IV. IMPER. AD FILIVM HENRICVM V.
De perfidia & impietate eius in patrem.

CCXCV. *Henricus Dei gratia Romanorum Imperator Augustus, Henrico filio suo. Si ea nos debita affectione tractasses, qua deberes, lubentissimè tecum loqueremur, & paterna tibi mandaremus: verum quia longè alius quam paternæ affectionis & humanitatis circa nos animus tibi fuit, nequimus aliter tecum loqui, quam quod ipsa rei manifestissimæ veritas habet. Tu enim ipse scis, sicut ipse publico experimento facti tibi conscius es, qualiter data fide & securitate personæ & honoris nostri, omni affectione deuotionis promisisti nos ducere Moguntiam coram principibus, & inde nos securissime reducere quocumque vellemus. Hac fiducia cum tecum amanter & indubitanter ascenderemus contra datam fidem apud Bingam nos cepisti, vbi nec paternæ lacrymæ, nec patris mœror, nec tristitia, qua ad pedes tuos aliorumque aduoluebamur, te commouit ad misericordiam, quin nos caperes, & captum mortalibus inimicis illudendum & custodiendum traderes, vbi multimodo genere contumeliæ & terroris afflicti, compulsi sumus fermè venire vsque ad ipsum mortis articulum.*

Ante captiuitatem abstulisti nobis Episcopatus, & quicquid de honore Regni potuisti, & prædia nostra, & ipsam familiam: in captiuitate verò quicquid residuum

erat, vt Lanceam, & Crucem, & omnia Regalia insignia vi & timore mortis, vt ipse bene scis, & omni fermè notum est Christianitati, à nobis extorsisti, relicta vix ipsa vita. Cum hoc tibi de nobis non sufficeret, postea semper vbicunque fuimus, modis omnibus, quibus potuisti, nos persequi non cessasti, vt vel perderes vel de Regno expelleres.

sl. Ann. 1106.

Verum nos satis mirari non possumus, qua ratione, vel occasione tam obstinatè facias, cum de Domino Papa & Romana Ecclesia nulla tibi residua sit occasio. Nos N. Nuncio Domini Papæ & Romanæ Ecclesiæ, te præsente parati fuimus, & sumus obedire, & omnem debitam obedientiam & reuerentiam ei coram & semper exhibere, & consilio Principum, & spiritualis patris nostri Hugonis Cluniacēsis Abbatis, aliorūq; Religiosorū virorū de statu Ecclesiæ & honore regni libentissimè agere.

Te ergo rogamus pro honore Regni, & tua & paterna deuotione, & per auctoritatem Romani Pontificis & Romanæ Ecclesiæ, vt de iniuria nobis illata, & de his, quæ nobis vi & iniustè abstulisti, iustitiam facias. Rogamus etiam, vt cum nil rationis tibi sit, quare nos persequaris, nos & fideles nostros cesses infestare, imò permittas nos pacificè & quietè viuere, vt integrè & cum tranquillitate possimus omnia supradicta agere. Recognosce etiam, & tecum cogita, quia Deus iustus iudex est, cui commisimus causam nostram & vindictam: cuius etiam iudicia sunt occulta, velut abyssus multa. Quoniam quantumcunque super afflictionem & infortunia glorieris, & super humilitatem te extollas, forsitan de sancta sua inter me & te gratuita misericordia, aliud iam definiuit, intercedente iustitia, quam tu ipse cogites & disponas. Quod si nulla alia vel reuerentia, vel intercessio nobis valet, opto vt iustitiam consequi possimus, vel vt tuæ persecutionis impetus cesset. Ad hoc idem Romanum Pontificem, & sanctam vniuersalem Romanam Ecclesiam appellamus.

Scripsit etiam ad Princeps imperij super iniusta sua depositione sequentia.

CCXCVI *HEnricus Dei gratia Romanorū Imperator Augustus, Episcopis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, cæterisque Regni Principibus, gratiam & dilectionem, dignantibus eam recapere.*

Conquerimur Deo omnipotenti, & Dominæ meæ sanctæ Mariæ, & beato Petro Principi Apostolorum, patrono nostro, & vobis Principibus omnibus, quòd iniustè & inhumanè & crudeliter, confisi in illa fide, in qua dubitare non debueramus, tractati sumus, & tam honore Regni quàm prædijs & omnibus, quæ habebamus, contra diuinum, & humanum ius, ad infamiam & improperium Regni, ita expoliati sumus, vt nihil penitus præter solam vitam nobis relictum sit. Vbi cum fermè omnes essetis, magna pars vestri visa est dolere & contristari: (sed proh dolor) nihil vobis vestra contulit tristitia, quin de nobis sibi satisfaceret voluntas inimicorum nostrorum odiosa. Et quia cum consilio & rogatu filij nostri, fide & securitate vitæ & honoris ab eo primùm accepta, fiducialiter & desideranter Moguntiam in præsentiam Legati Romani & Principum tenderamus, vt eorum dispositione ageremus tam de Statu Ecclesiæ & honore Regni, quàm de salute animæ nostræ, ipse non est veritus in hac voluntate, & obedientia nos contra datam fidem capere, & vsque ad articulum mortis fermè ducere, non ausi sumus ita nos illi credere, vt iniurijs & contumelijs nos pro voluntate sua, sicut prius, valeat tractare.

Quapropter multum rogamus vos, & obnixè precamur, vt pro timore Dei, & honore Regni, & honestate vestra dignemini studere, quomodo de iniuria in manibus vestris nobis illata per vos possimus recuperare iustitiam. Nos quoque pro consilio vestro & aliorum, qui nos odio non habent, religiosorum virorum, parati sumus tam filio nostro, si in aliquo eum offendimus, quàm alicui in Regno, libenter emendare. Prætereà sicut Domino Papæ in præsentia Legati sui & vestra obedire parati fuimus, ita & nunc parati sumus ei omnem debitam reuerentiam & obedientiam sincero corde & deuotione præsentialiter exhibere, & tam consilio vestro quàm spiritalis patris nostri, Hugonis Cluniacensis Abbatis, ac aliorum religiosorum virorum, de statu Ecclesiæ & honore Regni, quantum in nobis est, disponere.

Cùm igitur ad hæc omnia parati simus, rogamus vos & obnixè deprecamur, quatenus pro Deo & honore Regni, & vestro instanter moneatis filium nostrum, quum secundum præfatam sententiam nulla ei aduersum nos residua sit occasio, amodò desistat nos, & fideles nostros persequi, & quietè & pacificè vi-

Sal. An. 1106. *viuere permittat, vt supradicta integrè & cum tranquillitate perficiantur. Quod si noluerit, rogamus vos per authoritatem Romanæ Ecclesiæ, cui nos committimus, & honorem Regni, ne super nos & super fideles nostros veniatis: quia manifestum est eum non diuinæ legis zelo, vel Romanæ Ecclesiæ dilectione, sed concupiscentia Regni, patre iniustè eo priuato, hoc incepisse. Apud quem si interpellatio vestra, nullaque alia interuentio ad præsens prodesse poterit, appellamus Romanum Pontificem, & sanctam vniuersalem Romanā Sedem & Ecclesiā. Ex Leodio.*

CCXcvii Filius in exercitu pro concione recitatis literis, ex consilio procerum, Ducum, Episcoporum, *Richuuinum* & *Albertum* cum mandatis ad Augustum legat, qui eum fide publica, priuata interposita, octauo die in castra ad concilium deducant, vbi armis, exercituq; dimisso, coram Episcopis, & Principibus lege potius, quàm ferro discептaret. Hisce auditis, Augustus (Leodij tunc degebat) petit, vt qui filij mandata detulerint, sua quoque ad eum scriptis mandata deferant. Horum hæc erat summa- *Iniquum eße postulare, vt ipse ab armis discederet, atque se inimicis intra octauum diem, cum longiùs in priuato cuilibet negocio leges concedant spatium, comitteret. Se quidem paratum esse omnia perpeti, Reip. causa, modo ab armis discedant, metus tollatur, & libera comitia, atque omnis Respublica Senatui populoq; Germano permittatur. Tum fore, vti per colloquia, absque vi omnes finiantur controuersiæ.* Hæc vbi in castris Cæsaris recitata sunt, placuit rursus eosdem legatos ad Augustum proficisci, vti si is verè pacem amaret, propediem vbi lubeat, ad Aquas Graneas, ad filium veniat. Circularem & ipsi Principes edidere Epistolam, qua in conspectu Christianæ Reipublicæ à periurio se immunes demonstrarent.

PRINCIPVM IMPERII RESCRIPTVM
Ad Henricum quondam Imperatorem ex Castris apud Coloniam Agrippinam.

CCXcviii *Post inueteratam, id est, per annos circiter quadraginta, discissionem Imperij Romani, quæ tam diuinas quàm humanas iam penè leges aboleuit, & exceptis mortibus omnimodis, sacrilegijs, periurijs, rapinis, & incendijs, ipsum regnum nostrum non tantùm in solitudinem, sed etiam ad Apostasiam Catholicæ fidei, siue in ipsum Paganismum, propemodùm redegit: respiciente tandem suam Ecclesiam diuina clementia, nos, eiusdem Christi sponsæ filij, per Spiritum Sanctum in vnitatem fidei æquanimes resipuimus; ipsum incorrigibile schismatum illorum caput, Heinricum scilicet, dictum Imperatorem nostrum, zelo Dei & Apostolicæ fidei obedientia abdicauimus, Catholicum nobis (licet ipsius de semine natum) Regem elegimus. Cuius regni principium sui finem esse conspiciens, etiam ipse tanquam voluntarius, sed (vt iam eius fatentur literæ) nimis inuitus collaudauit, regalia reddidit, filij curam cum regno nostræ fidei lachrymando commisit, de reliquo nullam se regni pompam, sed animæ potius suæ medelam vlterius affectaturum spopondit.*

At nunc ecce pristinis se reddens tergiuersationibus, præiudicium se passum per orbem terrarum conqueritur: Gallorum, Anglorum, Danorum, cæterarumque finitimarum gentium gladios cordibus nostris infigere meditatur: super illatis etiam iniurijs recuperari sibi iustitiam precatur: consilijs quoque nostris amodò promptum obedire se pollicetur. Re autem vera solitis argumentis castra hæc Domini dispergere, Christi exercitum exarmare conatur, & (vt in propatulo est) vineam Domini, quæ iam serò florescere cœpit, tam per se singularem vtique ferum denuò depascere, quàm per vulpes, illos nimirum, qui sibi adhærent, pestilentes homines, demoliri, ac per sacrilegia Sacerdotum Belial anathemati reciduo reddere, imo (quod dictu nephas est) Christum iam iterum in Ecclesia sua resurgentem in omnium cordibus crucifigere meditatur.

Quapropter placet tam Regi quā vniuersis Regni Principibus, imo cuncto exercitui orthodoxo, quo senior idem, ne vlla sibi pateat aduersum nos iusta querela, quacunque elegerit securitate, quacumque maluerit statione, coram præsenti Senatu, simul & Populo causam suam agat, iustitiam suscipiat, iustitiam & reddat, quatenus ab ortu schismatis, omnibus seditionum causis, ac si nihil inde iam fuerit diffinitum, vndique discussis, tam filio quàm patri sua iustitia respondeat: Ec-

Sal. An. 1106. clesiæ verò Regnique status, non vt ipse more suo proponit, post longas inducias, sed in præsentiarum his controuersijs diremptis, vacillare desinat. Ex Castris.

Hisce rescriptis Henricus senior legatos
CCXCIX custodiæ tradidit, vt interim, se præmuniret ad bellum; Porrò post aliquot dies eos dimisit, cum sequenti rescripto.

HEnricus Dei gratia Imperator Augustus, Archiepiscopis, Episcopis, Ducibus, Comitibus, cæterisque Regni Principibus, gratiam & dilectionem, dignantibus ea recipere.

Rogamus filium nostrum, & vos multum precati sumus, vt dimisso exercitu ordinaretur, quoquomodo possemus conuenire, vt de iniuria nostra & pace componenda ad honorem Regni posset dignè & decenter definiri. Placuit vobis remandare. Vnde nobis longè grauior priori oritur querimonia, quòd dimissa obsidione Coloniæ vultis super nos & fideles nostros sub specie colloquij cum exercitu venire, datis inducijs octo dierum: quæ nunquam datæ sunt homini alicuius conditionis, vt benè scitis, vsque ad hanc diem pro legitima definitione alicuius minoris negotij, nedum pro tanta re, secundum legem diuinam vel humanam, vel etiam secundum vsum hominum. Oportet enim nos habere, si vobis placeret, saltem tales inducias, intra quas possemus conuocare, & precibus inuitare ad hanc eandem causam, vt sint vobiscum, Moguntinum, & Treuirensem, & Bremensem Archiepiscopos; Frisingensem, Augustensem, Curiensem, Basileensem Episcopos; Ducem Magnum cum Duce Theodorico, & Ducem Bohemicum, & Comitem Flandrensem cum Comite Burgundiæ, & alios, qui ad præfatum negocium, vt benè scitis, sunt valde neceßarij.

Quapropter, sicut priùs, rogamus & obnixè precamur, quatenus pro Deo & anima vestra, & pro appellatione Domini Romani Pontificis Paschalis & Romanæ Ecclesiæ, & pro honore Regni dignemini apud filium nostrum efficere, vt dimisso exercitu ceßet nos persequi, & ordinetur quomodo securè & absque omni ambiguitate possimus nos cum cæteris supradictis ad agendum de nostra iniuria, & pace in regno componenda, quiete & pacificè conuenire. Quod si nullatenus ceßare voluerit, proclamationem inde fecimus, & semper facimus, Deo, & sanctæ Mariæ, & beato Petro Patrono nostro, & omnibus Sanctis, & omnibus Christianis, & vobis maximè, omni deuotione precantes, vt dignemini cessare eum prosequi ad persecutionem tantæ iniuriæ, & vos eum imitari.

Appellauimus & tertiò appellamus Dominum Romanum Pontificem Paschalem, & sanctam & vniuersalem Sedem, & Romanam Ecclesiam.

Quod si hoc tantum nobis, & ad hoc, vt ipse cesset nos persequi, prodeße non poterit, committimus nos omnipotenti Patri & Filio sanctoq; Spiritui Paracleto, & beatæ Mariæ perpetuè Virgini, & beato Petro & Paulo, & Sancto Lamperto, omnibusque Sanctis, vt diuina miseratio, omniumque sanctorum intercessio, humilitatem nostram respicere, nosq; contra tantum tamq; iniuriosum Imperium defendere dignetur, Amen.

Dimissis legatis, *inopinata*, ait Vspergēsis, *& qua nihil acceptabilius castris illis inferri posset, fama mortis ipsius Henrici Imperatoris subsequitur. Miserabile tamen dictu est tanti nominis tantæ dignitatis, tantiq; animi virum sub professione Christiana mundum tanto tempore lucratum, nec ad instar cuiuslibet pauperis defuncti pium vel compassiuum luctu à quauis inter tot Christianos persona promeruisse, sed potius vniuersorum tam ibidem quā ibiuis verè Christianorum corda simul & ora infinito nimis tripudio sui oblitos rumore replesse. Non altius concinebat Israel Domino Pharaone demerso, nec augustiori ipsi Octauiano, siue vllo vnquam Augustorum applaudebat Roma triumpho. Frenum quippe, quod erat in maxillis populorum, versum est illis in canticum, sicut vox sanctificatæ solemnitatis. Igitur, quia cessante tandem exactore quieuit, & tribulatum, mox omnes qui quæstus dumtaxat gratia, eidem Principi eatenus adhærendo, suas animas venalitati proposuerant, deditioni regis simul & communioni catholicæ subijciuntur. Leodiensis autem Episcopus, cæteriq; coepiscopantes hac, inter cætera recipiuntur in communionem pœnitentiæ, conditione, quo cadauer ipsius excommunicati, per se pridie in Monasterio tumulatum, effoderent: & absq; vlla sepulturæ vel exequiarum communione in loco non consecrato deponerent, comprobantibus his, qui aderant Archiepiscopis, & Episcopis, quia quibus viuis Ecclesia non* CCC. Hērici iv mors.

com-

Sal. An. 1106. *communicat, illis etiam nec mortuis communicare possit. Quo facto, paulo post corpus ipsum Spirensi ciuitati est in sarcophago lapideo regis consensu delatum, siq; extra Ecclesiam ibidem per quinquennium mansit inhumatum.*

Referunt alij, inter quos *Sigonius*, prælio victum, pulsum, ac comprehensum à filio fuisse insuper graues ab inimicis tunc passum contumelias. Vnde actum existimans de dignitate sua, eò necessitatis ac miseriæ venit, vt ab Episcopo Spirensi victum sibi dari apud Spiram in æde Dei genitricis à se constituta peteret, dicens se haud inutilem Clericum fore, quod & litteras calleret, & choro inseruire eggregiè posset; neque id impetrauit. Vnde ad astantes conuersus, suspirans dixit. *Miseremini mei saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Atque aliquot post diebus, ingenti dolore confectus moritur: eius cadauer extra templum stetit insepultum, vsque dum An. Sal. MCXI. *Henricus V.* patrem excommunicationis vinculo solutum Spiræ, insigni pompa funebri terræ mandari curauit.

EPITAPHIVM.

SEXAGENA DVO COMMISI PRÆLIA: MAGNI
I NVMERA PVGNAS TOT MIHI, ROMA, TVI.

Christoph. Manlius.

Hic finis, hic interitus, hæcque sors vltima Heinrici illo sub vocabulo IV. Romanorũ Imperatoris à suis appellati, à catholicis vero, idest cunctis, beato Petro suisque successoribus, fidem & obedientiam lege Christiana conseruantibus, archipirata simul & heresiarcha, necnon & apostata, persecutorque plus animarum quod corporum competenter dicebatur, vtpote, qui nec naturalibus, nec consuetudinarijs contentus sceleribus, noua & à sæculis inaudita, ideoque nonnulla incredibilia excogitasse, & exercuisse infamabatur. Quæ si quis illorum arbitratu, qui tam perperam quod rectè ab Imperatoribus gesta, literis digna iudicant, scribere velit, non loco cedimus, maximè cum aliqua ex his obliuione potius quod memoria digna non dubitemus. Pluribus autem testibus comprobare poterimus, quod nemo nostris temporibus, natu, ingenio, fortitudine & audacia, statura etiam totaque elegantia corporis videretur fascibus imperialibus ipso aptior, si tamen in conflictu vitiorum homo non degeneraret, vel succumberet interior. Porrò cum non pauci supersint, ijdemque in sublimitatibus constituti, quos operum eiusdem viri cooperatio redarguit, vnum est, quod licet nimis timidi suggerimus, quatenus ipsum condemnationis eius exemplum sibimet in remedium vertant, nec honoris prauè consecuti florem, sed semen attendant, satiusque ducant malis plantarijs eradicandis insudare, quod fructum inde perpetuæ mortis in futurum capere. Alioquin desipere nimis est vulnus ferro plenum sanari, credere Deo, simul & mammonæ deseruire velle, monstrique simile est ex Pharisaicæ elationis fastigio, ipsoque vt dicunt, mercede sacrilegorum ascenso, Apostolicæ humilitatis dignitatem vsurpare, ab apostasiæ semine, fructum hierarchiæ sperare.



LIBER XIX.

CAPVT PRIMVM.

HENRICVS V. IVNIOR OCCIDENTIS IMPERATOR XIX.

1 *Henricus V. Zelotypus in vxorem 4. Hieroglyphicū.6.spoliat patrē imperio.7.simulat pietatem.7.carceri dat patrem 8.Ecclesiæ reconciliatus,filio obstante,imperium non redimit 9. Fulmine percussus in pede.10.Cometā ei prædicitur clades Italica. 11. Romanos deludit idiomate Theutonico.12.pactū restituendi sacra, si ibi restituantur regalia. 13.vulneratur in facie,& aure.14, carceri dat Papam,& extorquet priuilegium inuestiendi Episcopos. 15.impetrat sepulturam patri.17.cogit Episc.Vvirtzburg.coram se celebrare.18. Romam populatur 19.coronatur inuito Clero Romano.20.Antipapam intrudit. 22.Ecclesiæ reconciliatur.23. Rhemos obsidet.24. mortem spreuit.*

2 *Petri Dani iocus infaustus.3.Lusus sit inter pares. 16.Gelasij Papæ fides,constantia.*



I. Enricus vxoris laborans Zelotypia, cum in sylua, quò cum *Petro dano Comite Scrinnensi* venatum pergerat, vbi totum diem persequendis feris defatigati, circa vesperam ad focum cōstructa è cespite mensa, pane & aqua fontana refecti, humi stratis penulis cubituri erant, *Henricus* domesticarū lautiarum, recordatus: ioco *Petrum* appellans: *Mollius*, inquit, *nunc vxor tua cubat cum Abbate Scrinnensi*, quàm nos. Petrus contra vt iocum ioco retunderet: *Fortasse*, inquit imprudens, *& tua cum Dobesso*. Erat iste iuuenis ex equestri ordine, non inelegans, quo familiarius *Mathilda* vxor *Henrici*, vtebatur. Obstupuit Cæsar, & tacitò murmurans, Regiam illicò repetit: Dolore inde & solicitudine agitatus, an liberiori *Petri* dicto, vel crimine vxoris offensus, coniugi rē aperuit, Mulier tum furibunda, & honoris, vel læsæ conscientiæ stimulis flagellata, dolo, minis, blanditiis non destitit, donec captiuo iam *Petro* linguam præcidi, & oculos effodi *Henricus* mandaret. Hæc est alea, quam sortiuntur in aula, qui dicteriis, vel iocis cum maioribus suis audent decertare. Numquàm faustus est lusus, vbi non Fortunæ arbitrio; sed Potentiæ alea comittitur. Potioris deteriora natura submisit. Certant astra, ludunt elementa, volitant aues, salteilant pecudes, III. *Ne cum impari ludus.* obludunt bruta, sed ludicro fine separantur saucia, & vlulantia recedunt. Canis, qui euisceratus iacet coram Leone, qui blandiendo, lingendo, timorem simulando, morsus patiēdo, sed suæ recordatus fortitudinis, quasi pertæsus Maiestatē suā inquinasse impari ludo, canē discerpit vnguibus, dilaniat dētibus, vobis aulici sit exemplū, quos *Canes* appellabat *Tiberius*, non ludere, vel ludere inter pares. IV.

Alij hoc factum Hungarorum Regi tribuunt.

II.

ALLVSIO AD HIEROGLYPHICVM.

I.

EXierat studio venandi Henricus ab Vrbe,
Cum socio: Comes hic nomine Danus erat.
Vmbra fatigatos susceperat arboris ambos,
Atque ibi certabat septus, vterque iocis.
Hinc ait Hēricus: tua nūc, Comes, vxor amicū
Abbatem in thalamo, fertque, fouetque tuo.
Cui Comes arridens, quin quin & regia coniux
Cum Comite in thalamo visa cubare tuo.
Linquitur inde nemus, paritérq; reditur in Vrbē,
Sed Comes incolumis non fuit ille diu.
Truncus at in media iacuit proiectus in vrbe,
Effectusque ioci seria pœna fuit.
Maiori ne allude minor. Canis ille Leoni
Ansa iocantis erat, præda vorantis erit.

P.Franc.à S.August.Macedo Lect.Pat.

II.

NOn bene cōueniūt, lusus simul atq; facultas
Lædendi, tunc res plena timore iocus.
Si sapis imparium caue consuetudine; nā tunc
Sæpe Sales mixti luctibus esse solent.
Indulget Canis atque Leo, dum lusibus, ipsā
Cum lusu vitam perdidit ille simul.

Io.Fran.Franzinus S.Theol.D.

III.

AVlicus, et Prīceps; via quos īcerta fefellit;
Dum recubant, tales Rex dedit ore, Iocos.
Nos sumus in pratis. Forsā mi dare, Scrīnēsē,
Coniuge cumque Tua, molle cubile fouet.
Danus in Henricū, dū scōmate, scōma retūdit;
Num Tua Dobessum sic fouet Vxor, ait.
Mathildi hoc retulit; quæ Danū dānat, et ipsū,
Ex lingua, ex oculis, soluere damna, iubet.
Extrà Tu propriam nè pergas Aulice, Sphærā;
Vndiq; post ipsam, vasta vorago latet.
Stat Canis, & latrās, ioculatur in ora Leonis;
At Leo colludens, iam petit vngue, Canem.
Discite cultores Aulæ, non ludere Reges:
Vitio, supplicium, dona laboris, erit.

M.Anton.Moles Neapol.S.Th.D.



HENRICVS V. IVNIOR

OCCIDENTIS IMPERATOR XIX.

Sal. An. 1106.

VI. *Excommunicatū patrem spoliauit imperio.*

Tyrannum, an *Regem* dices
Iuniorem Senioris Henrici *Henricum* filium?
neutrum, sed *parricidam*.
Breue epicedium, vbi deficit epinicium.
A spolio auspicatus paterno,
Tyrocinia scelerum ibi posuit, vbi Nero magisterium.
Romanæ Sedi cum deesset carnifex,
Se in patrem obtulit filius.

VII. *Pietatem simulat erga Romanū Pōtificem, vt coronā imperij acquireret.*

Paschalem insimularem Pontificem
Qui in patrem armauit filium;
Ni *Christi* esset
Separare filium aduersùs patrem, & filiam aduersùs matrem.

VIII. *Henricus V. recōciliatus Ecclesiæ à filio imperium nō redimit.*

Dolosus Vlysses
Virtutis larua surripuit laurum
Nec patrem prodidit, sed tradidit pœnitentem.
Semper discors
Cum vitam negat Ecclesia, ipse vitam

IX.

Nolens quàm in carcere regnare parentem.
Fulmine percussus in pede, sanasset caput
(*Quod in compedibus alligentur Reges,*)
Si ex vulnere se nouisset hominem;
Sed nouus Tiberius irrisit fulmina Iouis.
Quos cingit Regia laurus,
Eos concutiunt fulmina Regia.

X.

Fert Aquila fulmina Dei, sed inse primùm. 1108
Hungaros, Polonos aggressus, regressus, tulit infamiam
Prolusio hæc fuit cladis Italicæ;
Quam, vt clarius *Cælum* spectaret

Cometa apparet.

Noua lumina accendit, crines Astrorum incendit;
Ad spectra, siuè spectacula siste viator,
(Germana Vulpes Lupam vincit Romanam, 1110

XI.

Absque periurio Romanos peierat honores:
Et Latio interrogantem idiomate,
Germano ludit, deludit.

XII. *Paciscitur, vt sibi restituantur regalia: ipse vero inuestituras Episcoporum restituat. Sed Episcopi decretum reuocarunt.*

Pactus cum Pontifice 1111
Quæ Cæsaris, darentur Cæsari, quæ Dei Deo:
(Nec iustius Iupiter pacisci poterat)
Euangelio Præsules non steterunt.
Digni quia vtrumque vellent, vtrumq; perderent.
In criminibus, non in possessionibus potestas vestra;

XIII. *Tumultus aduersus Cæsarem, in quo vulneratur in facie & in aure.*

Peccata dimittite, non diuidite prædia.
Sed prædia, & prælia vsurpantes Episcopi
Amputarunt auriculam Cæsari,
Qui saucius, & vindictæ satur

XIV. *Extorquet priuilegium inuestituræ à Pontifice, quē vinculis dederat, & dictum est Prauilegium.*

Pontificem, & Ecclesiam in carcerem remeauit.
Nec manumisit quàm *Inuestituræ* priuilegio, seu *Prauilegio.*
Sic iustus iusta manibus impetrauit,
Et Patrem communis condidit sinu Parentis

Ne

Ne ſuperba mors oſtentaret Cœlo trophæa.
Vel ſuſpectum habens etiam in cinere patrem,
Poſtquam inſultauit viuo, conſuluit mortuo.

XV. *Impetrat patri ſepulturam.*

Violentia Pia,
Si tantùm mortis ſuſtuliſset triumphos
Ligone tentans terram effodere ſacram,
Mortuum ſoluit, ſe viuum illigat.
Etſi Papa pro eo eſset, qui omnia ſoluit,

XVI. *à Promiſſis Hĕrico factis Paſchalis Papa nũquam receſſit.*

Is hoſti nè fidem falleret,
Cæſarem remiſit Deo,
Quem Gentili more Henricus in ara catenare tentauit,
ne fugeret;
Sed vnà cæderent, vel cederent.
A Saxonibus victus, à Moguntinis fugatus,
Nouus Saul

XVII. *Vvirtzburgenſem Ep. cogit corã ſe celebrare Henricus.*

1115 Antiſtitem vinxit, ſacrificare iniunxit, nil extorſit,
1116 In Domo Petri Chriſtum quærens, & non inueniens, diripuit,
Sed ſacro in ſpolio coronam amiſit, & palmam.

XVIII. *Romã populatur.*

1117 Repetenti negauit populus, reſtitit Clerus, receſſit Pontifex:
Ex gelido euocatus eſt ſolo, qui Cæſarem coronaret.

XIX. *Bracarenſis Epiſc. fuit, qui Cæſarem coronauit.*

Paſchalis
Ne conſpiraret, ſpirauit, vt interſpiraret in Cœlo
Nouum quærens *Henricus* in Papam, Antipapam.

XX. *Henricus ex Hiſpania* Burdinum *Antipapam euocat contra Gelaſiũ Papam.*

Ex vltima Tule monſtrum tulit
1118 Cuius aſpectus Gallum, Aquilam, ſeipſum exterruit,
Et cum acceſſit, receſſit
Gelaſius, Burdinus, Henricus,
Fugientem Pontificem Caieta exceperat
Patria patrem;

XXI.

Inde in Galliam velificauit, & portum tenuit,
Cum annum regnaſset.
Gelaſio ſucceſſit *Calixtus*,

XXII. *Iura Eccleſiæ reſtituens Henricus, abſoluitur.*

1122 Qui ſacrum bellum auſpicatus à pace,
Cæſarem abſoluit, qui Eccleſiam ſoluerat, & *Rhemos* cinxerat;

XXIII. Rhemos *obſidet in vindictam, quia ibi fuerat excommunicatus. Ibi verò aſſeruãtur Lipſana S. Dioniſij.*

1124 Hoc vnum *Henricus* fecit optimè, & ſimul peſſimè,
Arma ferre, vbi erant Cœlites in præſidio,
Regnum Cœlorum vim patitur, ſed pœnitentiæ.
Hanc ſerò ſapit,
Quia *Iunior*, & in aula, maturè dicas,
Mors eum ſuſtulit,

XXIV. *Henrici ſymbolũ.*

1125 Sed in eo victa, qui ſemet vicerat,
Mortemque oppetere malum (dixit) *timere peius.*

CATENA HISTORICA.
CAPVT SECVNDVM.

1 *Henrici Iunioris. V. Imp. natalia. 2. 1. vxor 3. pietatem ſimulat, vt patrẽ exuat imperio. 4. Papam inuitat in Germaniam. 9. Saxoniam dat Comiti Ludero. 11. in Concilio Trecenſi de priuilegio electionis Epiſcoporũ, quidquam definiri non patitur. 12. mouet in Rupertum Comitem Flandriæ. 16. mouet iterum in Flandros ſed fruſtra. 17. in Hungaros. 18. in Bohemos, & Polonos. 25. inſtigante vxore damnat Petrum Danum ob dictum iocoſum. 28. in Italiam deſcendit. 31. Nouariam capit. 33. cauſa diſcordiæ cum Papa. 34. paciſcitur cum Papa de reſtituenda inueſtitura Epiſcoporum, ſi ei*

HEN-

An. Sal. 1106.

I. *HENRICI NATALIA, NOMEN.*

EX patre *Henrico IV.* & *Berta* Ottonis Marchionis Italiæ filia nascitur *Henricus V.* Salut. Ann. 1080. *Iunior* dictus est; *Henricus* verò pater eius *Senior.*

Vxor.

II. VNa illi fuit *Mathildes* filia *Henrici* Regis Anglorũ, ex qua sobolem non suscepit masculam: nam fœminam legitur habuisse Christinam nomine.

IMPERII OCCVPATIO.

III. PArricidio paternum arripuisse imperium nè dubites *Henricum V.* quum specie pietatis in Moguntino conuentu lacrymas dedit, testatus Cœli Dominum, pro matre Ecclesia se opponere terreno patri, vt eum deturbaret imperio. Quod assecutus, rem nihilo fecit meliorem. Eadem namq; impietate, & maiori sæuitia, Summum Pontificem cum Cardinalibus captum, Roma extraxit, mortem minatus, ni votis eius subscriberet. Ex auctorato Patre; ab Vniuersis Germaniæ Principibus, in Regem eligitur, & ab Apostolicis legatis per manus impositionem confirmatur, acceptis tam ab Episcopis quàm à laicis principibus, iuxta morem regni, Sacramentis. Missi sunt posteà ad S.Rom.Eccles. Legati, qui de obiectis ritè rationem redderent, & de incertis inuestigarent, vt Ecclesiam repararent ruentem. Separantur in hoc opus viri sapientia pleni, spiritu, dignitate, natalibus, & eloquentia præcipui. *Bruno* Treuerensis à Lotharingia: à Saxonia *Henricus* Magdeburgensis: à Francia *Otto* Bambergensis: à Bauaria *Eberhardus* Eystetensis: ab Alemannia *Gebehardus* Constantiensis: à Burgundia Curiensis Episcopus. nonnulli etiam nobiles de latere Regis, laici: In mandatis hoc eis præcipuè datum, vt si fieri possit, domini Apostolici præsentiam Cisalpinis regionibus solicitent exhiberi. Non restitit Paschalis Pontifex. Sed in Germaniam descensurus, ad Padum fluuium peruenit, vbi Concilium

Pietatē simulat Henr. V. IV. *krantz. 6 Metrop. c. 36.*

Paschalis Papa inuitatur in Germaniam. V. *Krantz. lib. 5. Sax. c. 21.*

celebrauit, in loco qui *Vuarstallis* dicitur: vbi adstantibus legatis *Henrici V.* acta *Gregorij*, *Vrbaniq;* de collatione Ecclesiarum probauit: multos, Ecclesijs ab *Henrico* sene collatis, nudauit, alios ornauit, nonnullos etiam confirmauit. Rauennatis Archiepiscopi vt insolentiam comprimeret, Bononiensem, Mutinensem, Regiensem, Parmensem, & Placentinum Episcopos, eius obedientia exemit. His orientis auroræ, ait *Vspergensis*, iucundati splẽdoribus Alpem transcendimus de Apostolici aduentu securi, qui Moguntiæ Natalem Domini celebraturus esset. Conuentu peracto, Parmam cum *Mathilde* processit; Veronam indè, vt Augustam contenderet. Ibi de *Henrici* animo à remittendis, vt sperabat, Ecclesiarum institutionibus, abhorrente, certior factus mutato consilio in Franciam iter flexit *Philippi* Regis imploratum tutelam, ac conuentu Trecas indicto Alpes hyeme asperrima superauit; & Natalitijs in Burgundia apud Cluniacum actis, ingenti ab omnibus honore acceptus Trecas peruenit. Moritur hoc anno *Magnus* Dux Saxoniæ sine hæredibus masculis. Vnde *ab Imperatore Saxonia data est Ludero Comiti de Suppleburg, qui postea factus Imperator, dictus est Lotharius II. Reliquit Dux Magnus duas filias, quarum vna Elica nupsit Comiti Ottoni de Ballenstet, quæ ei peperit Henricum Catulum, patrem Henrici Leonis Ducis Magni, & Vuelphonem Ducem Horicorum, & filiam Icutam, quam duxit Fridericus Dux Sueuiæ, quæ peperit ei Fridericum primum.* Chron. Citizensem. Agebat tum *Henricus* apud Goslarienses Saxonum conuentum, vbi à tempestate, crebrisque fulminum ictibus vix euasit. Cœlestis ignis ensem regium perstringens, mucronem cum baltheo assumpsit, clypei interiorem ex corio contextum in rugas contraxit: vulnus grandiori regij pedis digito inflixit, quod nulla medicorum arte potuit sanari: forsan vt incessanti murmure parentis repeteret casus, quos non dissimilia portenta prænuntiauerant.

VI. *Concilium celebrat.*

VII.

VIII.

CONCILIVM TRECENSE. *Salut. Anno 1107.*

IX. TRecas postea cum accessisse Pontif. Paschalem accepisset; ibique à Philippo Francorum Rege honorificè receptum, & post pedum oscula. S.Romanæ Ecclesiæ arma sua obtulisse *Philippum*, & ipse relicta Augusta, vbi Paschalem aliquandiu expectauerat, Moguntiam, vt propriùs à conuentu abesset, venit; qui ad Ascensionis X.

Sal. An. 1108. solemne actus est. In eo cum alia multa Ecclesiæ detrimenta sarcita, tum Ecclesiarum collatio rursùs ingenti consensu laicis est adempta. Cui decreto *Henricus* statim per
XI. legatos honorabiles intercessit: & vniuersæ synodo potestatem constituendorum Episcoporum priuilegij, Apostolicis *Carolo* Imperatori concessam, notificauit: Et quamuis in ea quæstione foret aliquid statuendum, iniquum tamen, vt de iuribus imperij, alieno in regno disceptatio susciperetur. Datæ propterea induciæ sunt in sequentis anni spatium Romam veniendi, vt his futuri Romani Concilij sopiretur iudicio. Papa verò necdum humilitatem, quam quæsiuit, Germanicis in cordibus inuenire se satis conquestus, nequaquam vt proposuerat, visitare, sed finibus Italicis se, comitatumque
XII. suum disposuit referre. *Rex verò Orienta-*
Mouet in Flandros. *libus redditus, colloquium Ratisponæ cum Baioarijs, in quò expeditionem versus Flan-*
XIII. *driam contra Rupertum instituit. Qua circa Octobrem mota, terram rebellium ingressus, non sine graui exercitus sui dispendio, per vnum & amplius mensem vastat, donec* Vsperg. *per internuncios res ad proximam curiam dilata, litem separat.*

Iuuabant Cęsarem Hollandi sub regimine *Comitis Florentij II.* aduersus *Robertum* Flandriæ Comitem, qui ducta *Gertrude* vidua *Florentij I.* Hollandis, Frisijsque præfuerat tutorio nomine *Theoderici Domicelli* filij *Florentij*: nunc ab eo reposcentes, quæ tutelæ tempore vsurpauerat. Eodem tempore *Henricum Lenyburgensem*, cuius dolo inter *Henricos* patrem & filium dissidia gliscebant, modò patri, modò filio inclinantem, XIV. Cæsar custodiæ tradidit, sed cum per industriam fugeret, Ducatu priuatur Lotharingiæ, quam *Godefrido* comiti Louaniensi Cęsar tradidit custodiendam. Rem strenuè gessit *Godefridus*, prope Aquisgranum in Sigebertus. *Lenyburgensi* congressus, palmam tulit, & rerum hominumque opima spolia. Inter quos *Henrici* vxorem, sed fœminam capere indignum ducens, remisit cum nobilioribus, quos fidelitatis præstito iuramento, constrinxit, nè aduersùm se militarent.

ITALORVM TVMVLTVS. *Sal. Ann.* 1108.

XV. NOuum *Henrici V.* regnum (ait *Sigonius*) Libertatis auspicium cum Italis esset; Mediolanenses primùm, eorumque exemplo cæteri libertatem luxuriantes, controuersias, quæ Regis componi solebant arbitrio, armis disceptare instituerunt, suam singuli auspicati Rempublicam; diuersas diuersi meditantes leges, & gubernationis arcana, non tam pacifica, quàm castrensia. Primi, qui post redemptam libertatem bello certarent, *Derthonenses* fuere cum Papiensibus; sed cum viribus se impares cernerent, ad Mediolanensium auxilium confugerunt. Ex aduerso Papienses, & ipsi Laudensium, & Cremonensium copias acciuerunt. Quibus freti, traiecto Pado, fusoque Derthonensium exercitu, qui se ingredientibus fines obiecerant, omne Derthonam bellum compulerunt: ac prælijs aliquot cum Mediolanensibus prosperè factis, suburbijsque ipsis per Augustum mensem incensis, domum recesserunt. Anno verò sequenti, furore Duce, nullis accitis auxilijs, in fines Mediolanensium irrumpentes, ab his in fugam versi, plerique eorum vnà cum Episcopo capti, atque in custodias dati sunt. Inde in forum producti, succensis ad vestium oras palearum, ignominiæ causa, manipulis, incolumes domum dimissi. Hæc in Italia.

HENRICVS V. IN FLANDROS, ET HVNGAROS MOVET. *Ann.* 1108.

XVI. DVm in Flandria aduersùs comitem *Robertum* arma renouat Imperator. Cum eo Hollandi, Hannonesque communi animo iunxerant copias, res à Flandro repetitum ituri. *Ipse Alostenses, & quatuor officia: Hollandi Zelandicas Insulas: Hannones non solum Duacum, sed totam à Roberto repetebant Flandriam. Quibus omnibus si parendum fuisset, vitam Robertus priuatam viuere debuisset. Sed longè secus, ac rebantur, res cessit. Robertus, Orientis domitor, nihil Cæsarianas timebat minas; & Flandri tali Duce inuincibiles prorsùs videbantur. Henricus, nulla re memorabili gesta, retrò abijt inglorius; paceque ad Natalem Domini, Maguntiaci facta, Duacum, Augusti, etiam permissu, Flandrus retinuit.* Megerus *Annal. Fland. lib.* 4. *Anno* 118.

Si-

Sal. An. 1109. Simili dissidio laborabat Pannonia, mortuo *Ladislao*, qui à Christianis Principibus
XVII. Dux Sanctæ expeditionis pronunciatus fuerat,
Tumultus Vngaricus. sed fato præuentus, victoriæ palmam nobis eripuerat; Colomannus successit, qui sacrę expeditionis nec Dux, nec Comes esse voluit: in fratrem mallens, quam in tyrannum, stringere ferrum: fortè quia dulcior est charorum sanguis, quàm barbarorum. Eius frater *Almus* nomine cum sub Rege Ducatum gereret, regni gubernacula cum fratre deposuit; ignarus etiam, & cæcus, priusquam ei *Colomannus* erueret oculos, sceptra ab armato Rege non armatus reposcens. *Colomannus* enim *Almo*, *Belæq*; *Almi* filio oculos eruit, vt viam ad solium præcluderet. *Almus* tunc ad *Henricum* Imperatorem querelis plenus descendit, obtestans, vt iniuriam suam armis secum vindicare contendat, quod idem quoque *Colomannus* Romanorum finibus grauis immineret. Rex facilè in sententiam trahitur: grauem in eam *Henricus in Vngaros.*



XVIII. expeditionem ducit exercitum. Sed ea fuit
Vsperg. hostium præparatio, vt nihil proficeret,
Krantz. Sax. 5. c. 30. sine magno fructu, non minimo detrimento, post morosam, & cassam obsidionem castri *Bresburg*, reduxit copias. *Colomannus* tamen supernam nequiens fugere Nemesim, morbo non humano correptus, per aures cerebrum effudit, & vitam.

HENRICI V. EXPEDITIO IN POLONOS. NVPTIÆ. *Ann.* 1109.

XIX. HVngarica expeditione remissa, post Francofurti comitia, (vbi *Sigefridus* Comes, quod in necem *Henrici Lotharingi* iam in gratiam recepti conspirarat, in carcerem Episcopo Herbipolensi traditus est custodiendus) Poloniam tributa negantem
XX. magno armorum ingressus apparatu, coegit: recepta Clade; pacem potiùs accepit, quàm dedit, omisso Bohemiæ Duce, cuius machinatores, occupata Praga, ditionem inuaserunt. Expedito verò præmisso agmine, Cæsar, dum ipse cum toto exercitu insequitur, qui præiuerant fœliciter rem peragentes, capta Praga, hostium Ducem Regi occurrentes, pertrahunt. Indè de successore cogitans, Imperator *Henrici* Anglorum Re- *Occiditur Dux Boemiæ.* XIX

Sal. An. 1110. Mathildem Angliam Cæsar despondet. Polyd. Virg. lib. 11. Dos filiæ Regis.

gis filiam, *Mathildem* in vxorem poscens nondum nubilem, obtinuit: quam An. 1114. Moguntiæ sibi copulauit: *Rex causa dotis illi dandæ, tributum iugeratim, hoc est per singula iugera terræ, soluendum populo indixit: ex quo vbi multum pecuniæ exegerat, puellam cum grandi dote, ad virum primo quoque tempore deducendam curauit. Secuti sunt istud institutum quærendarum dotium ad collocationem filiarum, cæteri deinde Reges, adeò posteritas suorum commodorum tenax semper fuit.* Polyd. Virgil. Ex ea nullam tulit

XXII. sobolem Imperator; maternæ imprecationis forsan non expers filia. *Mathildis* enim mater, cum inuitata matrimonio obstrin-

XXIII. Mathildis incontinentia. geretur, velut acta furore maledixerat Hirpi generis ac feminis, quæ ex suo ipsius corpore produceretur. Mortuo marito, varijs anteà iactata fluctibus, in Angliam ad patrem redijt, & ex eo Cæsaris thoro, vt sunt mulieres honoris appetentiores, Augusta voluit nominari. *Sunt qui tradant* (ait Polydor. Virgil. lib. XI.) *eam à viro adhuc viuo ad patrem confugisse, atque Gaufredo familiæ Andegauensium Comiti, qui ex ea filium nomine Henricum suscepit, qui postea regnum Angliæ obtinuit*: nupsisse, à *Gaufredo* etiam diuertisse *Mathildem* auctor est idem *Polydor. Virgilius*, Anno 1131. prostratæ forsan rumore pudicitiæ, quia ex *Stephano* consanguineo suo *Henricum* enixa esset, priusquam *Gaufredo* nuberet. *Polydor. lib.* 12. Sunt, qui dicant vnicam filiam *Christinam* nomine ex *Henrico V.* peperisse, quæ

XXIV. nupsit *Vladislao II.* Polonorum Regi: quem incitauit, vt intestinum cum fratribus bellum gereret: à quibus oppressus, inops in Germaniam profugit, *Conradi III.* Imper. implorans auxilium. Vxor verò *Christina* cum liberis paruis regni finibus est eiecta. Hæc author fuerat (teste *Cromero lib. 6.*) tra-

XXV. gicæ calamitatis *Petri Dani*, Scrinnensis, qui Regi admodum familiaris erat. Alij non *Christinam* filiam, sed eius matrem *Mathildem* auctorem faciunt; fama impudicitiæ, qua, vt supra diximus, laborabat. Venatum ierat *Henricus V.* in remotas syluas, eum comitabatur *Petrus Danus*; tota die defatigati, circa vesperam ad focum constructa è cespite mensa, cum se pane & aqua fontana refecissent, iamque humi stratis penulis cubituri essent, *Henricus* domesticarum lautitiarum & mollium stratorum recordatus, ioco *Petrum* appellans: *Mollius* (inquit) *nunc vxor tua cum Abbate Scrinnensi cubat, quàm nos:* Petrus contra, vt iocum ioco retunderet, *Fortasse* (inquit) *& tua cum Dobesso*. Erat autem *Dobessus* iuuenis ex equestri ordine non inelegans, quo familiariùs *Mathildes Henrici* vxor vtebatur. Tetigit id dictum Regis animum, & sermonibus iocisque finem fecit: vultu verò nè postea quidem satis solicitudinem dissimulauit: incertum liberiori ne dicto *Petri* offensus, an crimine vxoris. *Mathildes* vbi tristiorem cogitabundumq; præter morem maritum reuersum animaduertit, sciscitatur causam? dissimulat aliquandiù, victus tandem *Henricus*, animi vulnus detegit.

Mulier furibunda vltionem quærit: Subor- XXVI.
nat *Dobessum* probri infamia irritatum, & bonorum *Petri* pollicitatione illectum, vt eum capiat, vel de medio tollat. Obseruat *Dobessus*, vt fraude opprimat incautum. Fortè *Petrus* nuptias filiæ desponsatæ Iaxæ Serborum Duci, Vratislauiæ parabat. Eò se *Dobessus* magno comitatu confert, & securum nihilque suspicantem *Petrum* conspicatus, dum ministri circa apparandas nuptias satagunt, correptum, celeriter paratis, & adhoc dispositis æquis asportat, ad Regem adducit. Diù quid cum eo faceret *Henricus*, animi dubius fuit, hominis reuerebatur dignitatem, gratiamq; popularem. Contrà instabat *Mathildes*, si *Petrus* dimitteretur impunis, acerbiorem hostem Regi fore, illa exacerbatum iniuria. Vbi maritum cunctari videt, minatur se ab

eo discessuram, vbi impunè probro pro- XXVII.
stitutæ pudicitiæ afficeretur. Vicit tandem, vt indicta causâ *Petro* lingua præcideretur, & oculi effoderentur. Non minus exigere poterat fœmina amore, ac furore concitata.

HENRICVS V. IN ITALIAM DESCENDIT. *Sal.* 1110.

Ratisponæ cum Principibus Italia expeditione decreta, vt Coronam Imperialem de manu Pontificis susciperet, & la-

tas Italiæ *prouincias in societatem regni Ger-* XXVIII.
manici fraterna pace, & legibus componeret antiquis; insuper ad omnia, quæ defensio po-

sce-

Ann. 1106. sceret Ecclesiastica, ad nutum patris Apostolici se promptu demonstraret. Arrectis animis omnium ad votum piè prouidi consulis, & indubitati iam patriæ amatoris vir esse non crederetur, qui à tam virilis negotijs consortio se subtrahere conaretur. Itaq; Sacramento nimis voluntario in idipsum qui aderant; consentiunt. Rex alacer de huiusmodi expeditione per singulas Germaniæ Prouincias instan-
Cometa. ter tractare non cessat: & licet tenente quorundam animos ortu cometæ syderis infausti, per sex ferè mensium inducias regia munificus liberalitate datis vbique inæstimabilis pecuniæ stipendijs, circa Augustum moueri vndique exercitum imperat, alijs secum per montem Iouis, alijs per vallem Tridentinam Alpem transcendentibus. Prouiderat autem Rex nulli à seculo Regum in omni prouidentia, secundus, sciens Romanam Rempublicam olim non tantùm armis, quantùm sapientia gubernari consuetam, se non solum armatis, sed etiam literatis viris necessariò mu-
XXIX. niti, paratis scilicet ad rationem omni poscenti reddendam. Inter quos claruit quidam Sco-
Dauid. tigena nomine Dauidi quem scholas Vvirciburg regentem, pro morum probitate Rex sibi capellanum assumpsit. Hic itaque iussus à Rege, totam huius expeditionis seriem, rerumque in illa gestarum, stilo tam facili, qui penè nihil à communi loquela differat tribus libris digessit: consulens in hoc etiam lectoribus laicis, vel alijs minus doctis, quorum hæc in-
XXX. tellectus capere possit. Quæ omnia subdora-
Paschalis Papa se munit aduersus Imper. tus (ait *Petrus Diacon. lib. 4. Chronic. Cassin. cap. 37.*) Paschalis Pontifex, quo potuit, studio cuncta quæ expedirent ad imminentem cladem anteuertendam comparauit subsidia. Imperator verò superata montium asperitate *Eboreium* peruenit. Alter exercitus, captis anteà quibusdam castellis, apud Viruncalia vti condictum fuerat, post expu-
XXXI. gnatam ab ipso Nouariam, ipsum lætanter excepit. Inde traiecto Pado, Placentiæ castra metatus, munera copiosa à ciuibus re-
XXXII. cepit. Non dissimiles se exhibuere Parmenses, vbi *Mathildem* sibi obsequentem suis donauit priuilegijs. Currebant interim vltro citroq; legati, vt pacem firmarent, priusquam Cæsar Romam irrumperet.

XXXIII. Præcipua discordiæ causa ea erat (ait *Sigebertus*) quod iam per trecentos & eò amplius annos Imperatores ex priuilegio & consuetudine *Carolo Magno*, & successoribus indulta, *dabant licitè Episcopatus, & Abbatias per annulum & per virgam. Contra hanc maiorum authoritatem censebant Papæ synodali iudicio, non posse nec debere dari per virgam vel per annulum Episcopatus, aut aliquam Ecclesiasticam inuestituram à laicali manu: Et quicumque ita Episcopatum, aut aliam Ecclesiastici iuris inuestituram, accipiebant, excommunicabantur. Propter hanc præcipuè causam Rex Romam tendebat.* Eo antequam perueniret, Sanctum, & Apostolicum Imperatori obtulit Pontifex pactum, quo Sacerdotium & Imperium ad concordiam reuocaret. Sequens fuit, (ait Petrus Damianus) *Vt Imperator die coronationis suæ omne malè vsurpatum Ecclesiasticum ius in manibus Pontificis, astante Clero, & populo, per scriptum deponeret: cum hoc ipsum Papa de negotijs regalibus fecerit, idque Sacramento firmaret.*

Discordiæ causa inter Papam & Imperatorem.

Lib. 4. chron. Cassin. c. 37.

XXXIV. Pacta conuenta inter Regem & Papã.

Dimitteret Ecclesias liberas cum oblationibus, & possessionibus suis, quas ad Regni non pertinere ius, constare potest: legit Baronius, *quæ ad regnum non pertinent,* legit Goldastus.

Absolueret à iuramentis populos, Baronius, *Absolueret Papa à iuramentis,* Goldastus, *populos, quæ contra Episcopos facere compulsi sunt.*

Patrimonia, possessionesq; D. Petri restitueret, sicut à Carolo, Ludouico, Henrico, alijsque Imperatoribus concessa sunt libera, seruaretque ea D. Petro pro viribus, legit Baronius, *pro iuribus,* legit Goldastus, nisi sit error Typographi.

Nihil faceret aut diceret, vt Papa Pontificatum amittat, nihilque ipse patiatur in vita vel in membris, vel capiatur mala captione, aut per se; aut per suspectam personam, nec ipse nec fideles eius, qui pro ipso fidem ei dederint, idest Petrum Leonis cum filijs suis, quorum bona nullum patiantur detrimentum, & si quis malum fecerit, Rex fideliter ipsos adiuuaret.

Pro huiusmodi obseruandis Pontifici prædes dabit.

Fridericum sororis suæ filium,
Engilbertum, & Theobaldum Marchiones,
Herimannum, & Gotfridum Comites,
Fridericum Palatinum Comitem Saxonum

Beren.

Sal. An. 1108. *Berengarium de Baioaria,*
Fridericum Saxonem.
Albertum Cancellarium,
Cononem Berengarij fratrem,
Siceboth Baioariorum,
Henricum Carinthiæ Ducem,
Bertulfum Bertulfi Ducis filium.

*Qui iurabunt Papæ seueritatem de vita, de membris, de Papatu, de captione. Quæ nisi Imperator seruaret, ad Romanam Ecclesiam cum suis honoribus * tenerentur. Obsides pro seueritate Pontificis, Rex dare pollicitus est, proxima v. feria, eosque securè ad insulam mittere in potestatem Papæ; eosque ad insulam* (Tyberinam) *mittere in potestatem Papæ,*

* obnoxij

Fridericum Ducem nepotem suum,
Brunonem Episcopum Spirensem,
Conradum nepotem Comitis Herimanni, &
Flandros. *filium eius,*
& Henricum Friderici Comitis fratrem.

Obsides si recepiſset, eos redderet in die coronationis suæ ponte transmisso. Et si forte coronatus non fuisset, aut non transisset, similiter redderet apud Castellum sancti Angeli.

Legatos, quos ad eum Papa dirigeret, dum irent, & redirent, securos à se, suisq; redderet. Et si eis scienter aliquid iniuria illatum esset, emendaturum fideliter.

Quæ omnia postquam impleuerit Rex, Papa iuberet Episcopis astantibus in die coronationis eius, vt Regalia Imperatori dimitterent, quæ à temporibus Caroli, Ludouici, Henrici, aliorumque prædeceſsorum ad regnum pertinebant.

Scripto firmaret sub anathematis pœna auctoritate sua, ne quis eorum, vel præsentium, vel absentium, vel successores eorum regni se intromitterent iuribus, neque inuaderent ciuitates, Ducatus, Comitatus, monetas, vectigalia, mercata, aduocationes Imperij, Centurionum iura. Curtesq; essent Imperij cum pertinentijs suis, militia Imperij Castra.

Nec ipse Papa *Imperatorem, nec Romanum Imperium super his vlterius inquietaret: & priuilegio sub anathemate ista confirmaret, ne posteri sui vltra inquietare præsumerent.*

*Imperatorem benigne & cum honore susciperet, & more prædecessorum ipsius Catholicorum Imperatorum scienter & non * subtracto coronaret, & ad tenendum Imperium officij sui iuuaret auxilio.*

* sub tecto.

Hoc si Papa non impleret, Petrus Leonis cum suis omnibus se ad Imperatorem teneret.

Obsides, nisi effugerent, altero post coronationem die restitueret. Si ex ipsius Papæ parte remāserit, vt nō coronaretur, similiter redderet.

Hæc ita constituta iureiurando firmauit Imperator,
Albertus Cancellarius,
Hermannus,
Fridericus, &
Godifredus Comites,
Fridericus Saxo,
Cono Berengarij frater,
Siceboth de Bauaria,
Henricus Carinthiæ Dux,
Bertulfus Bertulfi Ducis filius.

Hi omnes post Imperatorem eo ordine iurarunt, vt si Imperator hæc implere nollet: ipsi cum omnibus suis cum Romana Ecclesia tenerent.

Vbi verò hæc acta fuerint? non tàm locum, quàm tempus notare videtur *Abbas Vspergensis,* qui fortè aderat, pacta suprà relata in annum referens sequentem.

Anno Domini MCXI. Rex Henricus postquam rebus prosperè per Longobardiam, atq; Tusciam dispositis, apud Florentiam Dominicæ Natiuitatis gaudia, cum ingenti suorum tripudio, & mirando, ac eatenus illius patriæ ciuibus nunquam viso decore & honore percelebrauit. Moto indè aduersus Ariciam exercitu, illoque perueniens, à Clericis beneuolè à ciuibus subdole recipitur: quorum insolentiam satis abundeq; perdomuit, scilicet, ciuitate illorum cum turribus quas ad repugnandum Regi præparauerant, funditus euersa, Ecclesiæ tamen omni sua iustitia, quam ijdem ciues XXXV. *violenter abstulerant, iuxta Clericorum petitionem restituta. Inde ad Aquam pendentem progreſsus Legatos suos dudum ab Aricia missos, ab Apostolico boni nuncij baiulos repperit: remissisque alijs nuncijs cum Romanorum, qui supplices illic sibi occurrerant, paulatim Sutriam processit. Ibi Legati Apostolici cum missis regijs aduenientes, promptum esse Papam ad consecrationem & omnem Regis honorem & voluntatem, si tamen ipse sibimet* XXXVI. *annueret libertatem Ecclesiarum, laicam ab illis prohibens inuestituram, recipiendo nihilominus ab Ecclesijs Ducatus, Marchias, Comitatus, aduocatias, monetas, telonea, cætero-*

Sal. An. IIII. *terorumque regalium, quæ possident summam. Præbuit Rex aßensum, sed eo pacto, quatenus hæc transmutatio firma, & authentica ratione, consilio quoque vel concordia totius Ecclesiæ, ac regni principum stabiliretur: quod etiam vix aut nullo modo fieri posse credebatur*. Iuramenti porrò formulam, qua Sutrij vsi sunt Pontificij atque Cæsarei, transcripsit *Baronius* ex scripto Codice Vaticano, quæ est:

XXXVII *FORMA IVRAMENTI.*
Acta Sutrina. *Baronum Henr. Imp. facti D. Paschali Papæ.*

Ego Albertus Cancellarius.

Ego Comes Hermannus.

Ego Comes Fridericus.

Ego Comes Godefredus.

Ego Tolmaro iuro vobis, quia Dominus Rex proxima quinta feria iurabit, & Principes iurare faciet, & obsides dabit, sicut in conuentionis charta scriptum est. & sic obseruabit Domino Papæ sine fraude, & malo ingenio, si Dominus Papa proxima die Dominica sic adimpleuerit Regi, sicut in alia conuentionis chartula scriptum est.

Conuentio ex parte Paschalis Papæ.

Si Rex adimpleuerit Papæ, sicut in alia conuentionis chartula scriptum est: Dominus Papa præcepit Episcopis præsidentibus in die coronationis suæ, vt dimittant Regi, & regno, quæ ad regnum pertinebant tempore Ludouici, Henrici, & aliorum prædecessorum eius, & scripto sub anathemate confirmabit auctoritate sua, vel iustitia, ne quis eorum, vel præsentium, vel absentium, vel successores intromittant se, vel inuadant eadem regalia, id est ciuitates, Ducatus, Marchias, Comitatus, monetas, mercatum, aduocatias, & curtes, quæ manifeste regni erant cum pertinentijs suis, militiam, & castra regni; nec ipsum Regem & regnum super his vlterius inquietabit, & priuilegio sub anathemate confirmabit, nec posteri sui inquietare præsument. Regem benignè ac honorifice suscipiet, & more prædecessorum ipsius Catholicorum scienter, & non sub tecto coronabit, & ad tenendum regnum officij sui auxilio adiuuabit. Si dominus Papa hoc Regi non adimpleuerit: ego Petrus Leonis cum tota præsentia & potentia mea tenebo me ad Regem, obsides autem nisi effugient, reddemus die altero post coronationem Regis. Si per Papam remanserit, vt non coronetur, similiter reddemus die Dominico, cum dominus Rex ad processionem receptus fuerit. Obsides dabo aut per me, aut per Nuntios meos, Gratianum filium meum, & filium Hugonis filij mei, vel filium sororis meæ si eum habere potuero (nisi per Regem remanserit) pro securitate Regis, vt secure transeat Castellum, & pontem.

IVRAMENTVM
Petri Leonis factum Imperatori Henrico ex parte Domini Paschalis Papæ II.

Ego Petrus Leonis iuro vobis, quod dominus Papa proximo die Dominico adimplebit Regi (nisi à Rege remanserit) quod in conuentionis chartula scriptum est, si Rex obseruabit Domino Papæ sicut in alia conuentionis chartula scriptum est. Datum Nonis Februarij in atrio beati Petri, in Ecclesia S. Mariæ, quæ dicitur in Turri.

Petrus autem iste Leonis, à patris nomine sic appellatus est, vnde & origo familiæ Petri Leonis dicta. Porrò ipse Leo magnopere laudatur in Epitaphio, quod eius sepulturæ scripsit Alphanus Archiep. Salernitano, cuius est inscriptio inscripto Codice versuum eius qui asseruatur in Cassinēsi bibliotheca: *Leonis Romanorū nobilissimi Epitaphiū scriptum ab Alphano Archiepiscopo Salernitano:*

Hoc iacet in tumulo Leo vir per cuncta fidelis
Sedis Apostolicæ tempore quo viguit.
Romæ natus, opum diues probus & satis alto
Sanguine materno nobilitatus erat.
Prudens & sapiens, & cælo pene sub omni
Agnitus & celebris semper in Vrbe manens.
Virgo ter senis fuerat cum sole diebus
Quando suum vitæ finierat spacium.

Posthæc misit Papa Nuncios Sutrium, coram quibus Rex iurauit in hæc verba:

IVRAMENTVM
Henrici Regis factum D. Paschali Papæ II.

Ego Henricus Rex ab hac hora inantea non ero in facto aut consilio, vt dominus Paschalis Papa Secundus perdat Papatum, vel vitam, vel membra, aut capiatur mala captione, vel per me, vel per submissam personam, nec ipsi, nec fidelibus suis, qui pro ipso mihi securitatem fecerunt, vel fecerint, id est Petro Leonis cum filij suis, & Godefredo, quorum bonis studiosè non potiemur, vel alijs quos dominus Papa mihi significauerit. Et si quid dominus Papa fecerit eis, ego eos fideliter adiuuabo. Sic obseruabo domino Papæ sine fraude, & malo ingenio, si dominus Papa

Sal. An. 1106. *pa proxima die Dominica sic adimpleuerit mihi, sicut in conuentionis chartula scriptum est.*

Aliud iuramentum, quod fecerunt Principes Henrici Regis Domino Paschali Papæ Secundo.

Ego Fridericus Dux.
Ego Guiberto Marchio.
Ego Hermannus Comes de Saxonia.
Ego Berengarius Comes de Bauaria.
Ego Godericus Comes.
Ego Fridericus Saxo.
Ego Cono frater Berengarij.
Ego Sigilborus de Bauaria.
Ego Henricus de Neníncia.
Ego Bertoldus filius Ducis Bertoldi.

Ego Albertus Cancellarius. Non ero in facto, aut in consilio, vt Dominus Paschalis Papa Secundus perdat Papatum Romanum, vel vitam, vel membra, vel capiatur mala captione. Et si Rex iuramentum hoc, & ea quæ in charta conuentionis scripta sunt, non obseruauerit: ego cum honore meo ad Dominum Papam, & ad Romanam Ecclesiam me tenebo: sic obseruabo Domino Papæ sine fraude, & malo ingenio, si Dominus Papa sic adimpleuerit domino nostro Regi proximo die Dominico, sicut in conuentionis chartula scriptum est. Actum Sutrij in burgo, quinto Idus Februarij.

XXXVIII Vergit Romam Henricus Imp. Post hæc Imperator, ad Vrbem castra mouet, cum interim Pontifex hortatorias litteras, (ait *Petrus Diaconus.*) Illicò dissemi- 4. Chron. Cass. c. 38. nans Northmannos, ac Longobardos monebat in Romanæ Ecclesiæ fide, ac deuotione persistere. *Henricus* cum venisset ad vrbem iij. Idus Februar. Sabbato ante Quinquagesimam de more in *Monte Malo*, ait *Sigonius*; in Monte *Gaudij*, *qui & Marij dicitur*, ait *Baronius*, consedit. Vbi insi-

XXXIX. Hẽricus Romanos decipit. stentibus Romanis, vt honorem ac libertatem Vrbis sacramento firmaret. Ille verò callidè illos fallere cupiens, (ait *Petrus Diaconus*) Germanica lingua non quod illi petebant, sed quod ipsius voluntas tulit, iurauit. cap. 39. Qua fraude agnita plerique se deceptos vociferantes, in vrbem se retulerunt. *Vt igitur Pontifex Imperatorem aduenisse cognouit, missis nuncijs securitatem ab eo, obsidesque*

XL. Henrici iuramẽtum. *expetebat. Cæsar obsidibus datis, vicissimq; receptis, iureiurando firmauit de Apostolici ipsius vita, de honore, de membris, de mala captione, de regalibus & patrimonijs B. Petri, & nominatim de Apulia, Calabria, Sicilia, Capuanoque Principatu, tactis sacramentis, quæ omne ius Ecclesiarum, omnesque illarum res quietas omnino dimitteret.*

Postridie ingrediens à baiulis cereostatarijs, XLI. Henrico obuiam itur. Haurophoris, aquiliferis, leoniferis, draconarijs, candianis, defensoribus, stratoribus, turbaque omnis ætatis ingenti, cum floribus, atque arborum ramis, & palmis à Pontifice honoris causa obuiam missa, exceptus, duobus ex more sacramentis populo se obstrinxit, vno iuxta ponticulum, altero ante porticus portam populo fecit, quem Teutonica lingua decepit. XLII Inde ante portam à Iudæis, in porta à Græcis canentibus, post ab vniuerso Clero ex Pontificis præcepto acceptus, ex æquo desiluit, ac pedibus ad Vaticanæ Basilicæ gradus cum laudibus peruenit. Adiungit Domnizo

XLIII Monachæ obuiant Henrico.

Monachæ quoque centum
Lampadibus multis cũ claro lumine sumptis
Antiquo more processio Regis honore
Facta sit, & certa nummis via cooperta.

Vbi verò ad superiores gradus euasit, in quibus Pontifex cum Cardinalibus, & tota Henr. stratoris implet officium. cantorum schola sedebat, ad eius pedes se venerabundus proiecit. Deinde surgens in nomine Trinitatis, in ore, fronte, oculis, pacis ei osculum obtulit, partesque stratoris XLIV de more impleuit. Inde à dextera Pontificem habens magno cum populi plausu, & quibus alijs lætitia effusa vulgo significari solet, ad postes argenteos ædis processit. Ibi à *Chrysolao* Mediolani Archiepisc. Pontifici de more oblatus Imperatoriam ex scripto professionem iniuit, atque cum Pontifex Im- XLV peratorem renunciauit, cum solemne in eius frontem præcationis carmen *Lauicanus* Episcopus perlegisset. Introductus inde in Basilicam, cum ad rotam Porphyreticam progressi, duabus sellis positis, vnam Pontifex *Henricus* alteram insedisset, rogatus est à Pontifice vt quod promiserat, Ecclesiarum collationi renunciaret. Ea voce perculsus *Henricus* surrexit, & cum regnorum suorum Episcopis in partem ædis sinistram deliberabundus secessit. Affuerunt huic consilio ex Longobardis *Bernardus* Parmensis, *Bonustenior* Regiensis, & *Aldo* Placentinus. Instante autem Pontifice, quod hora consultando procederet, imò *tribus horis differet* re-

Sal. Ann. IIII. XLVI *responsum*, scribit Krantzius *cap. 33. lib. 5. Saxon.* Transalpini Episcopi, qui suis se Ecclesijs spoliatum iri timebant, Pontificem adierunt, & pactum illud iustè, legitimèq; seruari non posse dixerunt. Quibus Pontifex: nota cum *Sigonio*, Pontificis responsum contra *Baronium*, & *Krantzium* inuoluentes potius, quam recensentes vndè, & per quos dissidium cœperit renouari. Non ènim ab *Henrico*, sed ab Episcopis timentibus, titulis & sæculi dignitatibus expoliari, aduersus Pontificem struebantur insidiæ irritatus: *Nolite vos* (inquit) *hæc quærere: Nostis enim quæ Cæsaris sunt, Cæsari reddenda esse, & neminem Domino militantem sæcularibus se negotijs implicare debere, & ex sententia B. Ambrosij, à Sacerdotali officio, qui talia agat, alienum esse*. Episcopis autem in proposito permanentibus, tunc *Henricus* propior factus, vt aliqua Pontificem arte deluderet; *Volo*, inquit, *vt lis quæ inter te, & Stephanum Nortmannum intercedit, ante terminetur*. Multa enim *Henrici* gratia *Stephanus* passus erat. Cui Pontifex: *Immò verò, quia magna pars diei præterijt, & spatio ad sacra peragenda longo est opus, prius quod instat, agatur.* Consonat etiam *Gotfridus Viterbiensis, Otto Frisingen.* Episcop. *lib. 7. cap. 14. Occasio autem sceleris huius hæc fuit, quod Rege Romam tendente, inter ipsum & Papam conuentio facta, ab obsidibus firmata narratur, vt scilicet Rex inuestituras Episcoporum, remitteret, & Papa ipsi regalia eorum resignaret. Itaque dum Romam venisset, ac à Pontifice promissa sibi persolui exegisset, Papa, eo quod reclamantibus Episcopis, ea quæ petebantur adimplere non posset, tanquam nocens, cum per omnia esset innocens, custodiæ mancipatur*, Ministri namque altaris, (subiungit *Dodechinus*) ministri curiæ facti; quia ciuitates, ducatus, marchionatus, monetas, turres, & cætera ad regni seruitium pertinentia à regibus acceperunt: Inde etiam mos Ecclesiæ intolerabilis inolcuit, vt electi Episcopi nullo modò consecrationem acciperent, nisi priùs per manum regiam inuestirentur. Moriente Episcopo, mox Ciuitatum præfecti, *illius annulum & virgam pastoralem ad Palatium transmittebant*, sicque Regia auctoritas orbatæ plebi idoneum constituebat præsulem: vt in electione *S. Ottonis* Babembergensis Episcopi, & aliorum legitur. Aliquando etiam viuis Episcopis inuestiti sunt. Tantarum malorum reformationi repugnante clericorum cętu; vnus è Germanis in medium progressus, *Quid tam multis*, inquit, *verbis est opus? caue existimes Cæsarem nostrum aliter Imperij coronam accepturum, atq; Carolus & Ludouicus sumpsere?* Quod cum Pontifex se dare non posse dixisset, tum *Henricus* ira incensus, consilio vsus *Alberti* natione Lotharingi, qui postmodum factus est Moguntiæ Archiep. tunc verò Regis Cancellarius, & inter Consiliarios primus; quem tandem captiuatum Rex, & in carcere positum diuersis tormentis afflixit vsque ad vltimum vitæ terminum, Pontificem armatorum turmis circumdari iussit. Porrò cum dies inclinaret ad vesperam, consultum est à fratribus, vt Imperator eodem die coronaretur, reliqua in sequentem diem differentur. Qua conditione à Germanis repudiata, Pontifex, & qui cum eo erant, ab armatis custoditi ad altare S. Petri rei diuinæ faciendæ causa pedes promouerunt, tanta verò multitudinis erat turba, vt magno cum labore eò peruenerint, & vix ad conficienda sacramenta panis, aqua, & vinum afferri potuerit. Perfectis indè, sacris vnà cum Cardinalibus ad Confessionem descendit. Ibi verò ad noctem vsque custoditus à militibus, tandem ad hospitium extra templi atrium captiuus deducitur. Capta cum illo est Clericorum, laicorumque ingens multitudo: pueri item ac iuuenes, virique qui cum floribus & palmis obuiam processerant, aut spoliati, aut vincti, aut cæsi sunt, nemine hoc factum ex Germanis Episcopis præter *Conradum* Salisburgensem, improbante. Is, cum *Henricus* quidam cognomento *Caput*, stricto gladio, ni vocem contineret, se confossurum minaretur, vltrò iugulum obtulit, & se citius moriturum, quàm tantum flagitiũ probaturum asseruit. Ioannes Tusculanus, & Leo Ostiensis Episcopi, vbi captum Pontificem cognouerunt, plebeio habito sumpto, extemplò in vrbem se proripuerunt. Romani his rebus cognitis dolore elati, ac vicem Pontificis, & Cardinalium indignati repente Germanos, qui vel religionis, vel negocij caussa vrbem inierant, inuaserunt, ac miserè omnes interfecerunt, & postridie co-

Marginal notes (left column): *Error Baronij.* — *Episcopi regalia nolunt cedere.* — XLVII — *Dolus Henrici.* — XLVIII — XLIX — *Inuestituræ Episcopi, quomodo fierent.*

Marginal notes (right column): L. — LI — LII *Captiuus Papa deducitur.* — LIII *Conradi Salisburg. constãtia.*

Sal. An. IIII. eodem animorum ardore impulsi Tiberim transierunt, atque in Henrici exercitum infesti impressionem fecerunt; multorumque strage edita reliquos propè de Porticu depulerunt, & Henricum auxilio accurrentem equo deiectum in faciem vulnerarunt, & Othonem Comitem Mediolanensem, qui equum ei suum ad euadendum obtulerat, comprehensum, atque in vrbem perductum fœdissime conciderunt. Tum Henricus, cum se in tanta rerum iniquitate versari videret, ad suos conuersus magna voce exclamauit: Quid hoc rei est, milites? vos me videtis à Romanis circumueniri, nec me defenditis? Ad quam vocem Germani pariter, Romanique erecti prœlium inter se vehementius instaurarunt. Nec fuit alia pugna per hæc tempora Romanis, aut perniciosior, aut fœdior, multis eo die vtrinque millibus ad pontem Ælium aut ferro deletis, aut Tiberis vndis submersis, aut in viuis potestatem adductis. Germanis inde sub vesperum prœlio excedentibus, Romani spolijs, prædaque onusti & ipsi se in vrbem referre cœperunt, verùm à Germanis iussu Henrici repente impetu conuerso, oppressi magnum damnum acceperunt, pluribus à suis præ turba, & impedimentis, quàm ab hostibus, interfectis. Inde cladis referendæ auidi & ipsi Germanos, qui prœlio, inediaque ab hostibus fatigati ad arcem se retulerant, ex improuiso inuaserunt, atque in fugam versos in castra se recipere coegerunt. Quibus rebus gestis sub noctem, Tusculanus Episcopus populum aduocauit, atque ita verba fecit: *Quanquam virtus vestra, Quirites, est eiusmodi, vt verbis accendi, aut acui animorum vestrorum studium, atque alacritas non posse videatur, vos tamen admonere libet, vobis certamen cum Germanis esse pro vita, pro libertate, pro gloria, pro salute Sedis Apostolicæ, hæc omnia in vestris sita sunt manibus, filij vestri contra ius, & fas omne habentur in vinculis. Petri Apostoli Basilica toto terrarum orbe augustissima armis, cadaueribus, sanie, & cruore polluta est. Pontifex Apostolicæ Sedis à barbaris hominibus constrictus tenetur. omnis Sacerdotalis ordo: vniuersa Ecclesiastica dignitas carceri, tenebrisque addicta est. Quocirca vos, quam vehementissime possumus, obsecramus, vt periclitanti subueniatis Ecclesiæ, nam si aderunt, qui hostium impressionem sustineant, illi ad fugam, quàm ad pugnam capessendam erunt paratiores. Quò autem ad tantum petendum decus alacrius incumbatis, Apostolorum Petri, & Pauli misericordia freti omnibus vos peccatis vestris absoluimus.* Hac oratione Romani miro pugnandi studio inflammati omnes sacramento se aduersus Henricum obstrinxerunt. Quo cognito Henricus exterritus statim eadem nocte profugit è Porticu non modò sarcinis, sed etiam socijs in hospitijs multis relictis, ac portæ angustias veritus, murorum partem, quò celerius euaderet, deturbauit. Post biduum inde castra mouit, Pontificem, quem, aduocatis militibus, sacris nudauerat vestibus, & clericos, laicosque captiuos funibus vinctos secum adducens, & intento ad Soracte montem itinere Tiberim, iuxta sancti Andreæ cœnobium transijt, & in Sabinos ad Lucanum pontem proficiscens vlteriora vrbis loca populabundus iniuit: Pontifex cum duobus Episcopis Sabinensi, ac Portuensi, & Cardinalibus quatuor apud castrum Trebecum, cęteri Cardinales apud Corcodisium custodiæ traditi. Interea Tusculanus Episcopus amicorum animos ad opem Ecclesiæ durissimo maximè tempore ferendam accendit, verùm parum profecit. Nam milites trecenti à Principe Capuano auxilio Romanis missi Ferentinum, cum Ptolemæum, & omnes fermè illarum partium proceres Germanis fauere, Cæsaremque exercitum Tiberim, traiecisse audissent, neque vrbem ingredi possent, Capuam recesserunt. Nortmanni verò Rogerij Ducis, & Boemundi fratris eius morte non mediocrem rerum suarum in timorem adducti munitissima quæque loca insederunt, seque ibi aduersus Germannos pro viribus confirmarunt. Princeps autem legatis missis fidem etiam ab Henrico securitatemque poposcit, vnus populus Romanus tanta constantia fuit, vt neque agrorum direptionibus se terreri, neque promissis Henrici se capi permiserit, vt aliquid pacisci cum Henrico ne Pontifice quidem, & Cardinalibus liberandis voluerit. Henricus interea varijs iactatus consilijs quiescere nusquam poterat, vt qui patrati sceleris conscius, nihil sibi iam tutum apud populum Romanum exi-

Sal.An. IIII. stimaret. Itaque vt metum eis iniiceret, iureiurando affirmauit, se, nisi Pontifex sibi obediret, & ipsum, & omnes, quos habebat in vinculis, aut occisurum, aut truncatis artubus multaturum. Hoc vbi non processit, tum verò se captiuos omnes liberaturum, si sibi in posterum cauere à Pontifice liceret, ostendit, idque per Principes suos, ciuesque Romanos à Pontifice institit postulare. Tum verò Episcopi quidam Germani Pontificem adeuntes ita locuti sunt. *Vix æstimari Summe Pontifex, potest, quantum ex re aduersus te, ciuitatemque tuam gesta molestiæ, dolorisque ceperimus: Verùm, vt vides, hoc malum peccatis nostris ita ferentibus improuisum potius fuit, quàm cogitatum. Quamobrem oratum te precibus omnibus volumus, vt des te ad lenitatem, & regi nostro placere: eiusque consecrationem absoluas, vt ipse tibi, ac clero, ciuitatique tuæ placetur, atque Ecclesiam posthac omni suo studio complectatur.* Quibus Pontifex, *Quid est, quòd à me requiritis*, inquit, *fratres? an verò vos hominem tam iniquum, tam fraudulentum, tam facinorosum nobis consecrandum censetis, ritè scilicet expiauit manus suas ad percipiendam consecrationem, qui aras Dei perfudit cruore sacerdotum, & domum sanctificationis cruentauit sanguine interfectorum. Ne fuerit Deus, vt ego hunc hominem consecrem, qui se ipsum tantis flagitiis reddidit execrandum.* Subiicientibus inde illis, dignitati eius, & eorum, qui capti essent, incolumitati conducere, vt regis iracundiam mitigaret, fortiter æquè respondit: *Non metuo regem vestrum; sæuiat etiam in caput meum, si lubet, neque enim durius in me consulere potest. Vos autem cauete existimetis, qua ille felicitate in Clero, & populo trucidando modò est vsus, eadem in tota vita sua vsurum, neq; enim videbit pacem, dum viuet, nec stirpem vllam regni hæredẽ relinquet.* Quibus rebus perceptis vehementius Henricus excanduit, atq; vt eum de proposita sententia dimoueret, captiuos omnes in conspectum eius produci ad necem iussit. Quod cum factum esset, Pontifex tanto animi robore fuit, vt nihil permotus singulos ad mortem fortiter pro diuino tuendo iure oppetendam hortatus sit, vitamque eis æternam promiserit. Verùm cum illi his auditis pauidi ad pedes se prouoluentes vltimi prorogationem supplicii obsecrarent, ad extremum doloris, ac lacrymarum plenus, dixit, se eo animo esse, vt si sibi subeunda necessitas sit, malit omnes acerbitates ferre, quàm de sententia cedere, verùm quod sua caussa non faceret, id aliena esse facturum, id est captiuorum seruandorum gratia proposito decessurum, atque Henrico obsequuturum. Hæc vbi Henricus cognouit, ipsum, & cęteros se dimissurum, atq; vrbem obsidione liberaturum, ostendit, si sacerdotii collationem permitteret, atque se, imposita ritè corona, Imperatorem inungeret. Iuratum est à Patre Pontificis in hæc verba in agro iuxta pontem Mammæum, qui Germanorum, Romanorumq; exercitum diuidebat.

TRANSACTIO INTER HENRICVM V. IMP. ET PASCHALEM II. PAPAM De inuestituris Ecclesiarum.

LIV *Ex verbo Pontificis iuratum est in agro iuxta Pontem Mammeum, qui Romanos Teutonesque dirimebat, hoc videlicet modo: Quod vlterius non inquietaret Imperatorem, eiusque Imperium de præsumpto detemerato Ecclesiarum iure, & de iniuria sibi suisque irrogata in persona Imperatoris, ac bonis malum aliquod sibi vel alicui personæ non redderet, neque pro hac causa Imperatorem vnquam anathemati subderet, eidemque Imperatori priuilegio sub anathemate confirmaret, vt Episcopos, & Abbates liberè electos absque Simonia, idem Imperator annulo & virga inuestiat, Episcopusque sic inuestitus liberè consecrationem ab Archiepiscopo, ad quem pertinuerit, sumat. Si quis vero à populo & Clero eligatur, & non ab Imperatore inuestiatur, à nemine consecretur, & Archiepiscopi & Episcopi libertatem habentem sicurandi ita amissos ab Imperatore, Regnumque & Imperium ac Principatum officii sui auxilio illi conseruabit.*

Et cum hæc Sacramento firmasset, Imperator demum, quod eundem Pontificem cum Episcopis & Cardinalibus, & omnes, qui cum eo, vel pro eo capti essent, obsidesque securos perduceret intra portas Transtyberinæ ciuitatis, neque vlteriùs aut caperet aut capi per-

Sal. Ann. IIII. pi permitteret, iurauit his, qui in fide Sedis Apostolicæ manerent; & Populo Romano tam per se, quam per suos, pacem seruaret, eundem Papam fideliter iuuaret, vt Papatum securè & quietè teneret, patrimonia & possessiones Ecclesiæ Romanæ restitueret, cætera, quæ de iure habere debet, more anteceßorum recuperare ac tenere adiuuaret bona fide, & eidem Pontifici fideliter obediret, saluo honore Imperij & Regni, sicuti Catholici Imperatores Catholicis Romanis Pontificibus solent. Posthæc

Fridericus Coloniensis Archiepiscopus,
Gebehardus Tridentinensis, } Episcopi,
Burcardus Monasteriensis, } Episcopi,
Bruno Spirensis, } Episcopi,
Albertus Cancellarius,
Fridericus. } Comites.
Herimannus, } Comites.
Albertus, } Comites.
Fridericus. } Comites.
Berengarius, } Comites.
Fridericus, } Comites.
Gothfridus, } Comites.
& Guarnerius } Comites.
ac Bonifacius Marchio,

in hunc modum iurauerunt.

IVRAMENTVM IMPERATORIS.

EGo Henricus Imperator liberos dimittam quarta vel quinta feria proxima Domnum Papam Paschalem, & Episcopos, & Cardinales, & omnes captiuos & obsides, qui pro eo & cum eo capti sunt, & liberos securè produci faciam intra portam Transtyberinæ ciuitatis: nec vlterius capiam, aut capi faciam vel permittam eos, qui in fidelitate Domini Papæ Paschalis permanent: & populo Romano, & Transtiberinæ insulæ ciuitati pacem, & securitatem seruabo tam per me, quàm per meos, & in personis & in rebus, qui pacem mihi seruauerint.

Patrimonia & possessiones sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quæ abstuli, restituam; & cuncta, quæ habere debet, more antecessorum meorum recuperare & tenere adiuuabo bona fide. Et Domno Papæ Paschali obediam, (saluo tamen honore Regni & Imperij) sicut Catholici Imperatores Catholicis Pontificibus Romanis. Hæc omnia obseruabo bona fide, sine fraude & malo ingenio.

Et isti sunt iuratores ex parte Henrici Imperatoris.

Fredericus Coloniensis Archiepiscopus.
Gebehardus Tridentinensis Episcopus,
Bruno Spirensis Episcopus,
Bruchardus Monasteriensis Episcopus,
Albertus Cancellarius,
Herimannus Comes,
Berengarius Comes Sultzbachensis,
Fredericus Comes Palatinus,
Item Fredericus Comes,
Bonifacius Marchio Tusciæ,
Albertus Comes de Blandriaco,
Godefridus Comes Palatinus Rheni,
Vvarnerius Marchio.

CONCESSIO PAPÆ

De inuestituris Episcopatuum.

DOmnus Papa Paschalis concedit Domno Imperatori Henrico, & Regno eius, priuilegio suo sub anathemate, & confirmabit, & corroborabit, Episcopo vel Abbate liberè electo sine symonia assensu Imperatoris, quòd Domnus Imperator eum annulo, & virga inuestiat. Episcopus autem, vel Abbas ab Imperatore inuestitus liberè accipiat consecrationem ab Episcopo, ad quem pertinuerit. Si quis verò à Clero, & à populo eligatur, nisi ab Imperatore inuestiatur, & à nemine consecretur, & Archiepiscopi & Episcopi libertatem habeant consecrandi ab Imperatore inuestitos. Super his etiam Domnus Papa Paschalis non inquietabit Imperatorem Henricum, nec eius Regnum & Imperium.

SACRAMENTVM

Ex parte Papæ.

DOmnus Papa Paschalis non inquietabit Domnum Imperatorem Henricum, nec eius Regnum, de inuestitura Episcopatuum, & Abbatiarum, neque de iniuria sibi illata & suis in personis & bonis, neque aliquod malum reddet sibi vel alicui personæ pro hac causa; & penitus in personam Imperatoris Henrici numquam anathema ponet, nec remanebit in Domno Papa, quin coronet eum, sicut in Ordine continetur, & Regnum & Imperium officij sui auxilio eum tenere adiuuabit pro posse suo. Et hæc adimplebit Domnus Papa sine fraude & malo ingenio.

Hæc sunt nomina illorum Episcoporum & Cardinalium, qui præcepto Domini Papæ Paschalis priuilegium & amicitiam Sacramento confirmauerunt Domno Imperatori Henrico.

Petrus Portuensis Episcopus,

* Cen.

*Cētinus. Marginalia & quæ in corpore asterismis notantur apud Baronium aliter leguntur. *Richus. *Domnizo.

*Centius Sabiniensis Episcopus.
Robertus Cardinalis Sancti Eusebij,
Bonifacius Cardinalis Sancti Martini
Anastasius Cardinalis Sancti Clementi.
Gregorius Cardinalis Apostolorum Petri & Pauli.
Item Gregorius Cardinalis S. Chrysogoni.
Ioannes Cardinalis S. Potentianæ.
*Risus Cardinalis S. Laurentij.
Rainerus Cardinalis Sanctorum Marcellini & Petri.
Vitalis Cardinalis S. Balbinæ.
*Dinzo Cardinalis S. Marci.
Theobaldus Cardinalis Ioannis & Pauli.
Ioannes Diaconus S. Mariæ in Schola Græca.
Leo Diaconus S. Vitalis Martyris.
Abbo Diaconus SS. Sergij & Bacchi.

LV Posita super Euangelium huius iuramenti chartula, sic ex præcepto Regis iurata, sicut in clausula scriptum est.: *Sic Dominus Rex præsens obseruabit Domino Papæ Paschali præsenti sine fraude & malo genio. Sic me me Deus & Sacrosancta Euangelia adiuuent.* Actum III. Idus Aprilis tertia feria post Octauam Paschæ Indictionis iv.

Supererat, priuilegium exarare de inuestituris, quod Imperator, & Principes eius differri haud passi sunt, donec intra ciuitatem veniretur, vbi Pontificis sigillum remanserat. Die igitur altero in Campo, qui *septem fratrum* dicitur, dum castra mouerent, dictari illud oportuit; & transmisso iuxta pontem Salarium Tiberis fluuio, iam locatis castris, accitus ex vrbe Scriniarius scriptum illud inter tenebras nocturnas exarauit, cui inuitus Pontifex subscripsit. *Priuilegium de inuestituris extorquetur à Papa.*

P R I V I L E G I V M   P A S C H A L I S   P A P Æ
De inuestituris Episcoporum & Abbatiarum.

LVI *Paschalis Episcopus, seruus seruorum Dei, carissimo in Christo filio, Henrico Teutonicorum Regi, & per Dei omnipotentis gratiam Romanorum Imperatori Augusto, salutem & Apostolicam benedictionem.*

Regnum vestrum sanctæ Romanæ Ecclesiæ singulariter cohærere dispositio diuina constituit. Prædecessores siquidem vestri probitatis & prudentiæ amplioris gratia Romanæ Vrbis coronam & imperium consecuti sunt. Ad cuius videlicet coronæ & Imperij dignitatem tuam quoque personam, Fili carissime Henrice, per nostri Sacerdotij ministerium Maiestas diuina prouexit. Illam igitur dignitatis prærogatiuam, quam prædecessores nostri vestris prædecessoribus Catholicis Imperatoribus concesserunt, & priuilegiorum paginis confirmauerunt, nos quoque tuæ Dilectioni concedimus, & præsentis priuilegij pagina confirmamus, vt Regni tui Episcopis & Abbatibus liberè præter violentiam & symoniam electis, inuestituram virgæ & annuli conferas post institutionem verò, canonicè consecrationem accipiant ab Episcopo, ad quem pertinuerit.

Si quis autem à Clero, vel à populo præter assensum tuum electus fuerit, nisi à te inuestiatur, à nemine consecretur: (exceptis nimirum illis, qui vel in Archiepiscoporum, vel in Romani Pontificis solent dispositione consistere.)

Sanè Archiepiscopi & Episcopi libertatem habeant à te inuestitos Episcopos & Abbates canonicè consecrandi.

Prædecessores enim vestri Ecclesias Regni sui tantis regalium suorum beneficijs ampliarunt, vt Regnum ipsum Episcoporum maximè & Abbatum præsidijs oporteat communiri, & populares dissensiones, quæ in electionibus sæpè contingunt, regali oporteat Maiestate compesci. Quamobrem prudentiæ tuæ & potestati cura debet sollicitiùs imminere, vt & Romanæ Ecclesiæ magnitudo, & cæterarum salus tuis (præstante Domino beneficijs & seruitijs conseruetur.

Si qua igitur Ecclesiastica vel secularis potentia, aut persona hanc nostræ concessionis paginam sciens contra eam temerario ausu venire tentauerit, anathematis vinculo, nisi resipuerit, innodetur, honorisque ac dignitatis suæ periculum patiatur. Obseruantes autem hoc misericordia diuina custodiat, & personam ac maiestatem potestatemque tuam ad honorem suum & gloriam fœliciter imperare concedat.

LVII Porrò cum ibidem chartam ipsam (ait *Petrus Diaconus*) Imperator accepisset, postquàm in Ecclesia B. Petri coronatus fuerat, eam de manu Pontificis contra ius, voluntatem, omnemque consuetudinem suscipere voluit. Coronatur autem idem Imperator, portis omnibus Romanæ vrbis, *Priuilegium vult sumere de manu Papæ.*

ne

Sal.An. IIII. ne quis ciuium eò aduenire obseratis. Cumque in Missa ad hostiæ confractionem venisset Papa, partem ipse sumens, reliquam Imperatori tradidit dicens: *Sicut pars ista viu fici corporis diuisa est, ita diuisus sit à regno Christi & Domini, qui pactum istud rumpere ac violare tentauerit:* in notis autem *Massoni* ad *Iuonis* Epistolas hæc ita scripta ex antiquo Codice leguntur.

LVIII

CONFIRMATIO PRIVILEGII.

LIX *Euchar. participatione pacta cōfirmat.* *Domine Imperator Henrice, corpus Domini natum ex Maria Virgine, passum in Cruce pro nobis, sicut Sancta Catholica tenet Ecclesia, damus tibi in confirmationem veræ pacis & concordiæ inter me & te, Amen. Anno Verbi incarnati MCXI. hoc confirmatum est in Basilica S.Petri xvj.Kalend.Martij, regnante in Cœlis Domino Nostro Iesu Christo cum Patre Æterno, & Spiritu Sancto. Amen.*

Hæc vera puto, licet Italus in contumeliam Germani Regis, Germanus in suæ gentis defensionem, pallia quæ potest obtendat. Vix tamen Germaniam repetente Cæsare, Patres euocato concilio non *Priuilegium*, sed *prauilegium* appellarunt, & iusto metu extortum nullius esse momenti declararunt. Vnus legitur *Abbas Vspergensis*, qui *Henrici* Imperatoris facinus inpietatem vertere conatur; LX comparans eumdem *Henricum* Patriarchæ *Iacob* dicenti ad Angelum: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Hic finis perniciosæ discordiæ. Inde elatus Henricus, trepidante Italia, in Lombardiam secessit. Bononiam pacato agmine ingressus, vt mussitantes ciues contineret in fide, arcem construxit, eamq; præsidio firmauit. Postea LXI Parmam xviij. Kalend. Iunias petijt. Triduò Bibianelli cum *Mathilde* fuit. Postea in Germaniam abijt: atque Mense Augusto, Spiræ episcopis, ac Principibus euocatis, patri tum demum sepulto, magna cæremonia, ex Pontificis permissione parentauit: prius Romæ coram Papa pœnitentiæ paternæ testimonio à Sacerdotibus reddito. Habita post hæc Maguntiæ curia, *Adelbertum* Cancellarium suum dudum ad eandem cathedram electum, baculo, & annulo vestiuit. LXII

CARDINALIVM QVESTVS IN PASCHALEM PAPAM. *Ann.* IIII.

His actis non defuere, qui Pontificem maledictis lacerarent, quod coronam LXIII *Henrico*, & perniciosum priuilegium indulsisset. *Bruno* Episcopus Signinus, & Abbas Cassinas, adiuncto sibi *Guala* Episcopo Regiensi, & Cardinalibus nonnullis tale priuilegium rescindendum, & *Henricum* anathemate feriendum, censebant. Quamobrem absente Pontifice, conuenientes in vnum simul cum *Io:Cardinali* Episcopo Tusculano confirmant quæ à Gregorio VII. de inuestituris Episcoporum fuerant sancita: omnia reuocantes, & nullius roboris declarantes, quæ à *Paschali* Pontifice aduersùs maiorum leges fuerant subscripta. Certior factus *Paschalis*, *Brunonem* ad se vocari iussit, interrogans num se maledictis inimici more concerpsisset? Cui Abbas. *Qui tibi te à me non diligi, sed probris concidi nunciarunt, falsa narrarunt. Ego enim ita te diligo, at dominum patrem meum, neminemq; alium, te viuente, volo habere Pontificem, vt cum multis alijs tibi promisi. Audio verò Saluatorem meum ita mihi dicentem:* Qui amat patrem aut matrem, plusquàm me non est me dignus. *Vndè & Apostolus:* Si quis non diligit Dominum Iesum, anathema sit: *Debeo igitur diligere te, sed magis illum, qui te fecit, & me. Cæterum pactum illud fœdum, per vim expressum, ac pietati, religionique contrarium ego non laudo. Quis enim illum laudaret, in quo violatur fides Ecclesiæ, libertas læditur, Sacerdotium tollitur, vnicum Ecclesiæ ostium clauditur, multa ostia aperiuntur, per quæ qui intrat, fur est, & latro? Habemus canones, habemus Sanctorum Patrum constitutiones ab Apostolorum temporibus ad te vsque perductas. Via regia incedendum est: neque ab ea aliò declinandum. Apostoli illos omnes damnant, & à piorum communione seiungunt, qui à seculari potestate Ecclesiam obtinent. Laici enim etiam religiosi nullum gubernandæ Ecclesiæ ius habent. Huic Sanctæ Apostolorum constitutioni qui contradicit, Catholicus non est; quicumque autem tuetur hæresim, hæreticus est: hanc autem eße hæresim nemo negarit, quam Sancta & Apostolica Ecclesia in multis concilijs hæresim nominat, & cum suis auctoribus damnat.* His verbis commotus Pontifex

LXIV *S.Bruno aduersùs Paschalē.*

Ab-

Sal. Ann. IIII. Lxv S. Brunonem Abbatia priuat Paschalis. bati mandauit, ne Monasterio posthac preesset, neque enim decere aliquem Episcopum esse, & monasterium tam celebre administrare. Monachis etiam per *Leonem* Ostiensem Episcopum, eundemque Monachum præcepit, ne illi obtemperarent, sed alium sibi Abbatem deligerent; dicens (teste Leone Ostiensi.) *Si non accelerauero tollere ei Abbatiam, futurum est, vt ipse suis argumentationibus Romanum mihi tollat Pontificatum*: Bruno verò ad tollenda dissidia, posita super altare pastorali virga, ad Episcopatum suum reuersus est.
Lxvi Scripsit postea *Paschalis* literas circulatorias in orbem quibus factum suum excusabat. Quo titulo *Iuo* Carnotensis, *Paschalis* Pontificis defensionem suscepit. *Iuo Carnotensis defendit Paschalem.* Non enim præuaricator est legis, qui delinquit in legem, aliqua fallente surreptione, vel impellente necessitate; sed qui legem impugnat studiosè, & delictum suum non curat agnoscere. Lxvii Vnde hunc excessum eius (ait *Iuo*) non tantùm non accusamus, sed dictante ratione approbamus, si imminente strage populi, paterna charitate, cum nonnullo vulnere suo se tantis periculis voluit objicere, vt maioribus morbis posset sincera charitate subuenire.

Lxviii Hoc eodem anno *Alexius* Imperator Constantinopolitanus nobilem legationem Romam direxit, dolens de iniuria & captiuitate Pontificis; eos collaudans, qui viriliter contra *Henricum* stetissent: petens secundum antiquorum morem Romæ à Pontifice coronari. Quibus Romani benignè respōdētes, se paratissimos fore promiserūt. *Imper. Byzantinus in Henricū molitur*

CONCILIVM LATERANENSE. *Sal. An.* 1112.

Lxix *Paschalis arguitur.* PAschalis Papa, diluendæ, quam contraxerat, infamiæ causa, in Lateranum Concilium conuocat, ac de Sede Apostolica, Imperioque Romano ad patres retulit. Ibi à plerisque notatus, quod *Henricum* capto Pontifice, vinctis Cardinalibus, ac multo Cleri, populique profuso sanguine infamem ad imperiale fastigium prouexisset. Episcoporum inuestituras, quas maiores eius acerbissimis vexationibus, & exilijs defendissent, indignissimo priuilegio condonasset. Paschalis respondit, se quod egisset, necessitate adactum fecisse: neque aliter imminentem populi stragem, incendia vrbis, prohibere potuisse. Id si piaculum putaretur, se arbitrio expiaturum Concilij. Lxx *Henricū damnat.* Tali responso, accusantium ira lenita, ne quis de fide sua dubitaret, quod sacrilegum, vt objiciebatur, sacrilego priuilegium indulsisset, extremo Concilij die, audientibus omnibus est ita loquutus. *Vt præter cætera à Romana Ecclesia approbata se probare aut respuere diceret: quæcumque Gregor. VII. aut Vrbanus II. aut decreuissent, aut repudiassent.* Adiunxit porrò (ait *Aragonius in vita Paschalis*,) quod licet conditio iuramenti imposita ab ipso, & suis minus obseruata sit, neque enim seruauerunt nobis quod ab ipsis iuratum fuerat: *Ego tamen eum numquam anathematizabo, & nunquam de inuestituris inquietabo, sed quoniam iam nostræ commonitionis instantiam repulerunt, habebunt iudicem Deum.* Nec ipsum retrahere potuerunt Synodi Viennensis decreta, sed vsque ad mortem cum *Henrico* amicitiam voluit, & epistolis renouauit. Vnde *Guido* Viennensis Archiepiscop. & Legatus Apostolicus aduersùs *Paschalem* queritur, quod etiam post Concilium Lateranense Epistolas bullatas ad *Henricum* direxerit, quas in Synodo Viennensi Cæsarei obiecerunt legati, quibus concordiam sacerdotij, & imperij conabantur asserere aduersùs Legatum Apostolicum, & eum ab Apostolica communione arguere seiunctum. Vnde verò Sanctissimus Pontifex, qui pro Ecclesia Dei non dubitauerat sanguinem fundere, nec nisi coactus *Henrico* datum subscribere priuilegium; modo tepesceret, eiusque zelus langueret: eam credo causam, quod dissensionis exordia non ab *Henrico*, sed à Clero regalia deponere renuente, cœpisse crederet: & ipse sponte Cæsari pactum obtulisset, quod adimplere nequiuerat. Lxxi His dictis surrexit *Gerardus* Engolismensis Episcop. legatus ex Aquitania, & totius Concilij consensu, ita ex scripto pronunciauit: *Priuilegium pro liberatione captiuorum Ecclesiæ, à Paschali Pontifice vi per Henricum Regem extortum, omnes in hoc sacro Concilio congregati legitima censura, & auctoritate Ecclesiastica, iudicio S. Spiritus condemnamus, & irritum esse iudicamus eo nomine, quod in eo scriptum est, iure lectum à nemine con-*

Sal. An. 1112 *ſecrandum, niſi prius à Rege inſtituatur, quod eſt contra Spiritum ſanctum, & iuſtam inſtitutionem:* Quibus recitatis centum fermè Epiſcopi subscripserunt. Hæc vbi trans
Lxxii *Henricus excomm.* Alpes perlata ſunt, Archiepiſc. Viennenſis Legatus Romanus anathema in *Henricum* promulgauit;& Moguntinus contra eundem cum quibuſdam Principibus apertam coniurationem iniuit; nam & in Italia noua gli-
Lxxiii *tumultus Bononiēſ.* ſcebant diſſidia; Bononienſes, quibus graue nimis *Henrici*, præſertim poſt impoſitam ceruicibus suis arcem, imperium videbatur, conſilium recuperandæ libertatis ceperunt, ac præſidio imperiali ex vrbe depulſo, arcem deturbarunt. Moritur his temporibus *Vdalricus* Saxoniæ princeps,
Lxxiv *Ludouici* comitis gener, ſed propter filiæ repudium inuiſus. Cuius poſſeſſiones *Sigefridus* Comes Palatinus, qui in gratiam au-
Lxxv licorum, *Henrico* reconciliatus erat filium eiuſq;baptiſmate Cæſar ſuſceperat, hæreditaria ſibi vendicabat ſucceſſione sed Imperator eas fiſco vindicare ſtudebat. Quæ causa recidiuæ discordiæ cœpit fomitem miniſtrare. Nam comes priores miſerias sequentibus exagerans, totam penè Saxoniam patriam suam, tantis impleuit querelis, vt Ducem *Lotharium*, *Rudolphum*
Vſperg. Marchionem, *Fridericum* comitem Palatinum, *Vigbertum*, atque *Ludouicum*, nonnulloſq;alios ab obſequio retraheret Imperatoris. Acceſſerunt Epiſcopus Alberſta-
Ann. 1115. tenſis, & *Gertrudis* præpotens illa per Saxoniam vidua, violentiam pati ab Imperatore,inuaſione prædiorum suorum clamantes. Indignatus Cæſar, quod curiam non adirent, bona eorum diripi iuſſit, *Sigefridum* Palatinum Comitem inſidijs ſuſtulit; *Vvigbertum* cœpit, *Ludouicum* ad deditio-
Lxxvi nem compellit. Moguntiæ cum nuptias celebraret; in ipſa ſolemnitatis die, *Lotharium* Ducem Saxoniæ nudis pedibus co-
Lxxvii *Expeditio in Fresones* ram omnibus ad pedes habuit. Tantus timor principes inuaſerat, vt nullus rebellare auderet. A Saxonibus in Freſones arma
Lxxviii conuertens, Coloniam Agrippinam ſibi rebellem vnà & Transrhenìnos, atque Vveſtfalos conſentientes inuenit. Coloniæ itaque accedit, at cum munitæ ciuitati præualere non poſſet, populabundus in regio-
Lxxix nem irrupit. Interim in Italia M t uani iniquo animo Mathildis ferentes imperium, falſo rumore eius obitu diuulgato, ſumptis armis Riuoltellæ caſtrum ceperunt. Quod vbi *Mathildis* accepit, continuò immiſſo exercitu compulit arma ponere, & imperium accipere:deditio in caſtro Bondeni facta eſt; quod ipſa in agro Mantuano communiuerat. Sed in morbum lapſa anno ſequenti qui eſt M.C.XV. & ſeptem menſes conflictata, tandem annorum plena, obijt in Domino Anno ætatis ſuæ LXXVI. & in monaſterio S.Benedicti ſepelitur. *Qua nimirum femina* (ait Vſpergenſis) *Sicut nemo noſtris temporibus ditior, ac famoſior, ita nemo virtutibus, & religione, ſub laica profeſſione reperitur inſignior.* Hæc, gliſcente inter *Gregorium*, & *Henricum* diſcordia, Lombardiæ, Tuſciæq; ditionem teſtamento Sancto Petro donarat. Ea mortua,inuitatus Henricus ea,quæ ad Imperium ſpectabat, adire, Parmam, & Mantuam occupauit. Ferraria, quam *Tedaldus* auus *Mantuani in Mathildem.* *Ann. Sal.* 1115. *Obitus Mathild.* Lxxx *Sigonius* Lxxxi
à *Ioanne XIII.* Pontifice acceperat, Romanam ad Eccleſiam redijt. Multa præterea in Lombardia ad Padum caſtra fuere, de quibus conflictatum diù inter Cæſarem, & Pontificem; eaq; modò huic, modò illi Regum ceſſere beneficio. Interim Imperator in Saxoniam, quæ apertè iam rebellauerat,armatus aſcendit, ſed ibi copiarum non modica clade recepta, ad Rhenum conuertitur. Saxones rerum elati ſucceſſu, conuentu coeunt, & Archiepiſcopi Magdeburg. concione incitati, aduerſus Imperatorem veluti excommunicatum fœdera renouant. Conuentum poſt hæc Imperator amicorum conſilijs, ac regni querimonijs compulſus in Kal.Nouemb. fieri inſtituit, *Henricus in Saxoniam mouet.* Lxxxii Lxxxiii
vbi liberam omnibus audientiam de ſibi ſubiectis ſatisfactionem, de ſuis extraordinariè, vel iuueniliter geſtis correctionem, ad Senatus Conſultum repromiſit. Statuto itaque tempore, fruſtrà ipse præſtolatur conuentum, ait *Vſpergenſis*, & fallitur *Antonius Poſſeuinus* ſcribens *magno procerum comitatu celebratum*; *nam præter paucos Epiſcopos nemo Principum aduentabat:* ait Vſpergenſis. *Ibi res ſuas, Pontificis odia, maiores quàm Papam deceret ſpes, queſtu, & execratione recenſuit. Fuiſſe hactenus Cæſaribus liberum, tueri ſua; & obſtantes Principes, conſilio vel armis retinere; Hunc Pontificum potentia aucta teſtamento Mathildæ,*

Sal.An. IIII. *ex libidine imperare: ridere Cæsares, ac Germaniæ vires vt in Italia minores negligere.* His auditis, non defuere qui ignari temeratæ Ecclesiæ, iustas Cæsaris querelas crederent. Alij morum sui Principis gnari contradicebant: *Debere Cæsarem vt rebus suis, Germanorum Italorumque vtilitati consulere, supplicem sancti senis iram obsequio lenire.* Cæsar ciues fallit *Se quidem Sacramento solutos; se id quoque honori imperij,* Lxxxiv *& Cæsaris gratiæ condonare, vt elusam sæpius fidem denuò experiri velint. Nec enim seruari domino posse promissa, qui multò ante Christum exuisset.* Henricus vim subditorum, & propositi constantiam introspiciens, seruiendum tempori ducens, quamquàm asperioribus inclinaret, dictis, ac promissis, multorum animos expleuit.

Lxxxv Hoc Moguntini comperto, *aptum sibi tem-* Moguntini irrũpunt in Cæsarem. *pus arridere perpendentes, subitò palatium vallant armati, alij atrium furiosè irruentes, in turmas, & cuneos se glomerant, omnia strepitu, cuncta clamoribus implentes, aulicis horribile spectaculum demonstrant. Quid multa? Dubium non est, quod nisi datis ad præsens obsidibus Imperator, ea quæ sibi imponebantur, facturum se citissimè confirmasset, ipsum fortasse palatium cum vniuersorum, qui in eo erant, crudelissima nece; illicò corruisset. Ita sedato vix militum, plebisque furore, Cæsar ab vrbe secessit, & post paucos dies Adelbertum, quem iam per annos tres arctissima mancipauerat custodia, vix nimirum ossibus hærentem, vt coactus promiserat, cathedræ suæ remisit.* Audiens

Lxxxvi porrò Coloniæ Episcopos & regni optimates conuenisse, vt excommunicationem ad-

Lxxxvii uersùs se promulgarent; quamuis *Dieteri-* Dietericus Cardin. mors *cus* Cardinalis, cuius hæc gerebantur auctoritate, in itinere defunctus esset; præsulem Vvirzburgensem, qui legati vicem Vvirtzb. Episc. cogitur missam celebrare tenebat, vitæ coegit periculo, ex concilio reuertentem missam coram se celebrare: & quia contristatus Antistes latenter discessit, succensus Imperator, Ducatum Orientalis Franciæ, qui Vvirzi-

Lxxxviii burgensi Episcopo, antiqua regum succes- Ducatu spoliatur sione competebat, *Chunrado* sororis suæ filio commisit, ipseq; scandala Principum declinans, in Italiam se vnà cum regina conferens, Abbatem Cluniacensem con-

Lxxxix sanguineum, Papæ Romam legauit, vt Sacerdotium si posset, componeret cum imperio Lateranensi propterea conuocata Synodo, cum de inuestituris Episcoporum sermo Legati Cæsaris ad Papã. recurreret, *Paschalis* Pontifex verba fe- Lxxxx cit. *Postquàm Dominus* (ex Vspergensi) *de seruo suo fecit, quod voluit, & me, populumque Romanum tradidit in manus re-* Lxxxxi *gis, videbam quotidie passim fieri rapinas & incendia, cædes & adulteria. Hæc & huiusmodi mala cupiebam auertere ab Ecclesia & populo Dei, & quod feci, pro liberatione populi Dei feci. Feci autem vt homo, quia puluis sum & cinis. Fateor me male egisse, sed rogo vos omnes, orate pro me ad Deum, vt indulgeat mihi. Illud autem malum scriptum, quod in tentorijs factum est, quod pro prauitate sui prauilegium di-* Lxxxxii Prauilegium pro priuilegio. *citur, condemno sub perpetuo anathemate, vt nullius vnquam sit bonæ memoriæ, & rogo vos omnes, vt idem faciatis. Tunc ab vniuersis conclamatum est, fiat, fiat. Bruno autem Signinus Episcopus altius exorsus est: Gratias agamus omnipotenti Deo, qui Dominum Papam Paschalem, qui præsenti concilio præsidet, audiuimus proprio ore damnantem illud prauilegium, quod prauitatem & hæresim continebat. Ad hæc quidam cauillatorie subiunxit: Si priuilegium illud hæresim continebat, qui illud fecit, hæreticus fuit. Iohannes autem Caietanus ad hæc commotus, Signino respondit. Tu ne hic & in concilio nobis audientibus Romanum Pontificem appellas hæreticum. Scriptum quod fecit dominus Papa, malum quidem* Lxxxxiii *fuit, sed hæresis non fuit. Et alter quidam adiecit. Immo nec malum dici debet, quia si liberare populum Dei bonum est, quod dominus Papa fecit, bonum fuit. Sed liberare populum Dei bonum est, authoritate Euangelij, qua præcipimur animas quoque pro fratribus ponere. Ad hæc patientia domini Papæ horrendo hæresis nomine pulsata, expergefacta est, & manu silentium indicens, diffidentium clamores & murmura tali ratione compescuit: Fratres & domini mei audite. Ecclesia ista numquam habuit hæresim, immo hic omnes hæreses conquassatæ sunt. Hic Arriana hæresis, quæ per trecentos ferè annos viguit, annullata est. Ab hac sede hæresis Euthiciana, Sabelliana contrita: Fotinus, cæterique hæretici destructi sunt: Pro hac Ecclesia filius Dei in passione sua orauit, cum dixit. Ego pro te rogaui Petre, vt non*

Sal. An. 1116 *deficiat fides tua. Quinta feria Papa in Concilio non sedit, multis & maximè regis negotijs per dominum Cluniacensem, Iohannem Caietanum, & Petrum Leonis, & vrbis præfectum, cæterosque illius partis fautores impeditus. Sexta feria Apostolicus in generalem omnium Ecclesiarum causam animum aduertit, & Iohanne Caietano, cum Petro Leone, cæterisque Regis fidelibus, in faciem resistentibus, prædicto Cunoni Prænestino, sæpius verbum excommunicationis exponere cupienti, murmur huiusmodi verbis & manu ita compescuit. Ecclesia primitiua, martyrum tempore floruit apud Deum, & non apud homines. Dein ad finem conuersi sunt* Lxxxxiv *Ecclesia primitiua pauper.* *reges, Imperatores, Romani principes, qui matrem suam Ecclesiam, sicut boni filij honestauerunt, conferendo Ecclesiæ Dei prædia, & allodia, sæculares honores & dignitates, regalia quoque iura & insignia, quemadmodum Constantinus, cæterique fideles: & cœpit Ecclesia florere, tam apud homines, quàm* *Diues iā donatione regū,* *apud Deum. Habeat ergo mater & domina nostra Ecclesia sibi à regibus siue principibus collata, dispenset & tribuat ea filijs suis, sicut scit, & sicut vult. Priuilegium inuestituræ, quod in tentorijs concessisse videbatur, obliterare volens, iterans sententiam Papæ Gregorij VII. inuestituram Ecclesiasticarum rerum à laica manu, rursus excommunicauit sub anathemate dantis, & accipientis.*

Lxxxxv *Cuno Prænestinus, legatus ex latere.* *Cardinalis verò dominus Cuno Prænestinus, talem Papæ fecit inductionem legationis suæ, & contra disturbatores præsentis negocij competentem. Domine pater, si tuæ placet maiestati, si verè tuus fui legatus, & quæ feci tibi, placent esse rata, in auribus sancti huius præsentis concilij ore tuo edicito, & legationem meam tua authoritate corrobora, vt sciant omnes, quia tu me misisti. Ad hæc Apostolicus respondens, ait. Verè Legatus ex latere nostro missus fuisti, & quicquid tu, cæterique fratres nostri, Cardinales, Episcopi, Legati Dei, & Apostolorum Petri & Pauli, huius sedis & nostra authoritate fecerunt, confirmauerunt, probauerunt, ego quoque probo & confirmo, quicquid damnauerunt, damno. Et dominus Prænestinus consequenter subiunxit, qualiter pro sedis illius legatione, Hierosolymis audierit regem Heinricum, post Sacramenta, obsides, & oscula, in ipsa beati Petri Ecclesia, dominum Papam tenuiße captum, indignè tractatum, potiora Ecclesiæ membra, Cardinales videlicet exutos, tractos, & malè tractatos, nobiles quoque Romanos occisos, & captiuos, & populorum stragem factam audiens, ingemuerit, & pro huiusmodi facinoribus Ecclesiæ Hierosolymitanæ, consilio zelo Dei animatus, excommunicationis sententiam in regem dictauit, & eandem in Græcia, Vngaria, Saxonia, Lotharingia, Francia, in quinque concilijs, consilio prædictarum Ecclesiarum renouando confirmauit: orare se demum, vt sicut dominus Papa legationem suam confirmasset, ita præsentis concilij Patres & Episcopi concorditer annuerent. Ad eundum modum legati, & literæ domini Viennensis postulabant, dum tali ratione & ordine, tam variæ & dißonæ multitudinis aßensus exquiritur, à saniori parte veritati, & apertæ rationi nihil contradictum, à paucis submurmuratum, ab Episcopis vel Abbatibus nullo modo reclamatum.*

Sabbato denique inter Mediolanensium Episcopos, controuersia tali dispensatione terminata est. Apostolico P. docente, translationes Episcoporum, duobus fieri modis, necessitate, vel vtilitate. Lxxxxvi

Scindebatur interim Theutonicū regnum rapinæ grassabantur, & incendia, propter Sacerdotij, & Imperij discordiam. Minus de Germania cogitans, Imperator Venetias inuisit. Vbi honorificè habitus, Vrbis situ, ædiumque decore, mirificè delectatus, post vota S. Marco soluta, & possessionibus regni, monasteria aucta, in agrum Mantuanum secessit, & legatis Bononiensibus veniam petentibus, Idibus Maij in hæc verba concessit. Lxxxxvii *Venetias petit Henricus* *Ciuibus Bononiensibus omnes iniurias, in primisque recentem arcis euersionem condonamus, ciues Bononienses, ac posteri eorum vnà cum fortunis suis fidei, tutelæque nostræ commendati in perpetuum sunto, leges, mores, consuetudinesque suas inuiolabiles seruare liceto, liberam Padi totius nauigationem quoquo versus habento, neque vectigal vllum ripatici nomine, & maximè Ferrariæ persoluunto. In alueo Rheni inuito populo Bononiensi nemini mortalium operis quidquam moliri, quo deterius nauigetur, liceto. Foderi, aut parata* Lxxxxviii

Sal. Ann. 1117. *tæ nomine centenos tantùm denarios Veronenses pendunto. Nullus Comes hospitij caussa, quod mansionaticum vocant, colonos Bononienses vlla molestia afficito. Bononienses, quandiu in castris nostris erunt, iudicium nulla de re, nisi quid ibi commiserint, patiuntor.* III. autem Kal. Iunij Fontanæ agens, priuilegium Ecclesiæ Viradæ tale indulsit; *Nos Henricus quartus Romanorum Imperator Augustus rogatu nostræ dilectæ cōtubernalis*
Lxxxxix *Mathildis Reginæ, & Episcoporum Bernardi Parmensis, Landulfi Hastensis, Victoris Bononiensis, Sigelfredi Vercellensis, Epponis Nouariensis, & pro remedio animæ nostræ, parentumque nostrorum ædem Sancti Petri Viradæ sitam in Episcopatu Cremonensi sub nostram tutelam, & mundiburgium suscipimus cum omnibus bonis eius acquisitis, & acquirendis, nec non allodijs, precarijs, & libellarijs, interdicentes, ne quis Archiepiscopus, Episcopus, Marchio, Comes, Vicecomes, Gastaldio, Sculdasio, Abbas prædictam ædem, & fratres ibi Deo seruientes molestia vlla ausit afficere.*

P R O D I G I A. *Sal. Ann.* 1117.

C
Romanū tumultus LAcrymabatur Cœlum tot & tanta dissidia, & Diuini cōtemptu iudicij commota terra contremuit ab ira furoris Domini. Ædificijs, & vrbibus deformata Italia virgam agnouit iustitiæ. Leodium in Lotharingia ciuitas B. Lamberti martyris ibidem quondam Pontificis patrocinio inclyta, literarum famosa studijs, fere tota igne, aqua consumitur. Hisce cladibus minimè territus

CI.
Romam petit Henricus. furor Theutonicus, postquàm *Paschalem* Pontificem frustra solicitasset, pro absolutione anathematis, & populum ac Clerum cognouisset disceptare Romanum, armisque plebem in Pontificem surgere, Romam *Henricus* aduolat, quòd in concordia nancisci haud poterat, acri peteret in discordia. Exorsus à precibus, crebris tentauit legationibus demulcire Pontificem; sed

CII.
Paschalis fugit. ille fidem toties formidans mentitam, in Apuliam præceps secessit. Imperator vrbem ingressus; Consules, Senatores, proceres, donis, atque promissis alliciens, *Ptolemæo*

CIII.
Petrus Diac. l. 4. cap. 16. *Illustrissima Octauia gente progenito, Ptolemæi magnifici Romanorum Consulis filio filiam suam Bertam in matrimonium iunxit* (desponsasse intelligas, nam si Henrico filia erat, triennis erat) *eique oblatis plurimis donis, quidquid auus eius Gregorius, alijq; parentes habuerant, vel retinuerant, prædicto Ptolomæo, & hæredibus eius imperiali auctoritate in perpetuum confirmauit.* Reliqua quæ in

Henrici tyrannis. vrbe patrauit? adnotare pudet: Rapinis stupra, stupris sacrilegia; sacrilegijs incendia miscebat miles, & Cæsarem sibi auctorem clamabat. Exhausta Vrbe, asportatis diuitijs, ac Pontificio apparatu, *Henricus* nec proximis quidem Vrbi pacem esse voluit. Ciuitates, oppida vel armis occupauit, vel incendio diruit. Omnibus ærumnarum causa diuitiæ, vel erga Pontificem obseruantia. *Huius consiliarijs* (ex Bibliothecario Baronius refert) *erant Abbas Farfensis, qui* CIV.
ob sacrilegium, factionemque in Ecclesiam, bis terque capite damnatus fuit: Ioannes maledictus, & Ptolomæus. Horumq; fauore tunc simul ac in Latium intrauit, beati Petri fidelibus bellum indixit, magna conatus est, famosa fecit sed parua. Ob cuius victoriæ gloriam, quam fecerat, videlicet quia apprehenderant quædam Castra: plebs, populusque Romanus triumphum ipsi instituit. Coronata Vrbe, Rex, & Regina transiuit per me- CV.
dium magnus apparatus, magna gloria, parua huic visa; nullus Patrum, nullus Episco- *Agit triumphū*
porum, nullus Catholicus Sacerdos occurrit. Fit ei processio empta potius, quam indicta. Iturus ad Basilicam Beati Petri naui transiuit, non ponte traiectus, coronari ex petijt: Respondetur, in ea Ecclesia coronandus à Papa cum Patribus coronari debet, aliter nequit. Quod si velit, ab eis fore petendum. Quæ autem tum ad eos perorauit Henricus, sic recitat.

Si diuinitus datum foret, Patres Conscri- CVI.
pti rerum publicarum statum digno non mode- *Petit coronari.*
ramine gubernari; digna reuerentia earum Rectores alter ab altero præueneretur: pax foret, nec imperialibus comitijs Vrbis abesset Pontifex, nec in Pontificalibus orbis abesset Imperator, alter alterius gloria fulciretur; gloria alterius, gloria vtriusque foret, & robur vtrorumq; timor omnium, amoreq; in vtrosq; tota se conuerteret Ciuitas: nos Patres, nos Consules, nos primores, nos omnes boni Vrbis &

Sal. An. 1118.

bis & Orbis intuerentur; Gothi, Galli, Hispani, & Afri Graeci, & Latini, Parthus, Indus, & Arabs, aut timerent nos, aut diligerent. Nunc autem dum secus agitur fit aliter. Dimissis caeteris, dum in inuicem agimus; inuicem agitur ab omnibus: meritò haec patimur, impugnamur, exterminamur. Conuertimini igitur, & mei licet peccantis votum, correctionemque suscipite; ne dum per vos nimia rigescit iustitia, multiplicatis sceleribus, malum sine me qualiter rigescat, non habeat. Ecce à Patre Romanae Ecclesiae Domino Paschali Papa è Gallijs coronandus adueni in Vrbem: eum abesse, infortunijs meis deputo. Nunc autem id à vobis exposco; tantoque si id recipiam, mihi fiet gratius, quantum vt mihi fieret, grauius elaboraui. Solent accuratius excolere homines, quod diù quaesitum periculis adinuenitur. Sit pax, & quidem erit, si velitis, sine crimine loquor, profectò sedatis ventis, quiescunt maria: haec Rex.

Ad haec Ecclesiae, quae erat in Vrbe: *Inhonestum satis, & indignum nostri arbitramur, Rex, vt aliquando nos dulcibus dictis conuenias, quos infelicibus actibus in dies circumuenire contendis. Credisne, credamus, Rex te ad poenitendum satisfacturum venisse per quem acerba ira continuas, atque acerbas irruptiones barbaricas, rapinas sacrilegas ordinationes sacrilegas, & execrabiles, impias seditiones, assiduo conflari, fierique cernamus? simul ac Latium intrasti, Rex, beati Petri fidelibus bellum iniecisti. Si non successit ex voto, Deo non Regi gratiae debentur. Age qui sunt pro quibus agitur? Abbas Farfensis, & Ptolomaeus vterque anathematizatus. Qui sunt, contra quos agitur? Beatus Petrus, & Beatus Paulus, vterque Apostolus. Quibus in locis agitur in eorum Patrimonijs, in domo propria. Oblitus horum, Rex, ille Ducibus audax, audacter Ecclesiam Beati Petri intrasti, cum quibus clericis, quibus Patribus, quibus Episcopis? quomodo silendum? quomodo agendum est. Adde qui sunt nunc, qui ante eius fores excubant? nonne seditiosi? qui sunt, qui nunc aes thesauri custodiunt? nonne sacrilegi? qui sunt, qui eius altari deseruiunt? nonne haeretici? Heu, Heu! expulsis Catholicis, reuerendam cunctis orbis populis B. Petri Ecclesiam per te Haeretici occupant. Haeccine illa vita, Rex, per quam poenitens veniam merearis? satisfactio, qua Ecclesiae conformeris? pax, qua bella quiescant, seditiones cessent, venti sedentur, mare detumescat? Profectò ni conuersus immemor mali, aliter cum Deo senseris, Rex: aliter Rex Regum cum Rege sentiet Deus. Comitiari cum excommunicatis, Rex, nosti nos non debere, nec posse, eo maximè cum Comitijs tuis interesse non liceat, dum contingat abesse, qui omnium nostrum debuit interfuisse primus.*

Diffidens itaque *Henricus* Clerum Romanum in partes suas posse pertrahere, *Mauritium* Bracarensem Episcopum acciuit, & ab eo, Imperij diademate ante corpus B. Gregorij insigniri voluit; inde Lõgobardorũ motibus euocatus recessit. Paschalis verò in vrbẽ redijt, solatio potiùs, quàm vtilitate. Nã vbi res aduersae vrgent, miserantis Principis praesentia leuamento est. Breuis porrò laetitia fuit: dum enim diruta sacrorum restituit, egenos subleuat, è viuis ereptus, *Gelasio II.* locum dedit. Hunc vbi designatum *Cincius Frangipanes*, vir in vrbe potens, audiuit, ira furens, quòd alium sufficere cupiebat, in aedem vbi comitia habebantur, irrumpit, & *Gelasium* obtorto collo in terram deijciens, pedibus conculcatum in vincula tradit. Violentia commoti, Praefectus Vrbis, & *Petrus Leonis*, alijque nobilitatis Romanae Principes maximà clientum stipati multitudine, ad aedes Frangipanas accurrerunt, at ni *Gelasium* liberarent, extrema minantes. Territi *Frangipanes*, illicò ad pedes Pontificis prouoluti, petità venia dimiserunt; Ita *Gelasius* equo albo impositu, magna pompà in Lateranum deducitur. *Henricus* verò, qui Patauinis regionibus *immorabatur, audito transitu Apostolici P.* (Vspergensis) *Romam properauit, & primo quidem in electione Domini Io:, qui & Gelasius II. dictus est, assensum praebens, posteà verò eodem se à sua communione subtrahente, non sine quorundam Romanorum fauore alterum quemdam Burdinum nomine ex Hispania superuenientem Apostolicae Sedi imposuit, sicque schisma quod iam sperabatur emortuum, crudeliter reuixit. Nam eodem Romanae Cathedrae liberè potito, Gelasius cum his qui secum abierant*

CVII. *Coronatur ab Episcopo Bracarẽsi*

Paschalis mors.

CVIII.

Ann. 1118.

CIX. *Burdinus Antipapa.*

Car.

Sal. An. IIII. *Cardinalibus, cæterisque Catholicis, quos congregare poterat, apud Capuam, iuxta quod literæ ab ipso circumquaque transmissæ testantur, Cæsarem vnà cum Idolo suo damnauit. Hinc per Campaniam cum suis ad Burgundiam transmigrauit, ac Viennæ Synodum, congregari constituit.* Interim Henricus vt simulata pœnitentia, & ficta religione Germanos placaret, à *Mauritio* pseudopontifice petit absolui: & quæ imperio possederit, addici iubet. Et ne ficta, aut in mendacium composita viderentur; per vniuersam Germaniam scribuntur literæ, abdicasse se Pontificatu, & fugisse *Gelasium*: scelerum instigante conscientia, ne coram Imperatore deprehenderetur: Suffectum Patrum & Cardinalium voto *Mauritium*, qui causam Imperij res Germaniæ, maiori caritate sit curaturus: absolutum Imperatorem, confirmatum Imperium, denique vtrosque, vt in summa pace omnibus consulere. Cæsar vt famam sceleris præueniret, præceps in Germaniam redijt, cogendis, ad reuerentiam Saxonibus, quorum validior, & manifestior contumacia erat. Strepebat tota Germania sub Cæsaris reditum, nouis armorum apparatibus; stricta ac composita acie reducem Imperatorem excepturi, non faustis nominibus. Sed & Imperator magnis exercitibus, inter suos, & amicorum sequaces conscriptis, formidabilis affuit. Ex aduerso rebelles (ità Cæsar vocauerat) siue Numine, siue effringendæ seruitutis desiderio, indefessè munitiones struere, aggerere commeatus, arma militemque conquirere, & futuræ dimicationi disponere. Vtrisque causæ speciosus titulus, fortuna pro Imperatore fuit: domitis latè Saxonibus, & multis seditiosorum millibus sub Imperium acceptis.

Cx. *Henricus simulat pœnitentiam.*

Cxi. *Henricus Germaniā repetit.*

Henrici victoria.

RECONCILIANTVR PONTIFEX ET IMPERATOR.

Cxii. *Henricus excomm.* HEnrico itaq; licet arrideret Bellona, non cessabant Præsules rebellem animum fulminibus quatere Ecclesiasticis: & Coloniæ, Friteslariæ, Triburij in concilijs repetito anathemate, ad pœnitentiam prouocare. Operosa portò pax videbatur in principe, qui hactenus omnia armis expediuerat. Accesserunt propterea ad eum Catalaudensis Episcopus, & Cluniacensis Abbas apud Argentinam rogantes, vt in Synodo, quæ Rhemis celebranda erat, pacem tandem donaret Ecclesiæ. Annuit Rex, sed promissis deficiens, præsens non adfuit, vicinum tamen se exhibuit; cumq; iura maiorum suorum cedere nollet, iterum excommunicatur; *Rogerius* in Annal. Anglicanis. Secundum verò Vspergensem, *inducias denuò quæsiuit propter generale colloquium cum Principibus habendum, pro inuestituris scilicet Ecclesiasticis, quas tantopere cogebatur amittere.*

Synodus Rhemēsis

Inducias petit Henricus.

Fœdera interim in eum renouarunt Saxones, sed Cæsaris suppresso nomine, in quem arma dirigerent? latebat. Hominibus cuncta videbantur elementa aduersùs Imperatorem pugnare, Treueris, mense Iunio glacies edificia euertit; Halberstatenses grando flagellauit, vt in nouem villarum finibus non solum frumenta, sed & bestias agri cum volatilibus innumeris consumpserit.

Hisce excitatus Archiepiscopus Moguntinus, qui iam Regis declinauerat iram, *Henricum* bella parantem adoriens, ita alloquitur: *Infelix regnum Imperator, tot annos geris; quod armis sanguine, rapinis, incendijs, tuo aduersorumque æterno metu seruandum est. Nec potiùs alienos reducis, quàm tuos deteris, tua perdis, sæuis in proprios. Illi opes, consanguineos, facultates absumunt, tu subditos viresque conuellis. Rara per Vrbes iuuentus, vacui cultoribus agri, nudata nobilibus viris Comitia spectantur; tuo magis quàm illorum malo. Nec numerum militarem, & bellantium multitudinem æstimes; hæc frequentia ciues imminuit, & misera desolatione agros dehonestat. Sed & iniquam causam, per vim, per arma prosequeris; non alia memoriæ rerum gestarum vtilitate, quàm si perdas. Non enim licèt hostibus victor insistas, præter expletam vindictam, aliud in quæstum retrahis. Vectigalia, quibus Respublica sustentatur, raro negociatore intercidunt, imminuuntur; tribulata, cultus agrorum negliguntur. Vbi fueris inimicorum superior, habiturus es omnia, sed lacera, sed exhausta; si victoria apud hostes fuerit, etiam infamiam consumes. Et tamen bellorum exitus incerti, & finem rerum, Deus in occulto seruat. Quantò salubrius, & conducibilius, Prouincijs, & Cæsari*

Cxiii. *Henricus ab Archiepis. Mogunt. corripitur.*

Sal. An. 1120 *Cæsari, possidere vniuersa florentia & intacta? Quo animi motu, quà tranquillitate, collectam vi pecuniam, cum execrationibus, dirisque exolutam recipis? Est certè qui similia nollet, potius sibi egenus, alijs acceptus, quàm diues & inuisus. Quin, vitam spiritumq; inter aduersos, per medias insidias, & infensos trahere, miserrimum est: quodq; nec Imperio conducat. Minimo negocio emercanda fiducia; vt vim, pecuniam; militem, & si quid Regnantibus in voto est, tutè habeas. Quin non tuorum, ac tui te miseret Imperator? Isti vitæ iacturam, tu fortunæ, salutis, famæq; incurris. Deum Optimum Maximum, cuius nutu tanto Imperio præsides, armis per summam ingratitudinem, oppugnas. Pontificem Romanum omnium officio, electione, ac caritate parentem opprimis: cui obsequium præstare, ex Sacramento, vnica Cæsarum gloria censetur. Hinc Constantinis, Carolis, alijsque quorum potentiam successione habes, decus immortale quæsitum. Et tamen nouerant, Religionis id munus, non Regni esse. Expergiscere tandem, & cogita, secundam fortunam, per scelus ac sacrilegium, haud diuturnam esse. Eam stabilem, firmamq; toto æuo videri, quæ fauore Numinis, & rectè factorum conscientia paratur. Ipse communi causæ medius accedam, precibus, auctoritate, amicitijs. Sine, prosequamur honestissimo titulo, quod nobis facilem quietem, veterum obliuione facinorum, tibi gloriam, & imperium confirmet.* Tacuit Imperator: Et quem vis, ac minæ non flexerant, mollis oratio, viri prudentia, & existimatio mutauere; totumque negocium amico permisit, de cuius caritate non ambigebat.

Cxiv Expeditio Henr. in Moguntinos. Desideratam tamen pacem distulit adhuc expeditio in rebelles Moguntinos, quos vt affligeret Henricus, nauigationem primò interclusit: deindè præsidijs circum circa munitis, nundinas, fieri siue quicquam victualium in ciuitatem deferri inhibuit: tandem in obsidionem vrbis publicam expeditionem indixit. His auditis, præsul *Adelbertus* totam commouet Saxoniam: & quia
Vsperg. legationem Apostolicam dudum acceperat, conuocatis Pontificibus, ac Principibus (quorum plurimi, vagabantur extorres) plurima sanctè, piè, de fructibus disseruit concordiæ, vt diuina aflante prouidentia, in eo coirent Principes, vt Regis indignatio obsecratione mitigaretur, communi Procerum arbitrio concilianda committerentur dissidia. Duodecim ex vtraque parte denominarunt primates, qui post longam disceptationem, in hæc conuenere: *Vt pacem firmissimam, & ab omnibus vniuersalem sub vitæ periculo legaliter institutã, regalia vel fiscalia Regno Ecclesiastica Ecclesijs, prædia deprædatis, hæreditates hæredibus, omnique personæ, vel conditioni propriam adiudicatam esse iustitiam. Ad hæc prædones furesq; edictis imperialibus persequendos, siue legibus antiquitus constitutis coercendos, vnanimi coniuratione confirmatum est: & quicquid scandali, quicquid perturbationis vsquequaq; per regna Germaniæ inimici seminario succreuerat, omnimodis eradicari decretum est. De verbo autem excommunicationis, vnde scandala penè cuncta pullulauerant, nihil est diffinitum, tamen ad Apostolici regiminis audientiam concorditer in timore diuino dilatum, denominatis in præsenti legatis, qui Romam hæc omnia deferrent, quatenus indicto per authoritatem Apostolicam generali concilio, quæcumque humano non possent, Spiritu sancti iudicio terminarentur. His ita reuerenter pro honestate simul & vtilitate regni dispositis, destinati sunt in præsenti dominus Otto præsul Babenbergensis, Dux Heinricus, Comes Beringeñ: qui omnia Noricis principibus, qui tunc fortè alijs occupati Reipub. causis, prædicto conuentui deerant, apud Ratisponam Kalend. Nouemb. conuocatis intimarent, quos & ad omnia hæc voluntarios inueniebant, atque confirmabant.* Cxv.

Nouo etiam pietatis lumine, ad humilium preces domino respiciente, discordiæ occasio subtrahitur, captiuitate *Burdini* pseudopapæ, quem vix ereptum à furore populi, penitentiæ causa Pontifex deportauit. Cum *Erlungi* Vvirciburgensis Episcopi obitus noua excitauit dissidia. Vacanti Cathedræ adolescentem, *Gebehardum* nomine præfecerat Imperator. Capitulum Ecclesiæ virum grauem, eiusdem Ecclesiæ Canonicum elegerat. Inde orta dissensione, qui contra Regem senserant, vrbe cogebantur excedere. Comouit ea res (ait *Krantzius*) *Fridericum* Sueuiæ Ducem, & *Conradum* fratrem eius vehementer: cum Moguntino Archiepiscopo conuenientes, à Capitulo electum fecerunt Episcopum consecrari, inui-

Cxvi. Cxvii. cap. 41. l. 5. Sax.

Sal.An. 1122 inuito Imperatore, confirmantibus Legatis Pontificijs, qui Roma nuper venerant. Redierant etiam Episcopus Spirensis, & Abbas Fuldensis legatione totius regni apud Pontificem peracta, ducentes secum Ostiensem Episcopum vicem Papæ per omnia tenentem, cum duobus Cardinalibus, qui à sede Petri ob sacerdotij, & imperij concordiam missi fuerant. Hinc Virciburgensis conuentus indicitur ad diem S.Petri; quò accedere impeditus Henricus, conuentus dissoluitur. *Interea Moguntinus præsul ab indignatione Cæsaris sibimet vndique prospiciens, castrum antiquum etiam, Vspergensis, per multas generationes penè funditus dirutum, quod vel à riuo alluente Ascafa, siue vt quidam volunt ab Ascanio conditore Asaffinbuch dicitur, nisō conatu cœpit munire: Rex quoque idipsum ob iniuriam sui, & contra Rempub. fieri dijudicans, obsidionem è contrario fieri decreuit. At benignus, & amator hominum Iesus per industriam seruorum suorum Sedis Apostolicæ Legatorum, qui tunc Moguntiæ morabantur, immo per inhabitantem in eis Spiritum suum, Spiritum Principum paci contraiuit auferre: charitatem quoque nihilominus in eorum cordibus diffundere cœpit, quia nimirum vt verè creditur, post tot Christi tunicæ scissuras, post tot Christianorum intestina bella, tempus miserendi Syon, idest Ecclesiæ licet serò, iam venit.* Facto itaque Vvormaciæ generali conuentu, vnam, & amplius hebdomadam vtrinque certatum est, donec ipse in cuius manu est cor Regis, Imperialem Maiestatem, & Potentiam Romanæ subdidit Ecclesiæ. Rex ab Apostolicæ Sedis Apocrisarijs in communionem receptus cum vniuerso exercitu suo, Ecclesiasticas inuestituras, cæteraque spiritualia negotia, quæ tanto tempore Reges Teutonici administrauerant, & quæ ipse ad imperij decus, numquam vita comite se dimissurum iurauerat, humiliatus pro Christo, in manus Episcopi Ostiensis dimisit, & liberè renunciauit, sequentibus verbis.

Romani Legati pro concordia.

CXVIII

CXIX *Henr. absoluitur.*

Henricus iura Ecclesiæ restituit.

In nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Ego Henricus Dei gratia Roman. Imper. August. pro amore Dei, & S. Roman. Ecclesiæ, & Domini Papæ Callixti, & pro remedio animæ meæ, dimitto Deo & Sanctis eius Apostolis Petro & Paulo, Sanctæque Catholicæ Ecclesiæ omnem inuestituram per annulum, & baculum, & concedo in omnibus Ecclesijs, quæ in regno vel imperio meo sunt, canonicam fieri electionem & liberam consecrationem.

2 *Possessiones & regalia B.Petri, quæ à principio huius discordiæ vsque ad hodiernam diem, siue tempore patris mei, siue etiam meo ablata sunt, quæ habeo, eidem S.Romanæ Ecclesiæ restituo; quæ autem non habeo, vt restituantur, fideliter curabo.*

3 *Possessiones etiam omnium aliarum Ecclesiarum, & Principum, & omnium aliorum tam Clericorum, quàm laicorum, quæ in guerrà ista amissæ sunt, consilio Principum & iustitia, quas habeo, reddam; quas non habeo, vt reddantur, fideliter iuuabo.*

4 *Et do veram pacem Domino Papæ Calixto, Sanctæque Rom. Ecclesiæ, & omnibus qui in partibus eius sunt, vel fuerunt: & in quibus Sancta Romana Ecclesia auxilium postulauerit à me, fideliter iuuabo, & de quibus fecerit querimoniam, debitam sibi faciam iustitiam.*

Hæc omnia acta sunt consensu & consilio Principum, quorum nomina subscripta sunt.

Adelbertus Archiepiscop. Mogunt.
Fridericut Archiepisc. Colonn.
H.......... Ratisponensis Episcopus.
Godebaldus Traiectensis Episc.
Vdalricus Constantiensis Episc.
H.......Tundensis Abbas
Otto Babenbergensis Episc.
Bruno Spirensis Episcop.
H........Augustensis Episc.
a *Henricus Dux Bauariæ*
Fridericus Dux Sueuiæ
Bruno Dux Saxoniæ
Dietboldus Marchio Sambiensis à Vocburg.
Bonifacius Marchio Thusciæ
Theobaldus Marchio
b *Gotfridus Palatinus Comes Rheni*
c *Otho Palatinus Comes à Vviceteslach*
Engelbertus Marchio Istriæ
d *Beringarius Comes Habspurgi*
Theodoricus Comes Montis bellicardi
aliique complures.

a *al. Hermannus dux sine adiectione loci.*
b *al. Eruulfus comes Palatinus sine adiectione loci.*
c *al. Othbertus comes Palat. sine adiectione loci.*
d *Saltzbachēsis.*

PROFESSIO PONTIFICIS.

CXX.

Ego Callixtus seruus seruorum Dei, tibi dilecto filio Henrico, Dei gratia Romanorum Imperatori Augusto. Concedo electiones Episco-

Sal. An. *ſcoporum & Abbatum Teutonici regni, qui*
1123. *ad Regnum pertinent, in præſentia tua fieri abſque ſimonia & aliqua violentia, vt ſi qua inter partes diſcordia emerſerit, metropolitani & prouincialium conſilio vel iudicio, ſaniori parti aſſenſum & auxilium præbeas. Electus autem regalia per ſceptrum à te recipiat, exceptis omnibus, quæ ad Romanam Eccleſiam pertinere noſcuntur, & quæ ex his iure tibi debet, faciat. Ex alijs verò partibus imperij conſecratus, infra ſex menſes regalia per ſceptrum à te recipiat. De quibus verò mihi querimoniam feceris, ſecundum officij mei debitum auxilium meum præſtabo. Do tibi veram pacem, & omnibus qui in parte tua ſunt, vel fuerunt tempore huius diſcordiæ. Data anno M.C.XXII. ix. Kalend. Octobris.*

Huiuſmodi ſcripta, atque reſcripta propter infinitæ multitudinis conuentum loco campeſtri iuxta Rhenum lecta, ſunt data & accepta, poſtquam multimodas laudes rerum gubernationi redditas, celebratis à domino Oſtienſi diuinis ſacramentis, inter quæ dominum Imperatorem cum pacis oſculo, ſanctaque communione, pleniſſime reconciliauit diſceſſum eſt ab omnibus cum lætitia infinita.

Alterum quoque non multo poſt, id eſt, in feſto Sancti Martini, colloquium Imperator cum principibus qui priori non aderant, Babenberg. habuit, vbi & cunctis in ſua vota concordantibus, inter multa quæ tam ad regni, quam ad ſacerdotij congruebant honorem, more maiorum compoſita, legatos proprios cum Romanis deſtinauit: & vtroſque Papa cõſangui-
nuncia ſimul & munera ferentes honorifica, neo Imp.
domino Apoſtolico C. conſanguineo ſcilicet iam ſibimet vnitiſſimo direxit.

HENRICI EXPEDITIO IN HOLLANDIAM. *Sal. Ann.* 1123.

Cxxi TRaiecti, Domini celebrata natiuitate, ſimultas oritur inter aulicos, & Epiſcopi miniſteriales, *quæ eò proceſſit* (ait Vſpergenſis) *Vt vniuerſa curia ſimul, ac ciuitate commota, vtriuſque partis armatæ, concurrerent cohortes. Fit clamor confuſus, quaſi à Traiectenſibus in Imperatorem coniuratio ſit facta; ſicque illis irruentibus, & iſtis reſiſtentibus, acris committitur pugna, adeò vt multi caderent, plures de oppidanis caperentur, reliqui in turrim firmiſſimam quæ illic erat, confugerent. Pontifex ipſe quaſi praui conſilij particeps, & ob hoc maieſtatis reus habitus, cuſtodiæ traditur: à qua, poſtea magna pecuniæ ſumma mulctatus, multis etiam primoribus, illarum partium interuenientibus, & maximè Friderico Colonienſi Archiepiſc. vix redimitur. Cœpit etiam tunc germinare diſcordiæ illius ſeminarium, quæ ſequenti æſtate, maximo illius regionis damno, quæ vulgò* Hollant *vocatur, moroſè, ac*
Cxxii Petronel. *laborioſè, & vix tandem ipſo Imperatore*
la Hollã- *copioſum illò exercitum ducente, terminaba-*
diæ rebel- *tur: vbi Matrona quædam cuius nomen ex-*
lat Cæſari *cidit* (Petronella) *ſoror nimirum Lotharij Ducis, cuius patrocinio confiſſa, Imperatori rebellare præſumebat. Eo itaq; tempore primò per Saxoniam, deinde per totam penè Germaniam, externis quieſcentibus, ciuilium vbique ſeditionum tempeſtas increuit, & vt ait Propheta: mendacium, & periurium inundauerunt, & ſanguis ſanguinem tetigit. Prædones quippè, qui ſub nomine æquitum vndique ſuperabundabant, villas & agros Eccleſiarum inuadebant; colonos domi foriſque ſpoliabant: & ah ſcelus, ab his, qui pane ſolo, & aqua victitare ſolebant, delicias ſibimet miniſtrare tormentis exigebant: ſicque prædis, & incendijs vnoquoque ſuas iniurias vindicante, cœpit vndiq; caritas, imò raritas annonæ ſuccreſcere.*

Non proptereà Henricus bello deſtitit, ſed poſt Aquiſgrani natalem Domini cele-
bratum, *expeditionem in Hollandos mouit,* Cxxiii
Anno M.C.XXIV. Quibus ſubactis Banber- Vſperg.
gæ comitia vocauit aduerſùs *Lotharium* noua molientem, ob ſorori ſuæ illatam iniuriam. Cumque nonulli ex Saxonia deeſſent, expeditionem inſtituit ſequente Auguſto generaliter fieri, ſpecie quidem contra Saxoniam, re autem vera contra Galliam in regnum Regis *Ludouici*, ſuppetias præbiturus *Henrico* Angliæ Regi ſocero ſuo poſ- Cxxiv
ſeſſione Nortmanniæ: Suſcepta itaque expeditione, Rhemis conſedit, memor iniuriæ, quòd in Rhemenſi concilio à *Callixto* Papa excommunicatus fuiſſet, vt in locum ipſum, quia in perſonas non poſſet, vlciſceretur. Porrò *Ludouicus* Gallorum Rex, *Philippi* Regis filius, maximo domi
congregato exercitu, Cæſarem inſtituit, Cxxv
priuſquàm Anglorum & German orum iungeren-

Sal. An. 1125 gerentur copiæ, leuiùs ducens vni quàm duobus occurrere. Totius igitur regni viribus coactis Imperatori fit obuius. Ille autem vbi tantis Francorum copijs imparem



ſe vidit, paulatim retrò pedem tulit: nec
lib. 5. carebat (ait *Krantzius*) Res idoneo colore.
Sax. c. 45 quod properanter in Vvormacienſes ducere
Vvormacienſes expugnat conſtituiſſet, qui Pontificem eieciſſent à Cęſare inſtitutum, ſuumque quem volebant repoſuiſſent.
CXXVI In quos præſenti ducens expeditione, vrbem obſidione cinxit, Rhenumque ſupra & infra communiuit, ne quid importaretur in vrbem. Crebræ ſub menibus pugnæ, multis vtrimque cæſis, captiſque, ſed fames effecit, vt poſt aliquot dies vrbici quinque millibus talentorum mulctati, ad arbitrium Imperatoris de Episcopo fieri pateretur.

MORS HENRICI V. IMPERATORIS. *Anno* 1125.

CXXVII ANnus M.C.XXV. Henrico Imperatori fatalis. Poſtquàm dira lues, totum peruagata regnum, tertiam viuentium ſuſtulit partem, ſic exigente diuina vindicta, cuius indignationem ſchiſmata, ſeditiones, cleri oppreſſiones, Pontificum contemptus irritauerant, *Henricus* ipſe curarum tædio, tot pereuntium dolore ſaucius, vitæ finem accepit: cum aſſiduis gemitibus, præterita flagitia deteſtaretur, & debitam futuro pœnam deprecaretur. Traiecti agens, diu celatam corporis infirmitatem, diutius tegere non valens (morbum vocant *Draguncul*i) qui illi natiuus erat, Reginæ *Mathildi*, ac proximis detexit: coronam ceteraque regalia vſque ad conuentum Principum conſeruanda in caſtello firmiſſimo, quod *Harmiſtein* dicitur, reponi diſpoſuit ſub cuſtodia *Friderici* Sueuiæ Ducis. Sicq; viatico Chriſti, cæterisque Eccleſiæ ſacramentis munitus diem clauſit extremum x. Kal. Iunij. Anno xx. regni, Imperij xiv. in dimidio dierum ſuorum, quod illi fertur Papa *Paſchalis* prædixiſſe. Nam neque prolem vidit, neque ſenium attigit, neque temporum meruit tranquillitatem. Eiectis viſceribus,

Sal. An. ribus, corpus Spiram perducitur, & Imperiali pompà iuxta maiorum ſuorum mauſolea cum patre, auo, & proauo tumulatur: prodente verſiculo, qui per tumulos diuiſus, oſtendit loculos ſingulorum.

IIII.

Cxxviii *Spiræ ſepultus.*

Filius hic, Pater is, auus hic, proauus iacet illic.

Quatuor ibi mauſolea ſunt, in quibus verſiculus hexameter diuiſus, in metrum vnitur. A Septentrionali plaga ſuper primum ſepulchrum hæc exarantur. *Filius hic.* In marmore ſecundi ſepulchri. *Pater is.* Super marmore tertij ſepulchri *Auus hic.* In quarto *Proauus iacet iſthic.* Sic perficitur verſus hexameter. Adiunguntur his duo Mauſolea operis marmorei, in quibus deſcribitur verſus hexameter, à Septentrione in Auſtrum *Hic proaui coniunx*, in ſecundo, *Hic Henrici ſenioris:* Dies quoque annotantur & anni, quibus præfati obierunt Imperatores ſequenti modo. In primo versùs Auſtrum, *Cunradus II. Imperator Romanorum. Anno Dominicæ Incarnationis MXXXIX. Non. Iunij obijt.* In ſecundo versùs Septentrionem ſic deſcriptum erat: *Huius Filius Henricus Tertius, qui dictus eſt Niger Romanorum Imperator. Anno Dominicæ Incarnationis MLVI. Non. Octobr. obijt.* In tertio versùs Septentrionem. *Huius filius Henricus IV. dictus Senior, Romanorum Imperator. Anno Dominicæ Incarnationis MCVI. Idus Iunij obijt.* In quarto ſcriptum eſt. *Filius eiuſdem Henricus V. dictus Iunior, Romanorum Imperator. Anno Dominicæ Incarnationis M.C.XXV. Kalend. Auguſti obijt.*

Epitaphium *ex Ioh. Cuſpiniano.*

QVI CRVDELIS ERAT PATRI, QVEM SVSTVLIT OMNI
Cxxix *IMPERIO ET VITAM PRÆCIPITARE FACIT:*
HENRICVS QVINTVS FVNESTAM TRANSIGIT ÆVVM,
ASSIDVIS BELLIS, PERPETVISQ; NOTIS.

SYMBOLVM HENRICI. V.

Cxxx *MORTEM OPETERE MALVM. TIMERE PEIVS.*

Monetam auream, & ſignum Henrici V. Imper. vide in pag. 40.

CAPVT TERTIVM.

LVDVS INFAVSTVS

Occaſione *Petri Dani* comitis Schirenſis infauſtè ludentis cum Cæſare *Henrico V.* præſens inſurgit titulus, *Ludus infauſtus.*

1 *Aulici ſint modeſti.* 10. *non adulatores.* 12. *quandoque adulari licet.*
2 *Luſus ſit inter pares.*
5 *Laudare ſeipſum coram magnatibus, inuidiæ plenum.*
6 *Diuitiæ, eloquentia ſecum ferunt inuidiam.*
7 *Chaſun ex eloquentia ſuſpectus, vitam amittit.*
6 *Ibrahim ſimulata inſania vitam ſeruat.*
8 *Lucius Iunius cur Brutus dictus.*
8 *Stultitia quandoquè vtilis.*
9 *Principes incorrigibiles facit adulatio magnatum.* 10. *ſibi omnia vſurpat.* 20. *quàm arduum cum eis ludere.* 19. *Leoni ſimiles.* 21. *eorum gratiæ ſuſpectæ.* 22. *eis ſeruire periculoſum.*
9 *Gualdradæ Bellincionæ modeſtia, pudor*
10 *Guidi Comites vndè veniant.*
12 *Papinianus morte multatur, quià parricidium excuſare neſciuit.*
13 *Dicteria, ſales, facetiæ cui placuerint.* 14. *&* 18. *quàm arduum ſalibus ludere.* 16. *Florentinorum facetiæ, & Spartanorum.* 17. 18. 13. 14. *qui facetijs, delectarentur.* 18. 22. *facetiæ capite punitæ.*
19 *Lingua quam malum.*
20 *Carolo V. facetiæ ſuſpectæ.*
23 *Aula ſeneſcere rarum.*

AVlici, ad vos ſermo dirigitur. Facetos & dicaces ſi quis vos ſeduxit, ad ſilentium reuoco, cum inter Regem, & ſubditos miſcentur colloquia. Quid enim rana cum locuſta? quid fluuius cum mari? camelus cum formica? quid tibia cum tuba? Delectant ſales, facetia capit, dumve- 1

Aulici ſint modeſti.

Luſus ſit inter pares.

venustè arguit, & iocatur lepidè; sed pyrrhycariorum more ludunt in numerum vt
II choreas ducant. Vel melos dicas Bachantium, cum dispares iocantur: Verba mutantur in verbera. Ludunt astra, iocantur corpora, elementa tripudiant; vidimus nos in mari nubes certare; & sæpè sæpiùs cruenta recurrunt, quæ amicè saltabant; nec tanti causa dissidij simultas, sed inæqualitas.
III Ezechielis insequere currum; Bos, Aquila, Leo, Homo vnà currunt, nec reuertuntur, priusquam, Bos spetie laruatus Angelica, cæteris præcellere tentet. Toto, vel in parte elementa perpendas, minimè declinant, si paria. Orbis machinam haud dissolues, quàm partium dispari sede.

Discordiæ causa inæqualitas.

IV

V Inæqualitatis est passio, egenorum spolis ditare diuites, & magnates. Coram dynastis, nonnisi malè, vel temerè loquũtur pauperes, ni bona, vxorē, liberos suos Principum dicāt mancipia. Leo mihi videntur & canis, cum Princeps iocantur & subditus; At cum canis è palæstra victor recedat numquam; ità homo, non nisi expilatus reuertitur.
VI Coram Rege subditus non bonis, non vxore, non consilio, non dictis ludat, hoc est magni faciat, & laudet; si enim coram Magnatibus sua minor laudet, ludit; nec tam bonorum, quàm honoris, & vitæ periculo certat. Magnatibus vnus est gustus, & tunc libentiùs bibunt, cum vinum est alienum, aiebat *Diogenes* in persona Principis.

Sagredus p. 1010.

VII Sultanus *Chasun* Turcarum Regis *Amuratis* frater, annorum xxij. felicem cum fratri ominaretur expeditionem in Persas; officiosa oratione suspectus, dum sermonis eludit elegantia, vitam amittit. Ex aduerso *Ibrahim* simulata insania, vitam redemit; *Lucium Junium* imitatus, qui vt *Tarquinij* tyrannidem deciperet, bestiarum more viuere simulabat, ideò *Brutus* dictus. Coram tyrannis rationabilis est stultitia, vsquè dum naturalis appareat, & non politica. Quis eum carpere poteſt, qui Iouis vicem vsurpat? Segregauit Principes Deus in opus ministerij, sed loco *oneris* cum ipsi gladio scribant *honoris*, quis expunget? Fecit Creator omnia communia, illi verò postquam ea in *meum* diuiserunt & tuum, omnia tandem dixere sua. Vetus est Politicorum cantio, *omnia Principis esse*, quasi ad Principem Deus dirigeret populos, non Principem erga populos. Sed vndè tanta soccordia? Magnatum adulatio facit Principes leues, & impudicos.

Idem p. 106.

VIII

Gualdradam virginem formosissimam cum *Otto IV.* (Florentiæ tunc degebat, in die festo S. Io: Baptistæ) aspiciens, & cuius filia esset? interrogaret Imperator: *Bellincio Bertus de Rauignanis* puellæ pater, qui Cæsaris latus stipabat, respondit. *Talem habet patrem, vt forsan eo non inuito, poteris virginem osculari.* IX Lenocinium, vel timor fuerit, virginis pudor inquirere non sinit. Modestè enim obiurgato parente, honoris sui vllum negauit habere sponsorem: & soli sponso oscula reseruare. Placuit Imperatori virginalis honestas, & X nobili thalamo *Guidi* comitis castum rependens ardorem, Casentini & Flaminiæ dote decorauit. Imperiali digna thalamo, quæ patrem familiæ, & patrem patriæ sciuit edocere. Hoc ex coniugio *Guidi* comites habent natalia. Tali Magistro posse credidit Imperator quod licet; non licere, quod posset.

Guidi vnde veniant.

Ex aduerso *Iulia* Caracallæ nouerca pulcherrima fœmina, cum quasi per negligentiam se maxima corporis parte nudasset, *Bassianus* inquit illectus. *Vellem, si liceret.* Respondit illa. *Si libet, licet: an nescis te* XI *Imperatorem esse, & leges dare, non accipere?* Oh impia fęmina, quando datum Cæsari iura dare naturæ? pertraxit tamen mulieris vox ad detestabile facinus. Nero quum nihil flagitiorum sibi non permitteret, tanto rerum clarus successu, dicebat: *neminem Principum ante ipsum scisse, quid sibi liceret.* Cum tamen ignoraret, quid vicissim liceret populo in malum principem. Sciuit tandem, serò licet, quià in cathedra tyrannorum (hoc est in tumulo.) Legis Regiæ vnum est caput: *Quidquid Principi placet, legis habet vigorem.* Legem hanc quam nec humanam, nec diuinam appello, mercenarij legislatores paucis commenti, dixere. *Principem legibus non teneri, quamuis legibus viuere profiteatur*, dicam clariùs, *quamuis legibus decipere profiteatur.* Dum XII ergo simulat; Subditi intelligere negligant, & videre dissimulent. Fucos, quià non inuenit Papinianus I. Consultorum princeps, morte sua parricidium luit alienum. Magna namque cum laboraret inuidia *Bassianus Antoninus* Imperator, quòd fratrem occidendum curasset; & *Aemilio Papiniano*

Iuliæ impudicitia

Elius Spar. §. 3.

Princeps sibi omnia vsurpat.

no ob eximiã Iurisprudentiam summæ apud Romanos auctoritatis facinoris patrocinium apud Senatum commisisset; cum respõderet Papinianus, *multò faciliùs parricidium perpetrari, quàm defendi*; capite damnatus est ab Imperatore. Ludat nunc seruus cum domino; cum Principe subditus.

XIII *Plurimis placuere facetiæ.* Veruntamen si Dijs iocos, & facetias placuisse, vt de *Cerere* legimus, quum ex itinere fatigata, & mærore confecta sedebat super *irrisibile saxum*, festiuis tamen anus nomine *Iambes* excitata facetijs, risit. Vnde inoleuit antiquis, dum Cereri sacra soluerent, iocos miscere; quod in prouerbium exit, *& Dijs lepida placent*, vir etiam cum Regibus, & tyrannis non licebit quandoque certare salibus, & ludere dictis? Curamur quandoque non tam ab amicis, quàm ab acribus inimicis. Illi monent, hi redarguunt. Vtriq; prosunt, & sunt oppositi, dum per eos vitia nostra discimus persequenda. *Augustus*, vt in alios gaudebat iocis ludere, in se iactos ferebat patiens. Adolescentem prouincialem, qui Romam venerat, cum oris similitudine tam mirificè referret *Augustum*, vt in se totius populi oculos conuerteret, Cæsar ad se accersitum, percontatur: *Dic mihi adolescens, fuit ne aliquando mater tua Romæ?* negauit ille, & iocum retorsit, adijciens: *sed pater meus sæpè*. Stupri suspicionem, quam Augustus intendebat in adolescentis referre matrem, retorquens in matrem Cæsaris, vel sororem. Maiorē etiā sibi à populo dissimulauit illatã, vestibus indutus Apollinis inter matronas Romanas (Dearũ & ipsę gerebant insignia) epulabatur dũ populus laboraret annona; indignati propterea, Augusti nomen, Apollinis superscripsere simulacro Marsiam deglubentis: ità populum haud tonsum, sed deglubitum annuentes: Risit tamen *Augustus*. Magis mirandus cum pertulit, quàm XIV cum protulit iocos: maior namq; patientiæ, quàm facundiæ laus. Idem legitur de *Catone*, qui adeò iocis delectabatur, & oblectabatur dicterijs, vt consarcinaret libellum. Ludunt astra, cingunt æthera nimbi, fugiunt tandem collectæ nubes, Solemque reducunt. Pungunt, sed placent. *Rodulphus* Imperator cum corpus haberet procerum, naso aquilino magno, in decliui semita obuium habuit dicaculum, qui à regijs satellitibus, ex angusta semita Regi cedere crebrò iussus, *Regis*, clamat *nasus viam implet, vt præterire nequeam*. Subridens Rex, flexo in alterum latus naso *Progredere fili*, inquit, *namque nasum meum digitis amoui, nè te impediat*. Acrius etiam in *Nicephorum* Imperatorem dicterium legitur. Cum canum argueret hominem, qui inter milites adscribi rogabat, *Ecquid homo canus in militiam allegi peteret?* aptè is respondit: *Se multo nunc calidiorem esse, quàm adolescens fuisset*. Olim vno auro empto frumento duos onerabam asinos: te autem imperante, quantum duobus aureis emitur frumenti, haud grauatè humeris porto. Imperator dicterium sentiens, abijt; nihil perturbatus. Festiuis lætantur Reges facetijs, salsisque scommatibus magis, quàm vilis palati lenocinijs oblectantur, vt de *Leone X.* Romano Pontifice præcipuè scribit *Iouius*.

Hisce blanditijs aulici sibi blandè ruinam accelerant; & instar nautæ, qui ex procelloso turbine, & ventorum anfractu euasit incolumis, haud trepidant in eum scribere, qui potest proscribere. Venti, & Mare suas tenent illecebras: tumescit quandoque non vt perdat, sed decipiat, cum subsidunt vndæ, & vasto fugiunt æthere nimbi. Quis tamen sulcator Ponti, vel maris scrutator profundi audebit dubio secare æquora cursu, fluctus assiliant, imoque vertatur à gurgite Pontus? Nauita sollicitus ventos horret iniquos. Mare dicas aulam, Regem scopulum, aulicos nauem: inter vtrumq; fremunt immani murmure venti. Qui misceri audet clamoribus æquor, concitare fluctus, excitare procellas; in Regem ludat. Oh hominum impudentia? damnant seruum si in dominum ludat; nec horret subditus Regem illudere. Ægrotantem Leonem visebant animalia, vna officium differente vulpe, licet legatione admonita, & ternis vocata literis, ne timeret Leonem vulpeculæ amicissimum, & nocere impotentem, quià ægrotum. Rescripsit porrò vulpes, se oraturum Superos, vt conualesceret Leo: Cæterum minimè visuram: terreri enim vestigijs. Quæ cum omnia essent antro Leonis aduersa, nulla reuersa, indicium esse multum quidem animalium introisse, sed

ex-

exiſſe nullum. Cauta vulpecula, & Leoni non impar, ſi timida abfuiſſet. Verùm cum cępit adoriri Leonem, & conſuetudine aboleuit timorem, audens cum eo diſſerere, diſcerpta tandem iacuit, & moriens melos ſibi perſoluit in nęnias, poſteris in doctrinam. *Neſcit vulpecula, cum quo*

XV *ludat*. Hiſpaniarum Regem *Ramirum* re-
Ramiri exemplũ. cenſe. Stolidus erat, & Magnatibus magis ludicrus quàm venerabilis. Curatorem cum ei cogitarent, dicterijs increpando, eiuſq; verba redarguendo, dixit: *Plurimum ſermo exuberat, ſed ad ſonum campanæ muteſcent*. Riſu pendère minas. Sed mane facto, truncis campana circumdata viſa eſt iuxta aulam ſub lemmate, cubitalibus literis exarato: *Neſcit Vulpecula cum quo ludat*. Hocce ioco Rex maieſtatem ſuam ſeruauit à iocis. Facetiæ ſint inter pares; dentatæ namque ſunt; nec poſſunt aues ſufferre canum luſum aſperrimum. Cum ludunt bruta, miſcentur morſibus ſaltus; nec à Leone recedit canis, niſi latrando. Æqualitas fouet acumina; & plauduntur dicteria, ni

XVI exurgant in ſatyram. Florentinis quondam
Florẽtini bellum minabatur Gallus ni fortalitia traderent; dicens: *Vel hoc agite, vel noſtris clangemus buccinis*. Quibus Florentini. *Si vos veſtris clangetis buccinis: nos campanas noſtras pulſabimus*. Non longè Spartani tumidis regis Macedonis literis, duo tantumodò, grandi in papyro, reſcripſere verba. *Dionyſius Corynthi*. Annuentes, quod ſicuti *Dionyſium* exulare iuſſerunt; & regno pulſus Corynthi ſcolam aperuit, vt victum quæreret; ſic Regem Macedonem ſuperbia perderet. Laudantur Spartani, quia opibus florentes lingua loquebantur armatâ. Cæterum

XVII nonniſi mimis & pantomimis datum,
Carolus V. Principum laceſcere ſcelera. *Carolus Quintus* Imper. vt mirificè capiebatur facetijs ſcurrarum, mimorum, morionum, inter quos erant *Hadrianus* Camerarius, *Federicus* à *Sancto Erbas*, & quidam nanus natione Polonus; ex aduerſo commouebatur, in eos, qui nobilitate clari iocari auderent. Quos nec muneribus, nec honoribus decorabat in pœnam. Idem legimus de *Ludouico XI.* quum Delphinus exularet Burgundiæ, conueniebat frequens ruſtici cuiuſdam tugurium, cuius ſylueſtri victu (rapum erat) non minus oblectabatur, quàm facetijs. Regnum tandem adeptus, & rapi munere donatus ab eodem ruſtico, donantem mille aureis gratus rependit. Hac fama permotus nobilis quidam equum obtulit regi, blandis, ac facetis munus verbis exornans, gratum ſperans & munificum habere Regem; & quidem fuit, nam albo inuolutum rapum Rex papyro retribuit. Illuſus donator, querebatur in Regem; cui *Ludouicus nè doleas: Rapum enim mille aureis, paraui; tu verò equum nec ſex*. Eſopi finge aſinum & catellum: Hunc blandientem XVIII
& cauda adulantem, amplectitur dominus, *Facetiæ punitæ.*
alludit, oſculatur, micis nutrit, quæ cadunt de menſa. Æmulatur, & aſinus, ſperans vt catello & ſibi propitium dominum. Se itaque erigens, & bipes ambulans, dum ſaltitare coram Domino nititur, tranſiliens, & inſiliens, menſam, Cathedram, Dominum, cuncta proſternit. Propterea ab irato hero flagris cęditur, & fuſte percutitur. Periculoſum itaque cum Principibus iocari. Romæ cùm per forum efferretur mortuus; adſtante *Tiberio*, quidam in aurem mortui inſuſurrauit: rogatus quid dixiſſet, *Auguſto ſe mandaſſe* reſpondit; *populo legatam pecuniam nondum ſoluiſſe Tiberium*. Iratus Cæſar, morionem protinus occidi iuſſit, dicens: *Tu melius nuncium feres Auguſto*. Sic *Matthias* Hun- *Dion.*
garorum Rex barbitonſori ſuo labia demit, nares recidit, quia veſtes reciderat famulitio Cardinalis Arragoniæ leuiri ſui. Interrogatus de cauſa facinoris? feciſſe, ridendo reſpondit, *vt luderet*. Tunc Rex labia demi, nares decacuminari mandauit, vt eas malefactor circumferret in diſco, & ſemper ridere omnibus videretur, quia ridendo gloriatus fuerat de maleficio. Non diſſimilis fuit........ tonſor Imperatoris, cui ludendo dixerat: *Oh Cæſar, nonne vita tua eſt in manibus meis?* tacuit Imperator, ſed peracto miniſterio, mandauit ilicò tonſori ambas amputari manus; nè fortè & ipſe luderent in vitâ Cæſaris, ſi iocari non formidauerat lingua: quæ non minus peccare dicitur, quàm manus. Imò gladij plagam, quàm linguæ leuiorem eſſe dicebat Pythagoras: ille enim corpus, hæc animum vulnerat. Idcirco natura cum ſenſus omnes geminauerit, duos oculos,

duas

XIX duas aures, duas manus, os vnum dedit, vt pauca loquamur, audiamus plura. Lubrica est lingua, & sæpè limites egressa suos, in pericula hominem nolentem rapit, & in mortem eloquutio præcipitat; vt *Solimani* filio *Langori* accidit, quum patris crudelitate filiorum iam, & nepotum cæde polluti, interrogauit, *cur amor resideret in iuuenibus? in senibus verò crudelitas? nam paternæ pietatis obliti non minus suorum sitirent sanguinem, quàm inimicorum?* Iratus pater, arguit, increpauit, conuicijs oneratum eiecit filium, paulò post veneno Sagredus sustulit. Hæc vobis præmia pietas ipsa parauit paterna, ò fili; si pari lingua audentis disparem, & fortiter aggredi manum. Principum gustus sæpè tristis & amarulentus; & dapes quæ manè placent, seriò displicent. Epulas Turcarum Rex fastidiens *Amurathes* accersitum increpat coquum, morti damnat. Se excusat is, quòd regio parata essent fercula luxu; nec nausea ex conuiuio, sed ex Persarum triumphis, qui diebus illis de Turcis victoriam reportauerant. Vrso est qui Regem comparet, in quem haud præualet venator, nisi dormientem inueniat. Veriùs tamen Leonem dices, nam etsi dormiat, lumina rutilant: sic Regem nec dormientem, securum est aggredi, & dicterijs lacessere. Ea si aliquandò non vindicat, dissimulat non præcepto

XX obliuionis, sed vindictæ consilio. *Carolus V.* cum per Gallias, Flandriam peteret, *Franciscum* Gallorum Regem munificentissimum habuit, qui regia pompa, & imperiali splendore ipsum comitabatur. Non defuere tamen consiliarij, qui hospitem recordarentur hostem, & hospitij legibus, vindictam præferrent. Iocus patefecit arcana. Dux namq; Aurelianensis iuuenili instigante ardore, & Gallorum vrgente genio, ascẽsis inopinatò clunibus equi, super quem insidebat Cæsar, exclamauit. *Imperator? te captiuum teneo*. Ludum Cæsar non probauit, dissimulauit vt citius repetere posset limina imperij. Tutius est aulico, salibus suis Sagredus A.1539 pares aspergere; Tunc Princeps ipse delectatur, & aliena ludit iactura. Cum verò Principe ludere, est pilis certare, tu vitreis, ille plumbeis. Victor recedes numquam; nam & Iacob quia luctari cum Angelo ausit, cepit claudicare. Vnde *Homerus* cecinit, *Ardua res homini mortali vincere numen*. Nec Regia de amicitia blandiaris, quia si magnæ XXI Gratiæ Principũ suspectæ. sunt Principum gratiæ maximas minantur ruinas. Pulchra vt plurimum, nocua. Hederæ Reges assimila, quò sincerius stringit, eò damnosius præcipitat. Hinc Vates edocet, quem non audire mortale est.

Viue tibi & longè nomina magna fuge.

Michael Prezatus Epidaurius coactus à Neapolitano Pro Rege, nauibus suis in Hispaniam nauigare, vt *Philippi II.* Hispaniarum XXII Regi seruire periculosum. Regis vexilla reciperet, in nauim suam Regem inuitauit ad cœnam. Venit Rex, nec minus visu quàm gustu delectatus, *Prezatum* vrgebat, vt peteret; quasi Rex erubesceret, ingratus discedere. Recusabat *Prezatus*, Rege tandem vrgente, inquit, *hoc vnum rogo, me à tuo emancipes seruitio*. Non latebat *Prezatum* Græcorum illud adagium, Fuge potentiorẽ. *Fuge procul à viro maiore*. Caue (explicat *Erasmus*) à commercio potentium; habe commercium cum æqualibus. Etenim optimatum familiaritas aut seruum facit, & turpem: aut si nescias adulari, periculis objicit. Notissima vox est eius, qui in cultu Regum consenuerat (scribit *Seneca*) cum illum quidam interrogaret, quomodò rarissimam rem in aulam consecutus esset, senectutem? *Iniurias, inquit, accipiendo, & gratias agendo*. XXIII Aelian. de Var. Histor. Sæpè adeò iniuriam vindicare non expedit, vt ne fratri quidem expediat. *Phauorinus*, cum in disputatione quadam *Hadriano* principi, cui infensissimus erat, cessisset, admirantibus alijs, cur id faceret: *Nonne cedam, inquit, ei, qui viginti legiones habet?* Sic *Alexandrum* docente *Philippo*, graues rerum scriptores non offendere, quòd illis facultas esset, principes bonos exarare vel malos. *Non omnem* (inquit Alexander) *nam Stesichoro, quòd de Helena mentiretur, non fuit vtile*. Brus. lib. 4 c.4. Cum Regibus loquendum aut quàm minimè, aut quàm optimè. Vnde *Aristoteles* auditorem suum *Callisthenem* ad *Alexandrum* mittens, monuit, vt cum eo aut quàm rarissimè, aut quàm iucundissimè loqueretur: vt regijs auribus, vel silentio tutior, vel sermone esset acceptior. At ille dum *Alexandrum* Persica salutatione gaudentem obiurgat, & ad maiorum mores inuitum reuocare perseuerat; Valer. Max. l.7 c.2. Spiritu carere iussus, seram neglecti salubris consilij pœnitentiam egit.

LIBER XX.

CAPVT PRIMVM.

LOTHARIVS II. SAXO

OCCIDENTIS IMPERATOR XX.

1 *Iudex etiã Mendaciũ auscultare tenetur.* 2 16.*Lotharij II. Imper. Hieroglyphicum*, audi alteram partem. 3. *restituit iura Ecclesiæ.* 4. *natione Saxo.* 5. *Ethimologia.* 7. *vxor.* 8. *Henricum superbum conciliat.* 10. *pius in mortuos* 11. *Episcopos residere cogit.* 12. *Modetiæ coronatur.* 14 *leges restituit Imperiales.* 17. *priusquam cum hoste cõfligeret, ad sacram accedebat synaxim.* 18. *ter Sacrum in die audit.* 19. *gesta eius in plumbi lamina describuntur.*
15 *Pisani in præmium victoriæ, Pandectas Iustinianas petunt.*



I. Coram *Lothario II. Imper. Veritate* altercantibus & *Mendacio*: dum *Veritas* causam agit, hanc benignè Cæsar audit, sed vnam claudit aurem, in gratiam *Mendacij* (quamuis ipsi iudici *Mendacium* apparèret, suis exornatum insignibus vt & *Veritas*; quorum est; Hanc vera: Illud falsa proferre) Vt naturæ irreuocabile principium, *Audi alteram partem*, tanquã indispensabile, iudicibus exararet: quibus nefas, *Mendacium* ipsum arcère, ne audiant.

ALLVSIO AD HIEROGLYPHICVM.

I.

Vis veri geminas Lothari sibi postulat (aures:
Vis falsi aduenien ne det vtranq; vetat.
Audiuit Princeps, partitis auribus ambas.
Quanquam vim falsi falsa referre sciat.
Miranti, & veræ virtuti, & multa quereñti
Lotharius ridens talia verba dedit,
A Rege expectes vni vt tibi gratia fiat,
Iustitiæ virtus exigit vna duas.

P.Franc. à S.Augustino Macedo.
Lector Patauin.

II.

Quisquis amat Iudex, æqua decernere lãce,
Lothario vtrique, Iudice, is parti vacet;
Arbiter hic lites, æquà vt discriminet vrna,
Hanc veritati aurem, alterã Fraudi parat.

Io:Fran. Franzinus S.Th.D.

III.

Reddita iã terris Astræa reliquit Olympũ
Hic, vbi Lotharius præsidet, ipsa manet,
Cæsar in Imperio ius condit, & arma fatigat;
Strenuus, ac sapiens munus vtrunq; gerit.
Dux adstat Miles; Iudex sedet, atq; Tribunal
Exposuit; Cunctos ad sua iura vocat
Adsunt Actores; fatur Dea nescia fraudum;
Postea vult mendax Numen & ore loqui.
At Dea, cum loquitur: cur aurẽ cõtrahit vnã,
Obstrujam Iudex, altera sola patet?
Partibus aduersis, binas Rex diuidit aures;
Ambas tantum vni tradere, turpe nefas.
Iupiter in superos tulit hanc à Cæsare normã,
Ius, sic vos Reges, ferte cuique suum.

M.Anton. Moles Neapol.
S.Theol.D.



Sal. An. 1126

LOTHARIVS II. SAXO,

OCCIDENTIS IMPERATOR XX.

Gratulor tibi, Beatissime *Honori*. III. *Regnante Papa Honorio, Lotharius dedit pacem Ecclesiæ.*
te claues tenente & clauum,
Nauis Piscatoris remulcauit honorem.
Ecclesia ædificata in Petro, reædificata est in Petra:
quum *Saxo* expoliuit Saxa: IV. *Natione Saxo.*
& Nomen futuro sortitus ab Imperio.
Princeps erat, & nesciebat
Dominus populi (hoc est) *Luderus*. V. *Germanorum Ethimologia.*
Quaterno cardine voluendum Orbem
cum *Fridericus*, *Conradus*, *Carolus*, *Leopoldus*
Specie recusantis flagrantissimè cuperent; VI.
Terra quieuit in puncto:
Aquila
in Saxo mallens nidificare, quàm inter Leones & Pardos.
Rixam habuit, sed in pace vxorem, VII. *Rixa vxor Lotharij.*
Ex qua filias tulit,
quibus humiliauit Superbos. VIII. *Dat filiam in vxorem Henr. Superbo*
Non regnum petens, sed petitus à regno,
in Bohemos mouit. IX. *Inglorius recedit, mouens in Bohemos.*
Et quia nix lanam excesserat,
Trophæa in glacie reliquit.
Redijt tamen immortalis.
Eius manus onustæ Manibus, X. *Cineres mortuorũ fert in patriam.*
in thalamum habuere tumulum.
Mira Pietas,
Domum reduxit viuos, & mortuos.
Ne aberraret, nolens errare sydera sacra XI. *Episcopos nec Euangelij promulgandi causa, errare permittit, sed residere coegit.*
etiam Apostolos reuocauit:
Preferens custodire suas.
quàm oues inuestigare alienas.
Ipsemet foris hostes neglexit,
vt Argus domum à Monoculo custodiret
Conradus, *Fridericus*
Is obliquè intuens *Lotharij* sortem;
Ille fastu repetens, quod astu remiserat;
Fidi in perfidia, Aquilam,
quam non cœperunt in luco, Verbeno captarunt in lacu.
Latium, semper fuit tyrannorum lustrum.
Modoetiæ
1128 *Conradum* coronauit *Anselmus*, II. *Coronatur corona paleari.*
quà potuit facilitate, non quà debuit facultate.
Quid minus dare poterat Mediolanensis Antistes,
quàm paleam in pileum?
In coronà alienà mitram proiecit, *Lotharius Conrado parcit, intercedente S. Bernardo.*
Vtrumq; ab Ecclesia reiecit.
Auro redimitus *Conradus*,
Vix se se à ferro redemit.
Et cecidisset, ni prò eo Sanctus intercessisset.

Successorem nemo tollit,
Interim in Vrbe turbæ.
XIII. *Papam protegit in Antipapam.*
Actum erat de innocentia,
Ni Aquila descendisset in Leonem.
à Gallo haud territus, incubauerat in Petri sede. 1130
Et in Petram surrexerat *Petrus*
Pseudo *Anacletus* in *Innocentium*
Cæsarem Papa, tyrannum inuocant Antipapa,
Vterque adfuit
Lotharius, *Rogerius*
adorat ille, derogat iste;
XIV. *Leges restituit Imperiales.*
Sed Aquilæ in sinu Romana triumphat Innocentia.
Pax inde euocauit Iustitiam:
& Iustinianus.
qui sæculo quinto vixerat, octauo deuixerat,
duodecimo in *Lothario reuixit*.
Et translatione vocalis in *Ius*, *Vis* reuocatur.
Iani postes claudere impotens,
Portas Musis aperuit.
Armauit Palladem,
vt Minerua Italos vel inuitos instrueret;
& leges discerent inter fulgura,
quas in tonitru Romani dedidicerant.
Vestra pensate exempla Principes.
Dum gloriam legum Cæsar pandit
In pretium Sanguinis
Pisani *Pandectas* repetunt.
XV. *In præconium victoriæ Pisani pandectas Iustiniani petunt.*
quas solis Siculis non calamo exarauit, sed capulo.
Lucernam iuri accendit *Irnerium*
& Toga Astræam induit,
quam spoliauerant Salici, & Longobardi.
solutus legibus, volens viuere legibus,
hanc sibi imposuit:
Audi alteram partem.
XVI. *Lotharij Symbolū.*
Eà iuratà, ferè Pontificem abiurauit,
reosque dixit innocuos, si inauditos.
Cessit Papa, ne Cæsar accederet Antipapæ.
Simulque sederunt Maiestas & Amor.
Cassinenses protegit aduersus Papam.
Cum Ecclesia commercia nectens,
munera sparsit non ingrata, nec ingratis.
Hostem deuouit numquam, priusquam voueret hostiam;
& Missam Mysta litaret.
XVII. *Priusquam cum hoste confligeret, semper ad sacram accedebat synaxim.*
Ter in die sanctè cadens
opem tulit militi, manibus, Ministerio.
Non plus procidit Deus
Cum in horto ex Orco hominem traheret
XVIII. *Ter sacrum in die audit.*
Vis scire quid fuerit?
Fodi tumulum,
Inter cineres facta reperies.
XIX. *Gesta eius in plūbi lamina descripta, sunt in tumulo reposita.*
Quo Fato Mors fastos fregit in cinere,
Eosdem mortalis celauit in marmore;
Ne fama sileret, & flamma celaret.

Oc.

Occìdit quandoque mortuum Fama
cum nomen prodit, & gesta perdit
Inuita morte,
Orbus nouo prodire volens in Orbe,
cum sarcinis enatauit,
Facta ferens cum Fastis.

CATENA HISTORICA.
CAPVT SECVNDVM.

Sal. An. 1126

47. *scribit ad Rixam Augustam.*
36 *Florentij II. Com. Hollandiæ effigies.*
36 *Diederici VI. Hollandiæ Comitis effigies.*
52 *Cassinensium priuilegia.* 54. *Pontifici reconciliantur.* 66. *priuilegium.*
55 *Reginulfus Dux Apuliæ.*
57 *Pisani capta Amalphi in partem prædæ* Pandectas *petunt.*
58 *Rogerius fugatur à Pisanis.* 67. *simulatione pacis Apuliam occupat.* 71.
63 *Papæ eius in Cassinensi Monasterio.*
64 *Apuliæ Dux à quo inuestituram recipiat.*
68 *Rinaldus Abbas Cassinum aggreditur.*
68 *Guibaldus Abbas Rinaldum reprimit; Lotharium Imper. implorat.* 70. *Fugit timore Rogerij.*
86 *Irnerius primus Bononiæ docere cœpit legem ciuilem.*
71 *Stephani Regis Hungar. libido.* 74. *Almum eliminat.* 75. *Belam adoptat.* 77. *effigies.*
77 *Belæ II. Regis Hungar. effigies.* 78. *ebrius moritur.*

EX Patre *Gebhardo* Comite in Supplenburg & Arnsberg, ex antiqua stirpe Comitum Quernfurdi ad Hercyniam; & matre *Heduuige*, quæ fuit filia Friderici Bauari, Burgrauij Noribergensis nascitur *Lotharius* Imperator circa annum Christi 1070. in regione Luneburgensi non procul ab vrbe Cellensi sita. De patre irrefragabile Ottonis Frisingensis legitur testimonium. *cap. 17. lib. 7.* Imò Krantzius *lib. 6. cap. 1. Saxon. Luderus Dux Saxoniæ, pronepos Gebehardi eius qui fratrem habuit Brunonem religiosum virum, qui in Brussia prædicans pro Christo fecit martirium, sub imperio Henrici*
I. *II. annis octo post mille. Erat is proauus Comes de Queruorde filium habens Burchardum qui genuit Gebehardum huius Luderi patrem, comitem de Suppelenborg. Solent autem nobiles titulum mutare, vel ex successione materni generis, vel ex dote quam accipiunt, vel ex Principum collatione. Vnde factum est, vt hic nouissimus Gebehardus, & eius filius Luderus, dicerentur comites non de Queruorde (qui hodie extat titulus Comitum in Hercinia) sed de Suppelenborg, qui ante nos titulus euanuit, patritum erat Gebehardo & Ludero filio, priusquam ille ducatum Saxoniæ assequeretur. Luderum autem propter nominis consonantiam Gallici, atque Italici scriptores dixère Lotharium, quod hoc illis imperatorium nomen videretur.* Bucelinus verò in historia Agilolfingica pag. 402. ab antiquioribus genesim ducēs arborem pingit sequētem. Vndè habuerit? latet, penes eū fides sit.

Bruno I. Nobilis Dominus Querfortensis, claruit anno octingentesimo quinquagesimo. Vxor Oda familiæ incompertæ.

Prozo, Nobilis Dominus Querfortensis, floruit anno 910.

II. Mechtildes Comitissa Osterburgica & Altenhusia, &c. | Prozo II. Nobilis Dynasta Querfortensis, 960. Vxor Ida. | Theodoricus cælebs 935. | Guilelmus, 935.

Theodoricus, Dominus Querfortensis. 969. | Bruno II. Nobilis Dominus Querfortensis, demum Monachen professus, obijt 1008. Vxor Ida. | Guilelmus, cælebs. | Carolus, cælebs.

Elisabetha, Abbatissa Pragensis. | Burcardus I. Anno Domini 1035. Vxor N. Comitissa Haldeslebiensis. | Gebhardus I. Vxor Sophia, Comitissa Mansfeldensis. | S. Bruno, Asceta Magdeburgensis in Prussia Martyrio coronatus 1008.

Gerardus, Dynasta de Querfort, claruit 1076. Vxor Oda, Comitissa Amerslebij. | Gebhardus, Comes à Querfort, in Supplinburg, Arnsberg, &c. occ. anno 1075. Vx. Hedvvig Burggr. Norimbergensis. | Burcardus Dominus de Querfort, non. geminus dictus Bruno. | Mechtildes, Vxor Conradi Archiducis Carinthiæ.

Gertrudes Vxor Simonis primi eo nomine Ducis Lotharingiæ.
Petronilla, Vxor Florentii II. Comitis Hollandiæ.
Lotharius, comes Querfortensis, Dux & Elector Saxoniæ creatus ab Henrico V. Imperatore, dein Romanorum Imperator Augustus, obiit 3. Non. Dec. 1137. Vxor Richsa, filia Henrici Pinguis, Ducis Saxoniæ, Comitis Northeimii.
Conradus, Nobilis Dominus Querfortensis. Vxor Sophia, Ducissa Sueuiæ.
Richsa, Vxor Ciliuiæ comitis.
Itha, Vxor Gerardi, Comitis Bruckhusani.
Conradus Archiepiscopus Magdeburgensis, obiit 1142.
Gebhardus bello Lotharij Bohemico occubuit 1126
Burcardus III. Nobilis Dominus de Querfort, primus Burggrauius Magdeburgius à Lothario Imper. creatus, anno 1152. vxor N.
Helena & Sophia Virgines.
Catharina de Querfort.
Henricus, Nobilis Dominus de Querfort. Vxor N.

Lotharius Saxoniæ Dux infans extinguitur.
Gertrudes, Saxoniæ Ducissa & Hæres, Vxor Henrici, cognomento Superbi, Potentissimi Bauariæ Ducis, inde Henrici, Austriæ Ducis.
Hedvviges, Vxor Ludouici III. Comitis, quem Landtgrauium Turingiæ fecer creauit.
Burcardus II. Nobilis Dominus Querfortensis, Burggrauius Magdeburgensis secundus, claruit anno Christi 1153. Vxor Mechtild. fil. Lamb. Com. Turing.
Gerardus, Nobilis Dominus Querfortensis, claruit anno 1160.
Philippus, Dominus Querfortensis.
Bruno, Nobilis Dominus Querfortensis.
Christophorus, claruit 1159
Reinhardus, Episcopus Merseburgensis, anno Domini 1155
Mathildes, Vxor 1. Adolphi, Comitis Holsatiæ. 2. Henrici, Comitis ab Orlamunde.
Barbara, Domina de Querfort.

NO-

Sal. An. 1126.

Nomen.

III LOtharius à latinis, vt supra notauit Krant. *Luderus* à Germanis, hoc est Dominus populi & hominum; vt notat Christianus Matthias. Cognomento dicitur *Saxo* quia in Saxonia natus; & quia eã in ditionem, vel regimen acceperat ab Henrico V. ob fidelem operam in bello præstitam.

Vxores.

IV VNam habuit Lotharius *Rixam* nomine, filiam Henrici Comitis Northemij. Vel *Richsam* ait Bucelinus filiam Henrici Pinguis Ducis Saxoniæ, Comitis Northeimij.

Liberi.

TRes Lothario fuere. *Lotharius* impubes mortuus. *Gertrudis*, quã pater dedit Hẽrico Duci Bauariæ, qui *Superbus* cognominatus est. *Heduuigis*, quam Ludouico Barbato matrimonio iunxit.

ELIGITVR IMPERATOR.

V *Conradus & Frid. Sueuiæ aspirant ad Imper.* HEnrico Cæsare vita functo (ex Krantzio, Vspergensi & Ottone Frisingensi ait Posseuinus *lib.2. Histor. Gonzag.*) plures quos potentia, opes, nobilitasque tollebant; ambitu, precibusque locum procurabant. Vetus Patrui gloria spem imperij offerebat Conrado Sueuiæ, & Federico Franconiæ Ducibus; nam *Henrici* proximi ex sorore nepotes maternam nobilitatem paternæ æquabant, paresq; magno nomini credebantur. *Frider. & Conradus nepotes Henrici.* *Fridericus* vir moderati animi, religiosus, prudens, & fortis commendata cum ab auunculo insignia tenèret imperij, nihil subesse doli veritus, causam eius fauente *Conrado* fratre, iam penè certus de se eligendo, vt moderationis suæ ille quoque præferret indicia, & insignia Imperij principibus restituit, & vt cæteri imparem se illi negotio etiam abhorrentem oneri demonstrabat. VI *Leopoldus Austriæ.* *Leopoldus* Dux Austriæ, non diuitijs, non auctoritate minor, eandem potentiam vt debitam prospectabat. *Carolus Comes Flandriæ* *Carolus* Flandriæ Comes, veteri familia, & consilij certus, suas vires, suam nobilitatem ostentans; non se aduersum Pontifici, aut Germanis Principibus inuisum ferebat. Hæc VII *Archiep. Mogunt. inimicus Hẽricianorum.* iactabantur in Principes, procurante *Alberto* Archiepiscopo Moguntino, qui domum *Henrici* non amaret; Saxones autem à quibus diù defensus esset, haberet in pretio. Nec id Præsuli ad vindictam satis videbatur, ni futuro quoque prospiceret, eique daret imperium, qui Henricianis infestus, posteros quoque eius æmulatione prosequeretur. Aderant familiares, consiliorum ac occasionis gnari, qui stirpem insectarentur hostilem, monerentque caueri, partem vindictæ, à maioribus in successores transmissæ. Ad rem videbatur *Lotharius* Dux Saxoniæ, fortitudine animi, & potentia imperatoria, qui plures annos Henricos exercuerat. Nec quamquam victus, animos, contumaciamq; deposuerat sed refecto exercitu, bellum anceps Cæsari, ac Principibus, eius fortunam secutis meditabatur. Hic creditus concepta olim in Henrici fautores Principes odia retinère (quæ potentibus æterna sunt) & ad causam facere, si nouis meritis gratiam, Principemq; aucuparetur, ambiguum futuri ad imperium vocando. Ergo vbi coacto cętu Electorum, de nouo Principem eligendo actum est, & officio, & auctoritate potior Moguntinus sic locutus fertur. *Non his mihi primus dies Patres conscripti, fidei, & constantiæ est; ex quo annuente Numine primatu Germaniæ vobis dicentibus, sum aßecutus. Testis mihi factorum, dictorumque conscientia, Patria ipsa, & Italia; quorum fœlicitati gratulatus, seditione abstractus sum: Testis Vrbs Roma, precibus, nuncijs, epistolis non semel adita, cum pacem Imperio, non bellum probarem. Et non Dei clementia in res Germaniæ, Henrici impotentiam, peruicaciam, odia euasimus. Quæ ne in hæredes sanguinis transeant, iure metuo. Post multum sudoris, ac laborum, tandem conquieuimus; Imperio, ac Pontifice conuenientibus. Nec id diuturnum fuit, sed veterem, & plurium annorum portentosam seditionem, pax annua vix excepit. Curandum nobis, vt communi bono, in multum æui procurrat. Enimverò quinam conatus turbare Germanias, aut discordias serere poterunt, si vnanimes libertati, ac consensui studeamus? Galli, Poloni, Itali, quique pacem nostram lacescere ausi, vindictam temeritatis experti, delitescunt tanto minus futuris nouitatibus intenti, quanto ne præteritorum memoria recolatur magis formidantes. Corradum, ac Federicum: illum Sueuiæ, hunc Franconiæ angustijs septos Imperio instare nouistis, ambitu, ac spe inani: & quod*

Sal. An. 1 12 *quod gloriæ præcipuè obsistit, inuiso nobis, & exteris, maior, nomine. Nec cæteros Germaniæ proceres animi, viresque destituunt. Hoc attentius spectandum, per bonas artes Imperia apud æmulos, an per flagitia quærantur: cauendumque ne electus Cæsar, Parentum consanguinitate, prauos mores reducat; & in ea, quæ tot annos miseram Germaniam excedere, relabitur. Decorum est admissa scelera castigare; pulchrius prouidere ne peccetur. Solida nec vllis aduersis concussa pax Regno obueniet, vbi summis Pontificibus conuenerimus. Hinc pietatis, ac prudentiæ certissima opinio. Eum in pace retenturum obsequium censeo, quem bello, & armis stabilem in officio deprehendimus. Pro Pontifice, atque adeò pro pace nostrâ, nec sibi nec suis Lotharius pepercit Saxoniæ Dux; nec superatus ex toto fidem, aut desertus à suis fortitudinem exuit. Huic species Imperio digna, Patriæ Charitas, obsequium in Romanum Episcopom denique in Henricos aduersis odijs inuisos indignatio commendationem addunt. Quod si & ipsi Imperium recusant, quibus videbatur deferendum, Lotharium imploremus, nec patiamur Imperij dignitatem iacère contemptam. Facilè Archiepiscopo fuit, pronos, & gnaros allicere.*

Vnanimi itaq; consensu *Lotharium* eligunt nihil recusantem. *Fridericus* vt dolos persensit, iam rem vertere nec poterat, nec tentare modestum putabat. Austriacus, ac Flander primi iussis paruère: *Corradus*, ac *Federicus* apertè defecère; collecto milite, & ad bellum tracto. Nec alia consilij ratio, quàm quod postpositos se per inuidiam, & velut impares exercendi crederent. Moguntiæ facta est electio Mense August. coram Sedis Apostolicæ Legatis. Idibus postea Septembr. die Dominica cum eisdem legatis, & duobus Archiepisc. & octo Episcopis, & multis Abbatibus, & cum eminentioribus aulæ regalis primatibus, Aquisgranum veniens, à *Federico* Archipræsule Colonniensi in regem vngitur, & benedicitur, omni Clero & populo festiuum ἐπινίκιον, acclamantibus. *Robert. de Monte*. Rege coronato, *Mathildis* Henrici V. vidua ad patrem in Angliam reuertitur, manum S. Iacobi secum deferens: per quod irreparabile damnum regno Francorum intulit. Interim pro confirmando Rege Legati Romam mittuntur *Gerhardus* Cardinalis Cameracensis, & Virdunensis, Episcopi.

Lotharius Imp. — VIII *Mathildis reuertitur in Angliã.* — IX — *Dodech.*

HOSTES LOTHARII A PONTIFICE EXCOMMVNICANTVR.

x CVm *Fridericum* & *Conradum* fratres, iniquo ferentes animo ab imperio exclusos, aduersus se comperisset *Lotharius* arma parare, qui tum Norimbergæ Natalitia celebrabat, matura statim de eis propulsandis consilia cœpit: atque *Honorium* Pontificem, vt vtrumq; sacra detestatione percuteret, incitauit. *Prima Regis expeditio in Bohemos fuit. Eo quia Otto Comes Moraniæ, ducatum Bohemiæ affectans, Principem adijt, eique magnam pecuniam permittens, vt Bohemiam secum intraret, cumq; Ducem crearet, inclinauit. Vlricus, qui eundem Ducatum fortè habebat, impedire volens, nullo principem obsequio à cœpto reuocare potuit. Igitur Rex Saxoniam intrans militem instaurat: ducensq; secum Ottonem, claustra syluarum, quæ Boemiam, & Saxoniam seiungunt, hyemali tempore ingreditur. Dux Boemiæ Vlricus in ipsis syluarum abditis locis septis vndiq; syluis, super amniculum quemdam castra posuit. Rex cum suis propter nimietatem niuium à recta via exorbitans, ac per deuia syluarum oberrans ad prædictum amnem forte venit, suis viæ labore nimio, & inedia exhaustis quiescere volentibus. Barbari turbatum cernentes amnem hostes in proximo esse præsentiunt. Ex improuiso superuenientes, Saxones, qui in prima acie erant, iam per niues deambulando fatigatos inuadunt, ac prauis per fugam elapsis, quibusdam captis, cæteros crudeliter occidunt. Videns hoc princeps, suisque ex angustia viarum nullum præsidium ferre valens, sæuissima mentis amaritudine perculsus, rerum tamen quas ab adolescentia gesserat, ac antiquæ virtutis memoria, quasi cœlesti rore repletus, in collem quendam cum paucis, quos adhuc residuos habebat, se recepit. Quem præfatus Dux suis in circuitu positis, magnarumq; arborum iactu & clausura redditum negantibus tanquam clausum tenuit. Tandem Henrico Saxoniæ Marchione, qui de sorore Ducis natus, cum Rege aduenerat, mediante, ad pedes Imperatoris satisfactionem offerrens, humiliter Dux venit, homi-*

hominumque sibi cum Sacramento fidelitatis exhibens, Ducatum ab eo suscepit, captiuos reddidit: sicque Princeps portatis secum eorum, qui nobiliores erant, funeribus, cum mærore rediit.

XII Decretū de residētia Episc. Ad eum postea Bambergensibus querimonias vocitantibus, Ecclesiam suam longo iam tempore viduatam pastore, ob absentiam *Othonis* Episcopi, qui inter Slauos sanctè legationem exercebat Apostolicam, licet magno animarum & religionis incremento, quærere consolatorem: credens *Lotharius* Episcopum magis teneri gregis sui oues custodire, quàm inuestigare alienas, mandauit, *vt celeriùs rediret, his legationibus Pomeranorum Apostolus* Andreas Abbas in Ottone III. lib. 3. c. 32. *contraire non valens, antequam responsum Archiepiscopi Danorum reciperet, ad sedem suam redire compulsus est.* Ratisponam postea diuertens *Lotharius*, cum in conuentu Principum inquireret, XIII Bona proscriptorū cui competant. *an prædia iudicio proscriptorum à rege, si iustè foris factoribus abiudicata fuerint, vel pro his quæ regno attinent commutata; cedant ditioni regiminis, vel Regis proprietati? iudicatum, potiùs regiminis subiacere ditioni, quàm Regis proprietati.*

Peracto conuentu, suadente Archiepisc. Moguntino, in odium *Friderici* & *Conradi* fratrum *castrum Noricum, vbi ipsi præsidia posuerant, & iure possidebant hæreditario, adiuncto sibi Boemorum Duce Vlrico, & Boiariorum Henrico, obsidione clausit. Dux autem Boemorum, cum barbari qui cum eo venerant, nec Deum timentes, nec hominem reuerentes, omnia vicina depopulando, nec etiam Ecclesijs parcerent, à Principe post aliquod tempus redire permissus est.* XIV Nurembergam obsidet Lothar. Interim *Fridericus* & *Conradus* fratres collecto milite, vt obsidionem soluerent, appropinquant castro. Quod videntes oppidani, cantibus, & plausibus lætitiam significant: *Lotharius* tutiùs iudicans obsidionem remittere, quàm infidę fortunę se incautè committere, castra reuocat, Herbipolim se conferens. XV Fugatur à Frider. Oppidani descendunt, castra iam vacua irruunt, & si quæ ibi remanserant, diripiunt; dominos suos suscipiunt, in castrum ducunt, muniunt: indè Regem insequentes, cum extra muros Herbipolis tyrrocinium, quod vulgò *Turniamentum*, cum militibus exerceret, vsque ad muros ipsos progrediuntur. Rhenum posteà transeunt, & Spiræ, freti amore populi ob memoriam Cæsarum, qui ibi sunt humati, præsidia collocant. Otto Frising. lib. 1. c. 16. de gestis Frider. I. Quà Princeps, iuncto sibi *Alberto* Moguntino, obsidione circumdata, multos ibi dies consumens, præualere non potuit. XVI Spiram obsidet.

NVPTIÆ GERTRVDIS FILIÆ LOTHARII IMPER. cum Henrico Bauariæ Duce. Sal. Anno 1127.

AFfinitatibus studens *Lotharius* firmare potentiam, *Gertrudem* filiam suam in XVII Merseburg, festo recurrente Pentecostes, *Henrico* Bauarorum Duci pompa desponsauit regalis; Et quia vrbium angustiæ tot concurrentium Europæ Principum non caperent in amplissimis Lycatium, haud procul Augusta Vindelicorum, campis, splendidissimo apparatu, effusissima omnium hilaritate celebrauit, præterq; epulas regio splendore datas, Ludos solemnissimos instituit, multaque spectacula edidit, ad omnem posteritatem memoranda. Inde Sponsa Rauenspurgum transmissa, ipse soceris Imperatoris castra sequutus, magnanimum Heroem, se vbique; probauit, *omnium sui æui mortalium audacissimus* appellatus; elogium quod in *Superbum* humana detorsit inuidia, vt indè *Superbus* diceretur. Aut verè Superbus, quia (vt postea dabimus) ipse ad vanam iactantiam diuina vsurpando attributa de seipso caneret. XVIII *Dominabitur à mari, vsque ad mare.* Posteà Principes Germanorum, *Lotharij* successorem noluerint quia *Superbum*. Bucelinus *p. 399. histor. Agilolfing.* Huius si quæras natalia? *Henrici* cognomento *Magni*, & *Vvulphildis Sax.* filius fuit, vt ex Ottone Frisingensi, Roberto de Monte, Krantzio, Bucelinus deducit. Vvlphildis genesis.

Accepit *Henricus*, *Magnus* Bauariæ Ducatum ab obitu fratris *Vvelfonis*. Anno Salut. 1120. Ex vxore *Vvilphilde*, vel *Vvulphilda*, *Magni* Saxoniæ Ducis filia genuit *Henricum* cognomento *Superbum*, *Vvelphonem VI. Conradum* (qui Monachum in-

Sal. An. 1127 duit, & sui exemplo etiam patrem in cœnobium perduxit, vbi non sine admiratione mortalium, voluit prius mundo mori, quàm Fato defungi) filias *Iuditham*, *So-*





phiam, *Mathildam*, *Vvulphildem* quibus *Helenam* etiam *Bucelinus* adiungit.





MATERNA GENEALOGIA HENRICI SVPERBI.

XIX. *Hermannus Bilingus* incerti generis, sed claræ virtutis, à Magno *Othone* Imper. filiorum educationi præfectus. Saxoniæ inferioris demùm Dux. Obijt Anno 981. Vxor *Hildegardis* Vvesterburgica.

Suanhildis, Vx. 1. Ditmari March. Lusat. 2. Eccar. March. Misn.	Bernardus, Elect. Sax. 1. obiit 1021. Vxor Geila, Ducissa Pomeraniæ.	Lotharius, Comes Holsatiæ, Stormariæ, Ditmarsiæ, Vvagriæ. Vxor Emma Comitissa Geldriæ.	Dietmarus, cælebs decessit.	Methtildes, Vxor Balduini Iun. Com. Flandr.

Mechtildes, Vxor Mistenoii, Reguli Obotritorum.	Bernardus Iunior, Elector & Dux Saxoniæ, ob. 1073. Vx. Bertrada, filia Reg Norvag.	Ditmarus, Comes Holsatiæ, Stormariæ, Vvagriæ, Ditmarsiæ, &c. in duello interimitur anno 1048.	Bruno, Episcopus Alteburgius, Hildesii in Dedicatione ob.it.

Hildegrada, Vxor Buthuæ, Reguli Obotritorum.	Ortolphus, Dux Saxoniæ, Angriæ & Vvestphaliæ, S.R.I. Elector. Vx. 1. Gisela, Regina Daniæ, 2. Gertrud. Brandenburg.	Hermannus, Comes Holsatiæ Ditmarsiæ, Stormariæ, cælebs vita excessit ann. 1066.	Anonyma filia, Vxor Roberti Frisii, Comitis Flandriæ.

Magnus Dux Saxoniæ, & Elector, Princeps laudatissimus. Vxor. Sophia, filia Geisæ Regis Vngariæ.	Ottho, Comes Frisiæ, Holsatiæ, Stormariæ, Vx. Irmgarda, filia Conradi Sueuiæ Ducis.	Bernardus puer equo ferocienti excussus, ex illisione mortuus.	Hermannus Princeps ab Henr. IV. impio Cæsare in vincula coniectus.

Vvlphildis, Vxor Henrici Guelphici, cognomento Magni, Ducis Bauariæ, Saxoniæ, Spoleti, Marchionis Tusciæ, Princip's Sardin. Alectæ demum Monast. Veingart.	Elica, Ducissa Saxoniæ, Angriæ & Vvestphaliæ. Vxor Othonis cognomento Diuitis, Comitis Ascanict & Salisquellensis, qui cum affine de Electoratu contendit.

Ce-

Sal.An. 1128 Celebratis nuptijs *Henricus* vt Imperatori gratum faceret, immemor affinitatis, quàm cum *Friderico* Duce tenebat, nam *Juditha* Henrici soror, vxor erat *Friderici*, bellum indicit. Alemaniam ingressus, non longè à Danubio super fluuium Vverenza, castrametatur. Quo comperto, *Fridericus* & *Conradus* & ipsi militem colligunt, nec longè tabernacula ponunt. Missis exploratoribus hic indè, Dux Noricorum cognitis hostium viribus, incautum credens, hostes expectare, receptui canit. Sed tanta festinatione Bauari, veluti imminentem declinauerunt hostem, vt pontis angustias suspectas habendo, in infidis amnis procellis, qui imbrium multitudine excreuerat, incautè se committerent, & natando periculosè transmisso, in patriam non sine rubore remearent. *Otto Frisingensis lib.* 1. *de Gestis Friderici I. cap.* 18. Porrò quàm apertè decipiatur *Baptista Pigna hist. de Princ.* neget qui antiquis audet hodiernos preponere.

Lugubris clauditur hic annus MCXXVII cum plurimorum præsulem funere, Theodorici Monasteriensis; Vdalrici Constantiensis; *Ebhardi* Argentinensis; Perodelberi Leodiensis; & Godebaldi Traiectensis; tum parricidijs Guillelmi Burgundiæ Principis, qui à suis occiditur; & Conradus de Leringa à Lothario subrogatur. xx *Guilelmi Burgundi & Caroli Flandri mors.* Caroli Flandriæ Comitis, qui sui temporis omnium iustissimus, coram altari, dum orationibus intenderet, à suis occiditur. *Dodechinus*.

CONRADVS AB ITALIS IMPERATOR SALVTATVR. Ann. 1128

xxi Ambitione honoris, vel defensione salutis *Conradus*, in quem Archiepiscopus Moguntinus Cesarem sollicitare non cessabat, contra *Lotharium* se se Regem asseruit, cedente *Friderico* fratre, & principibus aliquot suffragantibus. Insolentis inde arridentis fortunæ elatus obsequio, Pyreneum per iugum septimi montis, quà Rhenus, & Ænus fluuij oriuntur, cum exercitu maturauit, atq; *Anselmum* Archiepiscopum, & populum Mediolanensem qui tunc Cumanum bellum x. annos protractum, capta ac deleta vrbe, prosperè consumarunt, nactus amicos, Modœtiæ Italici regni coronam accepit. Atque indè perlustrata Lombardia ciuitate, ad se plerasque traduxit. Ea de causa Archiepiscopi
xxii *Conradus excommunicatur.* Moguntinus, Magdeburgensis, & Treuirensis iussu *Lotharij* ipsum communione piorum exterminarunt. *Honorius* autem non eum solum, sed etiam *Anselmum*, qui coronam imposuerat, & populum qui receperat, anathemate perculit. *Lotharius* verò Spiram, quæ illius præsidio tenebatur, obsidione circumdedit, postquam Paschate, regio more celebrato in Merseburg, filium Ducis Bohemiæ in Sabbato Sancto adhoc ipsum directum de Santo fonte suscepit. *Dodechinus*. Anno inde venienti, xxiii Conrado Italiam aduersùs se obtinente, Idibus Iulij *Lotharius* nouam Spiræ obsidionem admouit, eamque vsque ad exitum anni continuauit. *Conradus* Meningerum Treuirensem Archiepiscopum, à quo diris deuotus carminibus fuerat, Romam ad xxiv *Archiepisc. Treuirensis capitur à Conrado.* Pontificem contendentem, vlciscendæ iniuriæ gratia Parmæ comprehendit, atque in carcerem conditum miserè mori coegit, ait *Sigonius*. Vel cum *Dodechino*, Parmensibus pro sexcentis libris tradidit. Interim Purificationem SS. Virginis Mariæ apud Altenam ciuitatem Cæsar agens, ibi *Gisilbertum* Traiectensis Ecclesiæ oppressorem decollare fecit. iv. Idus Ianuarij. xxiv

ROMANORVM SEDITIO. Sal. Ann. 1130.

xxv Spira *Lothario* deditione subacta: Romæ moritur *Honorius* Papa; & pro electione ingens nascitur in Ecclesia dissidium, quo non tantum Italia, sed & vniuersa laborauit Respublica. Mortuo *Honorio* postridie conuenère Cardinales cum Clero; quorum maior pars *Gregorium*, *Ioannis Vidonis* filium, ex Canonico regulari Cardinalem, legit; & *Innocentium II.* vocauit. Minor *Petrum* filium *Petri Leonis* ex Clerico Cardinalem, renunciauit; ac superioribus frustra renitentibus festinanter, atque dolosè consecratum *Anacleti II.* nomine insigniuit. *Innocentius* per Ostiensem Episcopum legitimè consecratus, legitimam Laterani Sedem iniuit. *Anacletus antipapa* Vterque ciuis Romanus erat: verùm in Petro nobilitas maior, & spes præmiorum vberior multo plures ad eum

Sal. An. 1130 venerandum illexit. *Petri* itaq; fautoribus furentibus, vrbe cedere existimauit *Innocentius*, & Pisas accessit. Vbi proximorum Episcoporum habito conuentu, *Anacletum*, partemque eius deuouit. Inde Franciam versùs, iter arripuit. Dum hæc ab *Innocentio* geruntur; *Anacletus*, qui solus in vrbe remanserat, & ipse partem aduersam anathemate institit premere, & ad causam suam amicos, quàm plurimos potuit, aggregare. Adhærebat ei *Anselmus* Mediol. Archiepisc. ab Honorio in Lotharij Imperatoris gratiam diris deuotus, vnà cum populo Mediolanensi, ac plerisque Lombardiæ Episcopis. *Lotharium* porrò Regem sibi cupiens *Anacletus* consociare, per Bremensem Archiepisc. sequentes literas direxit.

XXVI

EPISTOLA ANACLETI AD LOTHARIVM IMPER. Ann. 1130.

XXVII *Veteris amicitiæ memores, & eius præcipuè, quæ inter te & bonæ mem. patrem meum longo tempore stabili firmitate durauit, dignum duximus nobilem prudentiam tuam Sedis Apostolicæ litteris visitare, & mutuæ affectionis fœdera dignis allegationibus innouare. Quamobrem quanto te arctius charitatis brachijs cupimus amplexari, tanto diligentius de statu Romanæ Ecclesiæ, seu de his quæ penes nos sunt acta, litterarum nostrarum seria dilectioni tuæ intimare curauimus. Obeunte siquidem piæ memoriæ Papa Honorio, fratres nostri Cardinales presbyteri & diacones cum omni Clero Romano, expetente populo, & indefessis vocibus insistente, consentientibus etiam, iuxta tenorem canonum, honoratis, deuotis animis & affectione vnanimi innitum me, & viribus imparem concorditer elegerunt, electumque postea frater noster Petrus Portuensis Episcopus, conuenientibus diuersarum regionum Episcopis, ad altare B. Petri, sub oculis omnium, in Romanum Pontificem celeberrime consecrauit.*

Verum quidam de fratribus loco & tempore nouitij & paucissimi numero, quorumdam perfidorum blandis astutijs suffocati, altare aliud erigere, & anathema Hierico in sanctuarium Dei introducere, & simulachrum Phegor de inauribus mulierum insipientium sunt in tenebris fabricare conati. Sed Deus omnipotens, qui consilium Achitophel infatuauit, eorum praua consilia modo destruxit mirabili. De domo namque Leonis Frangipani, cuius potissimum viribus videbantur inniti, nocturno tempore fugientes, se trans Tiberim contulerunt, & ibi quasi quodam carcere latitantes, præsumptionis suæ ignominiam crebris doloribus flebiliter experiuntur.

Sane Clerus omnis Romanus indiuidua nobis charitate cohæret; Præfectus Vrbis Leo Fraiapanis *cum filio & Cencio* Fraiapane, *& nobiles omnes, & plebs omnis Romana consuetam nobis fidelitatem fecerunt. Nos quoque quæ officij nostri sunt, in Vrbe, intus & extra liberè exercemus: ordinationes Cardinalium fecimus, & Episcopos, largiente Deo, consecrauimus. Rogamus itaque nobilitatem tuam, vt sicut de te spem firmissimam possidemus, pro Romana Ecclesia consueta debeas instantia laborare, & dilectionis tuæ insignia manifestis nos facias effectibus experiri. Hæc enim agens, & Romanam Ecclesiam semper obnoxiam, & nos tibi de cetero facies debitores. Nec te, charissime, Haimerici quondam Cancellarij, prædonis improbi, simoniæ serui, seu Ioannis de Crema hominis turpissimi & incircumcisi & vere Nicolaitæ, monstruosa mendacia moueant; nec fidei tuæ murum eorum vaniloquia, aut venenosa mendacia penetrent, qui velut Cain à facie Domini fugientes, maledicti à terra, fratricidij signum meretricia coguntur fronte gestare. Datum Romæ apud S. Petrum Kalend.* Maij.* *Martij.

Subornauit etiam idem *Anacletus* Clerum Romanum, Cardinales, & Episcopos, qui Romæ illi communicabant sequentia ad eundem scribere Lotharium.

Serenissimo ac gloriosissimo Lothario Romanorum Regi fratres, qui Romæ sunt Cardinales præsbyteri & Diaconi.

Bonifacius tituli S. Marci.
Gregorius tituli SS. Apostolorum.
Amicus tituli SS. Nerei, & Achillei,
Desiderius tit. S. Praxedis,
Saxo tit. S. Stephani in Cœlio monte,
Petrus Pisanus tit. S. martyris Susannæ,
Petrus tit. sancti Marcelli,
Sigizo tit. s. Sixti,
Crescentius tit. ss. Marcellini, &
Petri Comes tit. s. Sauinæ,

Gre.

Sal.An. 1130 *Gregorius tit. s.Balbinæ,*
Luitfridus tit. s. Vitalis,
Matthæus tit.in Eudoxia,
Henricus tit. s.Priscæ,
Odericus tit. ss.Ioannis & Pauli,
Ionathas tit. s.Callisti,
Stephanus tit.S.Laurentij in Damaso,
Petrus tit. s.Eusebij,
Gregorius Diaconus Cardinalis s.Eustachij,
Angelus Diaconus s.Mariæ in Dominica,
Ioannes Diaconus s.Nicolai in Carcere Tulliano,
Erimandus Diaconus S.Angeli iuxta templum Iouis,
Siluius Diaconus s.Luciæ iuxta Heliogabalũ
Romanus Diaconus s.Hadriani iuxta Asylũ,
Gregorius Diaconus s.Mariæ in Aquiro,
Petrus Senex Portuensis Episcopus,
Ægidius Tusculanus Episcopus,
Transmundus Signinus Episcopus,
Otto Sutrinus Episcopus, cum reliquis Romanæ Ecclesiæ suffraganeis, Subdiaconi omnes, Primicerius cum omni schola Cantorum,
Petrus Basilicæ Saluatoris, qua appellatur Constantiniana, Archipresbyter,
Rainerius s.Mariæ Maioris Archipresbyter,
Papa S. Mariæ Rotundæ Archipresbyter, cum reliquis Romanæ Ecclesiæ Archipresbyteris, & cum omni Clero Romano,
Anastasius Abbas s.Pauli,
Ioannes Abbas ss.Stephani & Laurentij,
Laurentius Abbas S.Gregorij in Cliuo Scauri, cum reliquis Abbatibus æternam in Domino salutem.

XXVIII *Propter quorundam hominum dolosa figmenta & mendacia venenosa, qui Dei Ecclesiam scindere, & simplicium animas euertere moliuntur, & sicut Iamnes & Mambres Moysi, Philætus & Hermogenes Paulo, Dei veritati resistunt, ad serenitatem tuam, Christianissime Principum vniuersitatis nostræ litteras, sicut ad reliquas Orientis seu Occidentis Ecclesias, pia deuotione dirigimus, optantes, vt de his quæ post obitum piæ memoriæ Papæ Honorij in Romana Ecclesia emersere, seu de domini Papæ Anacleti electione, sitis litterarum serie certiores. Accepimus enim eos suis scriptis impudenter asserere, dominum Papam non petitione populi, non spontanea Cleri electione, nec honoratorum consensu iuxta synodales regulas, & antiquas patrum nostrorum traditiones ad Apostolatus culmen assumptum, sed vi parentum, potentia fratrum, fustibus & sanguine, nobisque nolentibus subrogatum.*

Sed mirum nobis non est, si huiusmodi mendacia ad tam longinquas dirigant nationes, & veneno suo ferè gentes omnes inebrient, & simplices quoque deludant, cum in Romanæ Ecclesiæ gremijs fraudulentijs suis Sedem Apostolicam prostituere contendant. Reuelata tecum, nobilissime Princeps, facie loquimur, & per te toto orbe Romano fieri notissima, hæc quæ scribimus, peroptamus. Decedente de hac vita Papa Honorio, nos omnes Cardinales presbyteri, & Diacones cum Subdiaconibus, Primicerio, cum omni schola palatij in Basilica B.Marci, qui locus quasi vmbilicus Vrbis est, concordi voluntate conuenimus. Conuenere nobiles, etiam innumera ibidem multitudo conuenit, substituendi Pontificis electionem expectantes. Cùmque diutius inter nos de futuri Pontificis esset electione tractatum: dominus Papa tunc Cardinalis presbyter primus liberè prorupit in vocem, & quendam de fratribus manu & voce propria assignauit. Cui rei se impotentem frater ille cognoscens, communi omnium nostrum consilio, communi consensu expectare populo, consentientibus honoratis, eumdem dominum Papam nobiscum communiter elegit. Sicque in Basilica B.Petri, ad corpus eius, vbi tantum Romani Pontifices consecrantur, est celeberrimè consecratus. Nullius profectò nos violentia, nullius nos potentia impulit, sicut fanatici illi suis litteris grauiter in Romanum eum Pontificem annotare. Sed cum proditiones suas & opprobria tegere nequeant, proprij oculi trabe neglecta, in alieno oculo festucam quærunt.

Porro Haimericus quondam Cancellarius, qui Romanam Ecclesiam quasi vile scortum pro luxurijs, & auaritia sua, longo iam tempore habuit prostitutam, qui simonijs, sicut vos ipsi (vt credimus) aliquando fuistis experti, exactionibusq; varijs Dei Ecclesiam, & Dei seruos diutius trucidauit, arridente ei egregio viro Leone Fraiapane, qui nunc per Dei gratiam nobiscum est, velut alter Sennacherib, in ciuitatem sanctam, & templum improbi consilij sui manum impie præsumpsit extendere, & propria superbia, quibusdam sibi

Sal. An. 1130 *sibi allectis, qui eius quadra viuebant, viris vtique nouitijs, & numero quinque, altare aliud in Ecclesia Dei solus est molitus erigere. Verum omnipotens Deus subsannauit eos, & eorum consilia infatuans, in sibilum & fabulam omnium mira ratione redegit. Ipsi tamen vt canes impudentissimi erubescere nescierunt: frons meretricis facta est eis. De quibusdam verò Episcopis, quos impostores illi in factione ista sibi applaudere gloriantur, nobis cura vlla non est, præsertim cum nil ad eos de Romani Pontificis electione pertineat.*

Rogamus itaque discretionem tuam, & in Domino commonemus, vt si Romanam Ecclesiam pijs optas solatijs & studijs confouere; si Imperij tui moderamina per Sedem cupis Apostolicam roborari: cum Romana simul Ecclesia sapias, æqua nobis pietate concordes, & dominum Papam Anacletum, quem vnanimi omnes deuotione præfecimus, Catholicum Papam feliciter recognoscas, & debitam ei, prædecessorum tuorum more, affectionem reuerenter exhibeas. Nos quidem aliquando te non sic plene dileximus: sed quia domini Papæ amorem vberius circa te feruere cognoscimus, eumdem circa te, & circa honorem tuum animum nos gestare cognoscas. Quod si nos fortassis audire distuleris: propitius sit nobis Deus, quia nullis excessibus à tua nos dilectione conuelles. Memento etiam quod Roboam Regi illi contigit, qui consilio iuuenum acquieuit, at sacerdotum noluit consilijs obedire.

Cum verò Lotharius Anacletum, nec pseudo Cardinales dignos fecisset responso; rursùs nouam misit epistolam Anacletus per Clericum Argentinensem, & fuit.

XXIX *In ipso nostræ promotionis exordio per venerabilem fratrem nostrum Bremensem Archiepiscopum serenitati tuæ litteras misimus, tam de statu Romanæ Ecclesiæ, quam de his quæ circa nos acta fuerant, expressius continentes. Sed nos adhuc nulla clementiæ tuæ rescripta meruimus, nec inter multiplices curas, quibus in Sedis Apostolicæ moderatione constituti comprimitur, Nuntiorum tuorum solatio alienari. Nos quidem personam tuam, in minoris ordinis administratione constituti, pro mira tuarum opinione virtutum ample dileximus, & suscepti regni genium pro nostro tunc posse confouimus. Vnde proculdubio experientia vestra cognoscat, voti nostri esse, vt quanto magis Sedes Apostolica regni pietate fulcitur, tanto amplius honorem tuum & regnum strictis debeamus brachijs amplexari. Vicissim enim sibi & regalis potestas, & sacra Romana auctoritas mutua debent inter se diligentia respondere. Sane tunc tuta erit conditio subiectorum, si regnum, & Ecclesia, diebus tuis, alterutro titulo compassionis arriserint, & ad culmen Imperij regni tui moderatio latius extendetur, si de ea, de rè Dei gratiam pia fueris deuotione sortitus.*

Porro vt votis tuis satisfacere videamur, quæ circa nos sunt, tuæ volumus industriæ fieri notiora, Nos Dei gratia, & Apostolorum suorum Petri & Pauli meritis bene & prosperè sumus, quæ officij nostri sunt intus & extra plena libertate disposuimus, in pace sunt omnia quæ possidemus. Fratres nostri Cardinales & Episcopi, & Clerus omnis Romanus indiuidua nobis charitate cohærent. Viri illustres, Leo Fraiapanis, Hugo Præfectus Vrbis, & frater eius filius Leonis Fraiapanis, & Cencius frater eius, Stephanus de Petro, Stephanus de Thebaldo, filij Henrici de sancto Eustachio, nobiles omnes, & plebs omnis Romana, Capitanei, & Comites qui extra sunt, fidelitatis nobis debitam iurauerunt, Basilicam B. Petri, Lateranense palatium, & reliquas munitiones Vrbis quiete & pacifice detinemus: Conradum regni inuasorem, licet eius nomen nobis pro minimo fuerit, in Cœna Domini, Laterani in Basilica Saluatoris, sub oculis Ecclesiæ, quæ frequens ea die de diuersis partibus mundi conuenerat, in conspectu etiam omnium terræ suæ, solemniter excommunicauimus.

Rogamus itaque nobilem prudentiam vestram, & in Domino commonemus, vt sicut de te spem bonam & firmam possidemus: nostris debeat successibus congaudere, & tam pro nobis, quam pro omni Ecclesia Romana regalem ac piam sollicitudinem gerere, & efficacem nobis diligentiam exhibere. Nec vos quorumdam venenatorum vaniloquia praua conturbent, qui totam Dei Ecclesiam venenare cupientes, dum taxationes pristinas, & consueta mercimonia in sanctuario Domini exercere statuebant, testaceum idolum cruentis manibus plasmare conati sunt: quod eius lapis ille angularis de Domini monte descendens, dura impressione comminuit, Incolu-

Sal. An. 1130 *me mem te, & nostri memorem pia Dei dextera à malis omnibus tueatur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Idibus Maij.*

XXX Iunxit etiam ad Rixam Reginam eiusdem Lotharij coniugem sequentes.

Auditum habemus charissima in Domino filia, quod vere Christiana sanctitate refulgeas, quod Ecclesias diligas, quod seruos Dei pijs vbique solatijs foueas: nec minoribus es profectò præconijs attollenda, quod totius regni regimen censura iustitiæ de tua potissimum dicitur moderatione pendere. Quæ de beatitudine tua, illustrissima filia, audiuimus, incunctanter & credimus; & hæc & alia plura de te nobis bona sæpius nuntiata lætificant, & omnipotentem Deum assiduis precibus exoramus, vt incœpta sanctitatis opera, Apostolorum Petri & Pauli meritis, pio & meliori te faciat fine concludere. Hortamur itaque nobilem prudentiam tuam, & in Domino commonemus, vt inter regni curas, & sæcularium negotiorum sollicitudines, & sæculi glorias cor tuum semper ad Dominum habeas, & te quandoque cogites morituram; non de pijs operibus mundi laudes affectes, ne dum hominibus foris placere delectat, Dei intus oculis possis displicere. Virum tuum charissimum filium nostrum Lotharium Christianissimum Regem sedulis suggestionibus adhortare, vt sic terreno regno humana potestate præsideat, quatenus ipsum qui supra nos est, per quem Reges regnant, & Principes iusta decernunt, qui transfert regna cum vult, qui facit Reges inglorios, & accingit fune renes eorum: caute semper & diligenter attendat. Et licet ipse Romanam Ecclesiam (vt certum habemus) plenis brachijs amplexetur; dilectionem tamen eius & affectum circa Sedem Apostolicam, & nos, qui eam ex longo tempore dileximus, per tuam potius optamus industriam propagari. Porrò nos personam eius propensiori charitate diligimus, & honorem suum, largiente Domino, cupimus conseruare, & diligentius, & efficaciter ampliare. Quia igitur peccatis meis exigentibus Ecclesiæ regimen sum subire coactus, Apostolatus onus cogor in amaritudine animæ meæ portare: sanctorum virorum solatijs egeo, vt orationum suarum instantia mihi semper Deum propitium faciant, & gratiam eius in omnibus vbique opportunitatibus augeant. Et ideò te plurimum deprecamur, vt & Deum debeas pro nobis obnixius exorare, & auxilijs & pijs consilijs tuis nos crebrius alleuare. Vitam & annos tuos omnipotens Dominus Apostolorum suorum Petri & Pauli meritis in bonis operibus augeat, & post vitæ huius cursum vitam tibi largiatur æternam. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Idibus Maij.

Neque his moti Lotharius atque Regina, cum in odium pseudo Pontificis, omnimodè denegarent responsum; Romanum Anacletus concitauit Senatum, vt alteram epistolam eidem Lothario mitterent, salibus mordacitatis conspersam; & fuit.

Domino Lothario glorioso & triumphatori Romanorum Regi, Hugo Præfectus Vrbis, & frater eius Leo Fraiapane, & Censius frater eius, Stephanus de Thebaldo, Albertus Ioannis de Stephano, Stephanus de Benizo frater eius, Henricus filius Henrici de sancto Eustachio, Octauianus frater eius, & reliqua Romanæ Vrbis potentes, sacrique palatij Iudices, & nostri Consules, & plebs omnis Romana salutem & gloriam, & de hostibus vniuersis victoriam. XXXI Romani Senatus ep. ad Lotharium.

Bene olim cana patrum nostrorum & rogatæ gentis sanxit auctoritas, paucis esse Principem moderatisque sermonibus alloquendum; ne vel adulationibus cognitis stomachari, vel instantia nimia regio valeat furore retundi. Proinde licet domni Papæ litteræ, & multorũ ad te relationes de eius electione peruenerint; gratum tamen nobis fuit ad magnitudinem tuam super hac re Vrbis litteras destinare. Nos siquidem post Papæ Honorij obitum vnanimi & spontanea omnium Cardinalium voluntate, & concordi electione clericorum omnium dominum Papam Anacletum, virum prudentem & prouidum, filium Petri Leonis, in Romanum Pontificem Spiritus Sancti gratia procreatum, humili spontaneaque deuotione suscepimus, & fidelitatem ei debitam de Vrbis nostræ more iurauimus. In cuius vtique promotione tantam Cleri & populi concordiam vidimus, vt verè in omnium mentes Spiritus sanctus mirabiliter venisse credatur. Suggerimus igitur clementiæ tuæ, & obnixius deprecamur, vt ei in omnibus debeas regali affectione fauere, & auxilij tui & consilij manum nobili deuotione porrigere; & eius & Romanæ Ecclesiæ hostes, sicut & ipse tuos, in-

Sal. An. 1130 *inuicta manu refellere. Sanè si Princeps noster & Cleri cupis esse, si Romani Imperij optas tibi fasces & gloriam vindicare, necesse est Romanis te legibus coaptari, nec ciuium tuorum, & magistratns Vrbis corda rescindere. Nos quidem te hactenus non sic de corde dileximus, nec Principatus tui vlla nos cura vel affectio demulcere quolibet modo poterat, vt honoris tui augmentum & Imperij culmen deberemus vllis rationibus affectare. Sed postquam domini Papæ amorem circa personam tuam impensius feruere cognouimus: eadem te sumus diligentia prosecuti, & purpuras tuas dignis honoribus deinceps cupimus illustrare.*

Ceterum mirum valde habemus, & Romanæ Reip. iniuriæ deputamus, cum tibi iam bis dominus Papa litteras miserit, semel per Bremensem Archiepiscopum, secundo per Argentinensem quemdam clericum, qui te de statu Vrbis & eius plenius instruxerunt: cur nulla à discretione tua adhuc scripta meruerit. Inde est quod dominus Papa nullam adhuc de latere suo personam, clericum aut laicum, iuxta consilij nostri, & totius Ecclesiæ condictum ad excellentiam tuam statuit delegare. Viderit itaque moderatio tua, vt Domini Papæ litteris scriptis & Nuntio, deuotiore moderamine respondere, & quem animum circa domini Papæ personam, & circa nos omnes & Romanam Rempubl. habeas, certis indicijs declarare non differas: alioquin sic suspensi nos diutius stare non possumus, nec aliquibus in longum volumus dissimulationibus protrahi. Acta Romæ feliciter xv. Kal. Iunij.

Direxit pariter ad reliquos Christianorum Principes Epistolas circulares, quas inserere non duxi, quia non Cæsarem sed Pontificem spectent. Quod Lotharium respicit, coram eo venisse Innocentij legatos, à quibus literæ sunt exhibitæ, eodem tempore quo & nuncij Anacleti exposcebant responsum. Lotharius verò Anacletum paruipendens, Innocentio & legatis eius omnem exhibuit honorem; vnde de *Germania* (ait Bernardus Abbas in vita S. Bernardi lib. 2. cap. 1.) *Reuersi legati Domini Papæ, tam Episcoporum, quam Regis assensum, & literas detulerant, & deprecationem publicam: vt ad eos transiens, suam eis desideratam exhiberet præsentiam, facilè enim persuasi sunt recipere eum, quem iam cæteri recepissent. Sed detinuit eum dilectio, et deuotio Ecclesiæ, et singuli et omnes visitationem Apostolicam expetebant.* Anno postea Salut. 1131. remissus Gerhardus Cardinalis cum Apostolica legatione Gandersheim, Lotharium conuenit, de futuro Pontificis aduentu certiorem faciens. Quo audito post Kalendas Nouembris, Rex (ait *Dodechinus*) *Leodium cum principibus totius regni, Archiepiscopis, Episcopis, Ducibus, Marchionibus, Palatinis Comitibus Leodium venit. Aduenientem ibi Papam Rex magnificè suscepit. Dominus Papa regem ad comprimendam tyrannidem Petri Leonis Apostolicæ Sedis inuasoris Romam inuitabat, plenitudinem imperij in eadem Romana ciuitate, sicut decebat, offerens.* Quale obsequium Lotharius Innocentio præstaret? lege Sugerij verba in vita Ludouici Crassi. *Visitando* Innocentius *Gallicanam sicut res exigebat, Ecclesiam; ad partes se transfert Lotharingorum. Cui cum Imperator Lotharius ciuitate Leodij cum magno Archiepiscoporum, & Episcoporum, & Teutonici regni optimatum collegio celeberrimè occurrisset, in platea ante Episcopalem Ecclesiam humillimè seipsum stratorem offerens, pedes per medium Sanctæ processionis ad eum festinat, alia manu virga ad descendendum, alia frænum albi equi accipiens, tamquam dominum deducebat. Descendente verò tota statione cum subbrachiando deportans, celsitudinem paternitatis eius notis, & ignotis clarificauit.* Innocentio posteà Lotharium ad se, Ecclesiamq; tuendam honesto Othonis Magni, & posterorum eius exemplo hortanti: Lotharius se nullo modo ei tempore defuturum respondit, si ipse sibi antiquum ius inuestituræ Abbatum, & Episcoporum, cui nuper Henricus renunciarat, concederet. Nam imperium plurimum, eo vectigali subtracto, ad grauia pro Ecclesia sustinenda bella detrimenti cepisse. Qua voce audita grauiter perculsi Cardinalium animi sunt, vt qui se tristiorem in Germania ipsis Ecclesiæ rebus fortunam reperisse viderent, quàm Romæ reliquissent, si eo sibi iure cedendum esset, quod ipsi nuper tanto sudore, ac sanguine vix tandem Ecclesiæ peperissent. Nec consilium suppetebat, donec velut murũ se opposuit Bernardus Abbas Claræuallis, quem colimus inter San-

Honoratur à Lothario Innocent. XXXII

XXXIII *Innocentio occurrit.*

XXXIV *inuestituras repetit.*

S. Bern. se opponit. XXXV

Sal.An. 1130 Sanctos; Audacter enim resistens Regi, verbum malignum mira auctoritate compescuit. *Oportere eum* (aiebat Sanctus,) *vt genere, sic studio à Gibellinis differre, qui prauum exemplum vt vendendorum Sacerdotiorum, sic oppugnandæ Ecclesiæ induxissent; eundem omnem dissidij inter imperium, atque Ecclesiam tollere occasionem debere, ne diuturnà concertandi consuetudo Christianorum in duas factiones studia distrahat. Quod si quando eueniat, profectò non sine ingenti pernicie omnium euenturum. Hæc ipsa non aliter, atque si ex oraculo edita essent, facilè prudentem, piumque Regem de sententia deturbarunt: pollicitusque est, se Innocentium Romam cum exercitu reducturum, atque exacto Anacleto, incolumen in Lateranum collocaturum*. Gratias egit Innocentius, imperij & ipse oblatà coronà, si Romam pergeret. Leodio hisce peractis regrediens, sese in Italiam retulit; ac Genuam reuersus ibi Lotharij sibi expectandum cõstituit aduẽtũ.

LOTHARIVS ITALIAM PETIT. Sal.Ann.1132.

XXXVI POst varios in Italia excitatos tumultus Conradus Lotharij æmulus, pecuniæ rerumque omnium inopia oppressus in Germaniam reuersus erat, adhuc causæ suæ plurimos habens patronos. Propterea glistentibus seditionibus adhuc, nequijt Lotharius magnas ducere copias; consanguineis eius & ipsis inter se digladiantibus: præcipuè *Diederico VI.* Hollandiæ Comite filio *Florentij II.* cognomento *Crassi*, ex sorore *Petronella*, nepote, cum fratre *Florentio Nigro*, quem victi à *Diederico* Frisij, sibi associauerant, & iunctis armis in fratrem arma gerebant. Discordiæ fraternæ







fama ad aures cum peruenisset Lotharij Imper. eorum auunculi, Legatum misit, præcipiens, vt in pœnam lesæ Maiestatis arma ponerent, fraterna pace fruentes. Paruerunt, licet inuiti. Cæterum modico tempore *Florentius* fruitus pace est, quia non multo post gladio occisus est: Godefridum etiam vindictam *Florentij* fratris meditantem mors auara præripuit.

Paratis, quas potuit, in assumptione S. Ma-

Sal. An. 1130 A Bononiensibus despicitur. rix (ait *Dodechinus*) in Italiam descendit per Vallem Tridentinam, Othone & Sigeberto auctoribus: atque à Bononiensibus, & Æmiliensibus cum Conradi studio, tum copiarum exiguitate contemptus recta ad
XXVXII Appeninum accessit, ac Pisas adsumendum Innocentium properauit; atque vnà cum eo Viterbium, inde Romam perrexit; *Sigonius*. Ibi castris ad portam S. Angeli locatis, Genuenses & Pisanos, classes suas lictoribus admouere Romanis, iussit, ac tantùm Anacleto & fautoribus eius, qui vrbem tenebant, terroris iniecit, vt in editas se turres salutis suæ tuendæ causa referrent. Quare animaduersa ab amicis, receptus ipse cum Innocentio vrbem pacato agmine inijt; cumque illum in Laterano reposuisset, ipse Auentinum insedit. Rebus in hunc modum habentibus duo inde sibi expedienda putauit, vnum vt præsentem controuersiam cum Anacleto aliqua ratione finiret, alterum vt coronam ab Innocentio Augustalem reciperet. Vbi verò se dissidium tollere non posse sensit, quod Anacletus ad id neque colloquij, neque prælij facere copiam vellet, omne studium ad insignia recipienda conuertit. Huic rei cum illud obstaret, quod Anacletus Basilicam Vaticanam operibus, præsidioq; firmatam teneret, in qua moris fuerat diadema Imperatorium tradi, Innocentius, ne qua ei solemnitati mora inijceretur, Lotharium in Lateranum vocauit, atque ibi pridie Nonas Iunias ipsi coronam imposuit: ac protinùs XXXVIII
ad prodendam rei nouo exemplo actæ memoriam huius facti, seriem regiæ coronationis in pariete pingi, atque hos versus subscribi mandauit.

Rex venit ante fores, iurans prius vrbis honores
Post homo fit Papæ, sumit quod ante coronam.

Gratitudinis ergo Innocentius concessit Allodium Comitissæ Mathildis Lothario. Cuius diploma fuit.

INNOCENTIVS PAPA II. LOTHARIO IMPERATORI AVGVSTO, Et Rixæ Imperatrici.

SI auctoritas sacra Pontificum, & potestas Imperialis verè glutino charitatis ad inuicem complentur: Omnipotenti debitus famulatus liberè poterit exhiberi, & Christianus populus grata pace & tranquillitate gaudebit. Nihil enim in præsenti sæculo est Pontifice clarius, nihil Rege sublimius, nihil est quod lumine clariore præfulgeat, quam recta fides in Principe, nihil est quod ita nequeat ocasui subiacere, quam vera religio. Quæ nimirum omnia tanto manifestius, Deo gratias, in persona tua clarescunt, quanto ab ineunte ætate amator religionis, & cultor iustitiæ extitisse cognosceris, & nouissimè diebus istis, nec personæ tuæ, nec propriæ parcendo pecuniæ pro beati Petri seruitio multos labores, & immensa pericula pertulisti. Cum
XXIX *ergo, testante sacro eloquio, etiam mali patres bona data filijs suis debeant impartire: dignum profecto est, vt nos, qui disponente Domino, vniuersis Catholicæ Ecclesiæ filijs debemus sollicitudine paterna consulere, personam tuam arctius diligamus, & tamquam specialissimo Ecclesiæ defensori, in his quæ ad statum Imperij in suo robore conseruandum, & vtilitatem, ac liberationem Catholicæ Ecclesiæ spectare noscuntur, tam secundum Ecclesiasticum officium, quam temporaliter Imperatoriam potentiam augeamus. Hoc nimirum intuitu Allodium bonæ memoriæ Comitissæ Mathildæ, quod vtique ab ea beato Petro constat esse collatum, vobis committimus, & ex Apostolicæ Sedis dispensatione concedimus, atque in præsentia fratrum nostrorum Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, necnon Principum, & Baronum per annulum inuestimus: ita videlicet, vt centum libras argenti singulis annis nobis, & successoribus nostris exoluas, & post tuum obitum proprietas ad ius & dominium S.R.E. cum integritate absque diminutione & molestia reuertatur. Quod si nos vel successores nostros in eamdem terram venire, manere, transire oportuerit; tam in susceptione, quam in procuratione, atque securo conductu, prout Apostolica Sedes decreuerit, honoremus. Qui verò arces tenuerit, vel rector terræ fuerit, beato Petro, & nobis nostrisque successoribus fidelitatem faciant. Ceterum pro charitate vestra nobili viro Henrico Bauariæ Duci genero vestro, & filiæ vestræ vxori eius, eamdem terram cum præfato censu, & supradictis conditionibus Apostolica benignitate concedimus; ita tamen, vt idem Dux hominum*

faciat

Sal.An. 1134 *faciat & fidelitatem B.Petro, ac nobis, nostrisque successoribus iuret. Post quorum obitum prædictum Comitissæ Mathildæ Allodium ad ius & dominium S.R.E. sicut supra dictum est, integrum, & absque diminutione atque difficultate aliqua reducatur: saluo tamen semper in omnibus eiusdem S.R.E. iure ac proprietate. Datum Laterani sexto Idus Iunij.*

XXXIX Premebātur interea Germani duobus grauissimis detrimentis; vno quod liberè vagari per vrbem non poterant; aduersarijs ex turribus eos lapidibus, missilibusque longissimè lacessentibus; altero, quod æstu Romani cœli infestissimo afficiebantur. Quorum vtrique occurrere *Lotharius* cupiens vrbe cessit, in Lombardiam secedens. In

XXXX *Mantuæ priuilegium.* agro Mantuano cum esset, priuilegium Mantuanis dedit, quo omnibus Henrici renouatis indultis (erga enim Cæsares primi semper Mantuani fuerant) Mansionaticum relaxauit. Inde Germaniam repetijt. Conradus postquàm *Lotharium* Augustalibus insignibus potitum, atque incolumem ex Italia reuersum ab omnibus celebrari, se verò diris ab Ecclesia obstrictum, atque à plerisque desertum, vulgò contemni animaduertit, de redimenda eius, quoquo modò posset, gratià agitare instituit: &

XXXXI *Conradus reconciliatur.* cum se ad *Bernardum* Clarauellensem contulisset, auctoritate eius facilè, quæcumq; petijt, impetrauit. Itaque sequenti anno ad eum, Bambergæ conuentum in Quadragesimà habentem accessit, ac titulo regio deposito, vt se in gratiam reciperet, exorauit; *Vspergensis*. Interim Mediolanenses, cum se sacrorum communione spoliatos, & Metropolitanà dignitate nudatos cernerent, eo quod *Anselmum* sequuti, *Conrado*, & *Anacleto* hæsissent, actorum pœnitentia ducti, auctore *Ribaldo* Episcopo, quem *Anselmo* repudiato sublegerant *Innocentij*, & *Lotharij* recuperare gratiam studuerunt. Literis propterea ad *Bernardum* missis, eò venire rogarunt. Gratulatus Bernardus, in Pisano concilio causam egit Mediolanensium; vnde in communione recepti, pallio restituto, *Anselmo* confirmato, Guido Pisanus, & *Mathæus* Albanus Episcopus legati à latere vnà cum *Bernardo* missi sunt. Mediolanum progressi, Concilio conuocato, *Innocentio* verò Pontifice recognito, communionem non sunt largiti, ni priùs palam *Lotharium* regem & dominum acceperunt, & Romanorum Augustum vnà cum toto Orbe confessi sunt. Mediolanum inde digressus *Bernardus*, ad Augustam Lotharij coniugem sequentia scripsit.

In reconciliatione Mediolanensium non obliti sumus, vnde à vestra excellentia præmoniti fueramus. Quod etsi non monuissetis, nihilominus honori vestro, & regni vtilitatibus intenderemus: sicut vbique & semper fideliter quantum possumus, facimus. Non antè sanè Mediolanenses in gratiam domini Papæ, & Ecclesiæ vnitatem recepti sunt, quousque palam: Conrado refutato & abnegato dominum nostrum Lotharium in suum Regem, & dominum receperunt, & Romanorum Imperatorem Augustum vnà cum toto orbe confessi sunt, & de iniuria transacta, iuxta consilium, & mandatum domini Papæ, digne vobis se satisfaturos esse tacto sacrosancto Euangelio spoponderunt. Vnde magnas agentes gratias diuinæ bonitati, quæ absque bellorum periculis, absque humani sanguinis effusione, inimicos vestros sic humiliauit: rogamus vestram satis nobis expertam clementiam, vt tempore suo cum requisierint prædicti Mediolanenses, per dominum Papam vtique mediatorem suæ reconciliationis gratiam vestram, benignos vos, atque placabiles inueniamus, quatenus nec eos pæniteat sanis paruisse consilijs, & vos de eis debitum habeatis seruitium, & honorem. Non enim decet, vt si fideles vestri, qui pro honore vestro laborant, apud vos confundantur. Confundentur autem, si quibus benignitate vestra spem indulgentiæ promiserunt, cum pro ipsis interuenerint vos (quod absit) inexorabiles. XXXXII *S.Bern. Epist. ad Augustā*

LOTHARIVS ITALIAM REPETIT. *Salut. Ann.* 1136.

XXXXIII Germania latè pacata, non tàm suis quā exteris gratus *Lotharius*, postquam Græcorum legatos, qui ad eum cum magnis muneribus venerant, vt Lombardos nouos in Italia motus cientes comprimeret, & *Rogerio*, qui propè vnus *Anacleto* fauebat, & aduersùs *Innocentium* res nouas tentabat, alteram in Italiam expeditionem decreuit. *Rogerij* autem iura congruum est, altius repetere. Defuncto *Vvilelmo* Duce Salerni-

Sal. An. 1136 XXXXIV nitano, Rogerius Siciliæ Comes patruus eius, consentientibus Salernitanis, in eius locum successit: occupato etiam Amalphitano Ducatu, & magna Apuliæ parte. Reuersus in Siciliam, Comitis fastidito nomine, cępit Dux appellari. Indignatus tunc Honorius Papa, Synodum in eum conuocauit Capuanam & Robertum Capuanum Principem vnxit, ac in Rogerium suscitauit pro defensione iuris, quod Romana prætendit Ecclesia. Conuentione tandem inità, & Rogerio Pontifex reconciliatus, recepto fidelitatis ligio iuramento, Beneuenti in ponte, qui est super Sebetum, per vexillum de Ducatu Apuliæ inuestiuit. Ducati porrò titulus Rogerij non saturauit ambitionem, sed nundinatione regiæ dignitatis illectus ab Anacleto pseudopapa in suas partes cooptatus, Rex Siciliæ coronatur, dum ipse Antipapam adorat. Derisit S. Bernardus tam Anacleti, quàm Rogerij sollicitam ambitionem, & tyrannidis verbo compescuit. *Ep.* 127.130.139. Euanuit fraterna correctio, nam proditione Crescentij pseudo Cardinalis, Beneuentum occupare tentauit, licet frustrà; nam Crescentius impetitus à ciuibus fugam arripuit. Ipsi verò Innocentio inhæsere. Rogerius interim legationis prætextu Rainulphum Comitem Auellinum, cum militaribus copijs ad Anacletum miserat. Quo absente, eius ciuitatem Auellinam inuasit, vxorem comitis & filium eius indè captiuos abduxit, & in Siciliam misit. Rainulphus rediens & sua repetens, non auditur. Fædera itaque cum Roberto Principe XXXXV Capuano, & Beneuentanis init in Rogerium, quem in Picentinis trans Samum fluuium iunctis socijs deuicit, & fugauit. Rex fugit in Siciliam, anno venturo, qui erat 1136. paraturus copias. Porrò Innocentio assiduè Lotharij manum per literas implorante; Sanctus etiam Bernardo idem supplicante, instructo exercitu cum Richiza Augusta, Henrico Duce Bauariæ genero, & Conrado, qui nuper Italiæ regno se abdicarat, in Italiam transijt, populis ad tanti apparatus famam latè in agris, atque oppidis trepidantibus. XXXXVI

Rogerius Dux Siciliæ. *Siciliæ Rex.* *Lotharius in Italiam innuccatur descedere.*

EPISTOLA S. BERNARDI AD LOTHARIVM IMPER.

XXXXVII *LOthario Dei gratia Romano Imperatori Augusto Bernardus Abbas de Claraualle, si quid potest peccatoris oratio. Benedictus Deus vos elegit & erexit cornu salutis nobis, ad laudem & gloriam nominis sui, ad reparandum Imperij decus, ad subueniendum Ecclesiæ suæ in tempore malo, postremo ad operandum etiam nunc salutem in medio terræ. Ipsius est enim opus, quod corona gloriæ vestræ ita in dies ampliatur, & sublimatur, mirabiliter crescens, ac proficiens in omni decore, & magnificentia apud Deum, & homines ipsius profecto nuper opus, & virtus fuit, quòd iter satis laboriosum, & meticulosum pro pace regni, & Ecclesiæ liberatione susceptum, in tanta prosperitate peregistis: Romæ siquidem imperialis culminis plenitudinem gloriosissime assecutus, idque quod maius fuit in manu non magna, vt animi, fideique magnitudo clarius emineret. Quod si ante tantillum exercitum terra tremuit, & quieuit: quantus putamus horror hostium corda inuadere habeat, cum cœperit rex procedere in magnitudine brachij sui? Animabit insuper honestas causæ, immo duplex prouocabit necessitas. Non est meum hortari ad pugnam: est tamen (securus dico) aduocati Ecclesiæ arcere ab Ecclesiæ infestatione schismaticorum rabiem: est Cæsaris propriam vendicare coronam ab vsurpatore Siculo. Vt enim constat Iudaicam sobolem sedem Petri in Christo occupasse iniuriam sic proculdubio omnis, qui in Sicilia regem se facit, contra dicit Cæsari. Si autem vtrumque incumbit Cæsari, restituere scilicet Cæsari quæ sunt Cæsaris, & quæ sunt Dei Deo: cur apud Tullum res Dei minuitur, cum Cæsar nihil ibi lucretur? verendum est ne minimorum neglectus, impedimentum sit maximorum. Hoc est quod dico. Ecclesia Sancti Gengulphi grauiter, iniusteque (vt dicitur) in illa ciuitate opprimitur, & aiunt vestræ prudentiæ nescio qua fraude subreptum, vt Domino Papæ per iustitiam subuenire paranti, vestræ interuentu precis obuiaretis. Obsecro, & consulo consultius agi, noxiam reuocari precem, dari locum iustitiæ, antequam Ecclesia illa funditus destruatur. Pauper sum ego, fidelis tamen vester: & si videor importunus fortassis inde est. Dominam Imperatricem in Christi caritate oppido salutamus.*

Cum venisset, ad lacum Benacũ progressus castrum

Sal. An. 1136 XXXXVIII castrum Gardæ, ad Padum, Vardastallum recepit, ac Henrico genero, beneficij loco attribuit. *His de rebus anxij ad eum Italici conuenerunt; ac lites quas initis dirimere certaminibus instituerant, continuò ad illius iudicium reuocarunt. Cremonensibus & Mediolanensibus, cum obuiam prodijssent, ac controuersiam ad eum, de qua armis toties inter se dimicauerant, detulissent, auditis, Cremonenses hostes sunt iudicati. Cremenses à Cremonensibus accusati, quod cum ex comitatu, diœcesique sua essent ad Mediolanenses defecissent, cum compellati die dicta non affuissent, Lotharij sententia condemnati. Papiam inde progressus pecunia accepta ciues illos recepit in gratiam. Quin etiam cum Bononiensibus vehementer, & Æmiliensibus qui se spreuissent, & iniussu suo arma cæpissent, esset infensus, tamen Henrici voluntate commotus ignouit. Guarino inde Cancellario in Campaniam misso, Taurinum vsque Lombardiam procurrit, atque omnes ciuitates imperium detrectantes ad obsequium compulit. Ad Transpadanos indè reuersus VII. Kalend. Octob. ius ad Mincium dixit. VII. Idus ad Casale maius in agro Cremonensi versatus est. Conuentum inde in Roncalijs omnium principum frequentissimum habuit.* Vbi VII. Idus Nouembr. Indict. XV. legem talit, *Ne quis beneficia, quæ à suis senioribus habent, eorum distrahe-*

XXXXIX Lex de non distrahendis benef. *re iniussu posset.* Cuius hoc est proemium; *Cum apud Roncalias secundum antiquorum Imperatorum consuetudinem pro iustitia, ac pace regni componenda consideremus, omnia quæ ad honorem imperij Romani spectare videntur, solicitè indagantes, perniciosissimam pestem, & Reipub. non mediocre detrimentum inferentem resecare proposuimus.* Parmæ fœdus cum Legatis Petri Polani Ducis Venetorum redintegrauit. Decembrem indè

Sigonius. mensem in agro Regiensi transegit, ac Richiza coniuge in vrbe ius dicere adhibito E-

Sal. An. 1137 piscopo, consulibusque Regiensibus iussa, ipse comitatum perlustrans eidem officio inseruiuit. Ianuario Inde Rauennam in hiberna perexit, atque ibi per ocium Rogeriani belli consilia cum Henrico, Conradoque composuit. Pisanis quoque vt paratam in proximam æstatem classem haberent,

L admonuit. *Quibus rebus cognitis cura haudquaquam leuior Anacletum Rogeriumque & partem eorum incessit, cum terra, marique tantum aduersus se belli cernerent comparari. Guarinus, Lotharijs cancellarius, sub dies Natalicios Capuam progressus Senioreto Abbati Cassinati, qui Monasterium in Anacleti & Rogerij auctoritate tenebat, mandauit, vt ad se veniret, ac præstita obedientia Innocentio ac Lothario, potestati suæ Monasterium traderet; quod ille ex Monachorum sententia se facturum negauit. Guarino autem minante, se monasterio excidium, si in pertinacia persisteret, illaturum, Senioretus Landulfum à S. Io: ad custodiendum cum firma militum manu Monasterium accersiuit. Quo terrore vniuersa Monachorum regio perturbata ab Abbate præter ipsos Cassini oppidanos defecit. Mense inde Februario & Guarinus & Senioretus ex hac vita cesserunt. In locum Senioreti Rinaldus Abbas in dissensione sublectus subitò se ab Anacleto confirmandum curauit. Quare compertà, pars altera Innocentium, qui Pisis, & Lotharium, qui Rauennæ sedebant, admonuit, eosque ad vindicandum Rinaldum, qui contra leges monasterium obtineret, accendit. Adulto inde vere Henricus partem exercitus per Etruriam duxit, ac Pontificem Pisis susceptum Romam deduxit. Ibi iij. Nonas Maij conuentus omnium Episcoporum, Abbatumque qui adesse potuerunt, est habitus, ac rursus Anacletus, Rogeriusque deuotus. Eo post triduum perfecto, Henricus vrbe cum Innocentio egressus Albam, quæ cum Anacleto sentiebat, inuasit, ac suburbijs disiectis infestum inde in Campaniam ducere exercitum instituit, ac statim Ricardum Monachum, qui idem Innocentij erat sacerdos, ad Cassinas Monasterium misit, qui moneret Rinaldum, se, si Innocentio obtempare, & Lotharium recipere in animum induxisset, Monasterium ab omni maleficio, atque iniuria seruaturum. Quare audita Rinaldus Monachus aduocauit, atq; vt in fide Anacleti, Rogerijq; persisterent, obsecrauit, se enim Monasterium, quod ab eis acceperit, in eorum retinere potestate constituisse, subitoque auxilia noua acciuit, quibus se Monasterium tueri posse confidit. Quæ vbi Ricardus vidit, ex loco discessit, ac ciuitatem, quæ Monasterio continens est, Sacramentum dicere Innocentio iussit. Diebus inde vndecim interiectis Henricus Rinaldum ad se vocauit, acceptoque aureo calice, & quadra-*

Sal. An. 1137 dragintalibris, contraque obsidibus aliquot datis Abbatiam illi nomine Imperatoris firmauit, si in eius fide mansisset, & vexillum Imperatoris in arce, quæ ædi sancti Benedicti imminet, statuit, ac postridie Capuam versus castra mouit. Ibi Aquilani ad eum venerunt, & se Innocentij, Lotharijque imperata facturos, dixerunt. Quorum exemplo Capuani adducti & ipsi Rogerium reliquerunt, alij vt à Roberto Principe gratiam inirent, alij vt officio suo, ac fidei satisfacerent. Henricus, cum Principatum Capuanum Roberto restituisset, copias Beneuentum versus promouit, & castra ad Pontem Sancti Vincentij propè vrbem locauit, ac legatis in Vrbem missis suo, atque Innocentij nomine Beneuentanis mandauit, vt Vrbem dederent, & commeatus exercitui expedirent, sin minus Pontificis execrationem, iramque Imperatoris se subituros scirent. Legati, cum mandata exposuissent, fautoribus Anacleti contradicentibus, re irrita redierunt. Interim Rogeriani milites ad triginta millia sese ex oppido effudere, copiamque pugnæ fecere, neque Henricus prælium detrectauit. Signis collatis cum Henricus Germanos in prima acie stantes terga dare animaduerteret, reliquis imperat, vt traiecto amne collem, in quo situm est oppidum, occupent, vrbemq; à porta Aurea adoriantur. Id vbi fieri videre Beneuentani, actum de victoria rati statim è pugna se subduxere, & fuga sibi præsidium parauere. Quos Germani insequuti Vrbem simul cum eis effuso agmine introiere. Beneuentum receptum Innocentio est concessum. Henricus, Campania in ditionem adducta, victorem inde in Apuliam exercitum introduxit. Dum hæc ab illo gesta sunt, Lotharius Rauenna profectus Romaniolam, Marchiam, & Vmbriam cum altero exercitu peragrauit, atque Anconem, & Spoletum, omnesque ciuitates parere recusantes ad imperium accipiendum adduxit, inde in Apuliam ingressus Barium Vrbem inuasit, leuique admodum negotio ciuibus vltro se dedentibus cæpit. Ibi festus dies Pentecostes est actus, arciq; quæ à Rogerio constructa, & firmo prædonum, militumque præsidio munita resistebat, acris oppugnatio est admota. Dum autem ille arcem premebat, Innocentius ab Henrico ductus ad eum venit. Itaque eximio ab eo honore cultus pòst cum eo vsque ad extremum permansit. Lotharius inde negotio Henrico dato, vt armis cetera Apuliæ oppida pertentaret, ipse Barij arcem oppugnare perrexit. Rogerius plurimum in ea arce conseruanda ad victoriam momenti ponens haud sibi cunctandum esse putauit, quin ad eam liberandam accurreret. Maximo tamen cum exercitu eò progressus Lotharium adeò exterruit, vt relicto prælio ad montes se rettulerit. Ita arx, custodibus subsidij desperatione debilitatis, in potestatem peruenit, incendioque illato prædones capti fœdo omnes suspendio enecati. Interim Henricus quoque Troiam, Garganum, Sypontum, Barulum, ceteraque adiacentia Apuliæ loca, terrore armorum propemodum ostentato, redegit in ditionem. Quibus rebus actis, Lotharius vnà cum Innocentio Melfiam, vt res Apuliæ constitueret, adijt, eoq; in festum Sancti Petri Conuentum ad nouum Apuliæ Ducem instituendum indixit. Iampridem Italiam ingrediens Senioretum Abbatem Cassinatem monuerat, vt si cuius metu Romana ab Ecclesia defecisset, se auctore in fidem eius redire studeret, quem vniuersa Ecclesia patrem agnosceret, se Monasterij iura exemplo superiorum Imperatorum conseruare paratum esse, eadem etiam à Richiza ad Monachos scripta erant. Senioreto inde mortuo, eadem renunciari Rinaldo iussit, adijciens, vt quoniam in Festo Sancti Petri Conuentum Melfiam edixisset, ipse quoque, Monachis secum prudentissimis ductis, eò veniret, omniaque Monasterij priuilegia secum ferret. Quibus litteris Rinaldus sibi obtemperandum ratus Melfiam ad lacum pensilem, vbi vniuersus Lotharij exercitus cum Innocentio Pontifice considebat, accessit. Aduentanti ei Innocentius nuncijs obuiam missis mandauit, vt prius, quàm castra iniret, ipse cum Monachis suis sibi nudis pedibus satisfaceret, ac pro obedientia Anacleto exhibita, piaculum, quod imponeretur, acciperet, ac iureiurando omnia sua se mandata facturum, & Anacletum repudiaturum sanciret. Rinaldus subita re perturbatus Lotharium appellauit, & se ex eius sententia deliberaturum respondit, atque ita castra ingressus Lotharij iussu tabernaculum suum propè illius tabernaculum posuit. Ea res animum haud mediocriter Innocentij perculit. Itaque missis Cardinalibus, à Lothario postulauit, vt Rinal-

dum

Sal. An. 1137 *dum cum Monachis Anacleti obedientiæ renunciare, & sibi dicere Sacramentum iuberet, Monachis autem sibi per maiorum suorum instituta iurare fas esse, negantibus, iussit, vt ab eorum, qui absenti essent, consuetudine abstineret. Quare motus Lotharius diem VII. Idus ad caussam cognoscendam constituit, atque vtriusque partis patronos in consilio ad illam diem adesse præcepit. Ea vbi dies venit, ipse cum Peregrino, Patriarcha Aquileiense, Archiepiscopis, Episcopis, & Abbatibus plurimis assidens ad consilium retulit, num Monachi Cassinates, quòd Anacletum recepissent, in pœnam anathematis incurrissent, & num saluis legibus cogi ab iurandum Innocentio obsequium possent.*

Quomodo verò altercatio fuerit composita? Petrus Diaconus refert, ni commentitia sint acta, quæ illius circumferuntur, vt probare conatur Baronius, & qui Leoni Ostiensi annotationes apposuit; quia character, charta, & atramentum valdè diuersa sint ab his, quibus antecedentia sunt scripta. Se vidisse gloriatur; penès ipsum fides sit. Vera esse, eorum arguit calamitas temporum; & flamma Henriciana, quæ latebat in cinere. Vera tamen si concedamus, quid præiudicij afferunt Ecclesiæ. Casinensibus ad Cæsarem armatum confugientibus credidit vtile Pontifex respondere, & Cæsarem certiorem reddere.

ACTA COMITIORVM AQVASPENSILIVM INTER LEGATOS PONTIF. & Rinaldum Abbatem Cassinensem, coram Lothario Imperatori.

IN nomine Domini Saluatoris nostri Iesu Christi, anno ab Incarnatione eius MCXXXIX. Indict. I. Idus Iulij. Anno Imper. Lotharij Cæsaris VII. residente eodem inuictissimo Principe ad Aquas pensiles, consedente etiam Peregrino Patriarcha Aquileiense cum Archiepisc. Episc. Abbat. quamplurimis, Causidicus pro Roman. Ecclesia directus est, Girardus Card. tit. S. Crucis, & Guido Cardinalis, (qui ambo postea Romani fuere Pontifices) *Americus Cancellarius & Diaconus Cardinalis presbyter, Balduinus Cardinalis,* (qui post Pisanus Archiepisc. fuit) *&* * *Robertus Clareuallensis Abbas, & alij plurimi Romanæ Vrbis nobiles. Ex parte Cassinensis Ecclesiæ auditores fuere,*

* Bernardus, vel leg. Bonæuallensis.

Henricus Dux Imperatoris gener,
Conradus Dux, postea Imperator)
Otho Imperatoris consobrinus,
Fridericus Marchio Anconitanus,
Malaspina Marchio Liguriæ,
Henricus Episcopus Ratisbonensis,
Hanno Abbas Luneburgensis,
Gotfridus Palatinus Romani Imperij iudex.

Facto itaque silentio, Imperator dixit: Non modo præsentium, & temporalium, verum futurarum æternarumq; rerum in hoc Conuentu discussio erit. Constat enim sanctos Patres, dum vnius rei gratia Concilia sæpe celebrarent, plurima vnius occasione diffinisse. Ita & hic Romanæ quidem & Cassinensis Ecclesiæ causa, cum specialiter agi videatur, variæ tamen, Deo agente, soluentur quæstiones: fietque vnius Ecclesiæ causa, salus omnium per orbem constitutarum. Nos quoque vestigia prædecessorum nostrorum sequentes, dignum duximus huic interesse Concilio, & eorum, quæ dicentur, librare momenta. Defensores vtriusque disceptantium partis magnificos à nostro latere dedimus viros, qui violentiam omnem prohibeant. Igitur in Domini nomine sedeant, quibus Romanæ non displicent leges, taciteque rerum exitum expectent: ne, dum omnes confusè vel dicunt, vel obstrepunt, veritas obnubiletur. Hæc & alia plura cum præfatus esset Augustus, Conradus Dux ab Imperatore defensor datus inquit: Copia Imperialium verborum me fecit fandi inopem, cum tam profunde, tam plene, tantaque ratione Imperialis sit præfata Maiestas, vt non humano ore, sed diuino prodisse videantur. Ducibus tamen, atque Comitibus mecum defensoribus datis, visum est primo apparatu hodiernæ sessionis proferri, quæ sint pro vtraque parte disceptaturæ personæ, vt non permittatur disceptandi licentia, nisi his tantum, quibus fuerit concessa. Omnis enim maximeque diuina Conuentus causa ordinate fieri ac rationabiliter debet: quippe cum nihil perfectè diffiniri possit, vbi confunditur ordo loquendi. Placuit omnibus sententia Ducis: & quis pro vtraque parte responderet, inquiritur, quinam item interpretes, & quis esset disputantibus locus. Eligitur Girardus Cardinalis S. Crucis, qui pro Romana, & Petrus Diaconus, qui pro Cassinensi

Sal. An. 1137 nensi responderet Ecclesia. Interpretes dati sunt Bertulfus Imperatoris Cancellarius, Anfredus Vesterarius, & Bertulfus Mansionarius. Traditur autem Girardo locus ante Imperatoris faciem: ad pedes verò eius constituitur Diaconus Petrus. Renuit Girardus Monachum ad suos sedere pedes, dicens, nequaquam oportere siue licere excommunicatum cum filio sedere Ecclesiæ. At Imperator finem litigio imponens, Petrum Diaconum extunc & deinceps sedere ad pedes suos iussit. Tum taliter Girardus Cardinalis loqui orsus est: Sancta & vniuersalis Ecclesia, inuictissime Imperator, quæ & vos & prædecessores vestros orbis totius dominatores effecit, mirari non desinit, cur excommunicatos, & à liminibus Ecclesiæ separatos receperitis. Ad hæc Imperator: Imperij quidem nostri nos ab Apostolica Sede gaudemus accepisse coronam: excommunicatos nullo pacto suscepisse putamus: hoc tamen ex conflictu vestro constabit. Pandulfus Theanensis Episcopus & Casinensis Monachus dixit: Quomodo Romanæ Ecclesiæ Cardina-
LII lis Casinenses Monachos excommunicatos asserat, videre non possumus. Girardus Cardinalis dixit: Quid mihi & tibi, bone vir? alienus nobis es, ò mirum, ò nouum inauditumque prodigium, vt truncus ramis præcisis & à radicibus caulsis, nouas contra Ecclesiam erigat machinas: Ad hæc Imperator: Cesset, inquit, omnis violentia: hic enim non inferendæ, vel referendæ iniuriæ, sed ferendæ potius æquanimiter sunt. Quocirca statuimus, vt neutra pars vtatur in alteram contumelijs: ne, quod ad laudem Domini & posterorum vtilitatem statuit, in litigium rixamque vertatur. Tunc Girardus resumpto sermone, sic ait: Decreuit sancta & vniuersalis Ecclesia, vt Casinensis Cœnobij Monachi voluntatem Domini nostri Innocentij pij & vniuersalis Papæ se in omnibus impleturos Sacramento confirment. Iam enim Innocentius ipse hos Cassinenses Monachos dispergere per diuersa loca statuerat, nisi Lotharius Clementissimus Imperator nolens Cassinensem Ecclesiam destrui, pro ipsa Ecclesia contra Papæ voluntatem se obiecisset. Cum itaque Girardus Cardinalis de Sacramento Monachorum sermonem fecisset, Petrus Diaconus respondit: Non parum miramur, cur Dominus Cardinalis Monachos Sacramento velit astringi, cum Dominus in Euangelio iusiurandum omninò interdixerit. Girardus Cardinalis dixit: Quod Monachus ait, probamus: sed Romana Ecclesia Cassinenses monachos sine Sacramento recipiendos non esse decernit. Petrus Diaconus ait. In Regula Sanctissimi Patris nostri Benedicti iurare omnino interdicitur monachis, quod non modo diuinæ, verum humanæ quoque prohibent Leges. Quippe inter Imperatorum præcepta, Caroli, Ludouici, Hugonis, Lotharij, Berengarij, Alberti, trium Othonum, quinque Henricorum, & Conradi, sic inuenitur: Statuimus vt Monachi ad Sacramentum non compellantur. Et hæc dicens, præcepta ipsorum Imperatorum Cassinensi collata Monasterio, auro, plumbo, ceraque signata, Imperatori cæterisq; monstrauit. Ea Imperator præcepta excipiens, deosculatus est, moxque in hæc verba prorupit: Magnorum sanctorumq; Principum hæc eße præcepta ex sigillis agnouimus. Conuenit Maiestati nostræ, cuncta prædecessorum nostrorum seruare præcepta. Quare Dominum Apostolicum vos, qui hic illius adeste vice, ex nobis orate, vt Sanctissimorum Imperatorum præcepta nobiscum protegere, suaque authoritate firmare dignetur. Quis enim iam Imperatorem obseruaret, si ab Apostolico contemnatur? Omnia membra sequuntur caput, neque ab eo, nisi magno suo detrimento, separari queunt. Certet itaque pro membris caput, pro natis pater, pro ouibus pastor: quia nullo modo lupi rabies præualet, vbi cura sollicita pastoris inuigilat. Sit igitur hodierno consessui finis & hospitia sua singuli repetant. Cardinales vota nostra Pontifici referant, Casinenseq; Cœnobium vt mecum foueat, nostra vice precentur. Monacho electo suo, quæ dicta sunt, referant, & crastina die quid respondere obiectis debeant, parent. Tertia diei hora hic adesse singuli curent: hodiernus tractatus, adhibitis Notarijs, litteris mandetur, ne obliuioni tradantur, quæ posteris quoque profutura præuidimus. His dictis in sua quisque discessere. Imperator ad ea, quæ sibi imminebant, tractanda resedit.

Postera die vtræque conueniunt disceptantium partes. At vbi ingressus data est copia fandi, Girardus Cardinalis dixit: Mandata pietatis vestræ, Sanctissime Imperator, retulimus summæ Sedis Antistiti. Sed hæc

nullo

Sal. An. 1137 *nullo modo implere se posse respondit, asserens facilius se Pontificia vestimenta deponere, ac pedibus subiecta calcare, quàm quæ abs te rogantur, efficere. Ad hæc Imperator paulisper obticuit: dehinc reliquas disputationes hesternas concludere iussit. Girardus dixit: Memini hesterno die de sacramento Cassinensium Monachorum tractauiße, nihilque inde fuisse diffinitum. De eadem igitur re tractaturi denuo proponere debemus ex parte Domini nostri, quæ heri quoque proposuimus, fidem scilicet Apostolico à Casinensibus sacramento promittendam, perpetuamque obedientiam: alioquin illos nunquam patietur Dominici corporis & sanguinis participes fieri. Ad hæc Petrus: Constat, inquit, Dominum Cardinalem hesterni tractatus renouasse conflictum, nostrosque terminos ad rediuiua reparasse certamina. Nobis contra satis superque videtur huic sententiæ Dominicis obuiisse præceptis, quibus omnino iurare prohibemur: fidem autem à nobis sacramento exigi, profecto ociosum est, cum hanc sponte simus exhibere consueti. Girardus inquit: Non est veritus Monachus coram inuictissimo Principe mendosa proferre, dicens, Casinenses Monachos Romanæ Ecclesiæ semper seruaße fidem; cum constet omnibus, eos hactenus schismaticos eße, Abbatemque à schismatico ordinatum præfecisse. Petrus: Prudentis, inquit, viri est, non ante quemquam falsitatis arguere, quàm ipsum omnibus mendacium in conspectum dederit: vt cum nil contra possit opponi, à conscientia sua, qui mentitus est, ipse accusetur. Inique igitur & oblique me impetit Dominus Cardinalis, qui tacito mendacio me falsitatis insimulat. Proponatur causa, aperiantur mendacia, tunc me fallacem asserat, tunc mendacij arguat. Girardus: Facilè id quidem probare est. Nam cum, relicto Innocentio, Schismatico adestis, quid nisi infideles fuistis? Petrus: Deum oro, inquit, illum nos, an potius nos ille dimisit? Girardus: Ecclesia, inquit, à schismaticis capta, pijssimus de sua sede est pulsus Episcopus: sicque Italia relicta properauit ad Gallias. Petrus: Bonus pastor bonus Iesus Christus, cum diuersitatem immo vnitatem in se vnitam ostenderet,* Bonus pastor, inquit, animam suam dat pro ouibus suis. *Girardus: Hæc, inquit, non solum verbis, verum & factis ostendit: Petrus rursus ipse Dominus, cum descripsisset optimi facta pastoris, mercenarij quoque mores adiunxit, dicens:* Mercenarius, & qui non est pastor, cuius non sunt oues propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit. *Agnoscis profecto Euangelij verba. Girardus: Ita sane. Petrus: Hoc ne Romanum agere Pontificem decet? Girardus: Tanto, inquit, magis ab Apostolicæ Sedis sunt obseruanda Pontifice, quanto peculiarius suscepit alijs prædicanda. Petrus: Quid igitur, ouibusne imputabitur, si quid pastor admisit? Girardus: Minimè, inquit. Petrus: Ergo Monachis imputandum non est, si pastore destituti, morsibus lupi patuerunt. Debuit enim Apostolicus, vt ait Dominus, oues suas, non modo non dimittere, verum pro eis mortem quoque libenter amplecti. Ad hæc Imperator: Patet, inquit, ex assertione, Monachi si quid peccauerunt, pastoris culpa contigisse non ouium. Vnde roganda adhuc est Domini Apostolici pietas, vt nobiscum quæ contra nos gessere, dimittat. Quare hodiernæ quæstioni finem placet imponi. Occupati enim Reipublicæ curis diutius his interesse non possumus. Quisque igitur reuertatur ad propria. Cras idē certamen rursus ineundū est. Hoc dicto, cum omniū fauore discessum est.*

Fallitur hic Lotharius, & cum eo Monachus Cassinensis, si vera etiam sunt acta, quod pastor uidens lupum longè venientem, partem gregis non possit dimittere, vt partem maiorem seruet. Declinauit etiam Dominus Iesus non vna vice Iudæorum rabiem, quia nondum venerat hora eius, & aliò diuertens, oues inuestigare non destitit. Sic Innocentius ad frugem meliorem, Roma discessit, quum partem gregis pecuniâ coinquinatam vnà vidit coire cum lupo.

Altera die cum pijssimus Imperator memoratique Proceres audituri, quæ residua erant, consedissent, hac voce Imperator vsus est: LIII *Omnibus qui intra Romanum orbem sunt, notissimum credimus, quanta in reuerentia & obseruatione Casinensem Ecclesiam, vt scilicet peculiarem Cameram, maiores nostri habuerunt, & super omnia Monasteria Imperij Romani dilexerunt, honoribusque & priuilegijs eximijs exaltauerunt. Deceret quoque Dominum Apostolicum mecum eandem fouere Ecclesiam, quod, auxiliante Domino, in posterum fiet. Non est autem ista, quæ agitur, controuersia dicenda lis,*

Sal. An. 1137

cum constet membra secum litigare non posse, neque caput dicere manui, necessariam te non habeo, nec oculus pedi: viliora sæpe nostra vtiliora sunt. Nullus igitur nos indecens aliquid existimet facere, quod Casinense Monasteriũ quasi tueri videamur. Nam neque cum vel mater filiam, vel coniugem vir, aut filium pater ira stimulante cæciderit, si quis se inter sæuientem patrem & pauentem filium obijciat medium, natumque ab immoderata cæde patris eripiat, cum mansuescerit pater, homini illi indignabitur, sed contra maximas habebit gratias, quod filium à suis abstraxerit manibus. Ita & vniuersalis Ecclesia cum posita ira requieuerit, gratias aget Imperio nostro, quod filiam ipsius iræ subduximus: Agantur ergo quæ agenda restant, quia numquam desistam, nisi compleam desiderium meum. His dictis, Girardus Cardinalis dixit: Vestræ magnitudinis verba, Sacratissime Imperator & semper Auguste, precesque Domino Innocentio Papæ retulimus, sed nullo pacto sine sacramento Casinenses vt recipiat, induci potest. Petrus Diaconus dixit: Satis nos fecisse his, & ex præcepto Domini & ex Imperialibus edictis existimamus, alia si quæ habes, edicito. Girardus: Ignoras, inuictissime Imperator, hos, quos vestra magnitudo defendit, cum Rogerio Siculorum Comite contra Romanam Ecclesiam vestrumque coniuraſſe Imperium, neque solum coniurasse, verum anathematizasse, ac damnaſſe? ò rem inauditam, vt ligati & ligent solutus, & soluant ligatos: Ad hæc Cæsar indicto silentio dixit: Quod in me Casinenses admisere, libens tolero, grateq; remitto, exemplo itaque nostro, quod in Romanum Pontificem commiserunt, & ipse dimittat. Girardus: Et si Domini nostri Innocentij pij vniuersalis Papæ agimus vices, huiusmodi tamen sine illo diffinire non possumus. His dictis, fauente Imperatore, discessum est. Nocte insecuta cum Imperator duraret peruigil, Petrus Diaconus genu flexo ante illum, ita pro Casinensi orabat Ecclesia. Cum omnes mortales vobis militent, vt Domino rerum, atque Principi, vos tamen ipsi Imperatori cœlesti, pacis, pietatis, atque iustitiæ authori humiliamini. Aliter enim vtriusque vitæ salus tuta esse non poterit, nisi talibus ministratoribus gubernetur. Itaque, Imperator inuicte, cum maiestatem vestram cunctas per orbem tueri Ecclesias deceat, Casinensi tamen Ecclesiæ ideò magis te exhibere conuenit, quia magis opus habet, cum nobis, & loqui licitum non sit, & indulta ab Imperatoribus priuilegia pro nihilo habeantur. Nam Romano Pontifici obtemperandum, & ipse censeo, sed Deum illi quoque præferendum libera voce profiteor. Neq; enim illi irrogatur iniuria, si sibi Deus præferatur. Totus in Casinensis Ecclesiæ deiectione Monasticus ordo vacillat. Te ergo Imperatore Monachis sua iura tollentur? Te Imperatore à Monachis sacramentum extorquebitur? Te tuamque clementiam deprecamur, Imperator inuicte, ne hoc decernas, ne statuas, ne huiusce decreto subscribas. Indignum profecto est, vt te agente abrogetur Casinensis Ecclesiæ dignitas, vt Cardinalibus proueniat malæ voluntatis effectus. Nihil maius est religione, nihil sanctius ordine Monastico, nihilque sublimius patre Benedicto. Quid respondebit Carolomannus pius Imperator Augustus? Nonne tibi dicet? Imperium me dimisisse non credidi, quia Lotharium iustum & sanctum Imperatorem habebam: Imperium me deposuisse non dolui, quia imperia mea, præsertim de religione Monastica, inconuulsa perpetuo manere credebã. Titulos ergo pietatis, iustitiæ atq; mansuetudinis in Casino erexeram: has de mundi pressuris manubias referebam. Quid mihi plus potuit meus hostis auferre? Modo, inquã, modo abrogantur decreta mea: nunc grauius telum excipio corpore, cum à Romano Pontifice mea decreta damnantur: nunc mihi abrogatur Imperiũ, & (quod grauius) à Pontificibus Romanis: & hæc præsente fratre meo Imperatore Lothario. Cui enim magis, quam sibi, præstat Imperator, si instituta maiorũ, si Casinensis Cœnobij iura conseruat? Nulli ergo graue videatur, si defẽdimus religionis Monasticæ statum. Certè à B. Benedicto ad Innocentium Papam CXIII. Romani Pontifices numerantur: omnes Casinense Cœnobium dilexerunt, coluerunt, auxerũt: nullus religionem violauit. Iam verò si quid meretur veneranda canities, B. Benedictum introducamus loquentem. Optime Imperator, pater patriæ, Cæsar Auguste, reuerere canos meos, in quos ætas me longa prouexit: vtantur licite filij mei legibus suis à me sibi salubriter traditis, decet enim vt viuãt meo more. Per hos occiduũ orbem in mea redegi iura: per hos Anglia, multæque nationes ad Christum conuersæ sunt, Mea est horum salus, tutela, iuuamen. Cum hæc & his similia Petrus orasset ad Bertulsi

Sal.An. 1137 tulfi Cancellarij tentorium, Imperatore iubente, regressus est.

QVOMODO IMPERATOR FVERIT ira permotus contra duritiam Papæ.

LIV CVm igitur euocati Cardinales ad Imperatorem egressi essent, Girardus ait: Quæ heri vestra Sublimitas iussit, Domino nostro retulimus: benigne vestra postulata suscepit. Causam tamen permolestam sibi à vobis iniungi conquestus est. Ius enim Episcopale, quod sui habuere maiores nullo se pacto, nulla ratione se posse dimittere testatus est. Lotharius ad hæc: Nos, inquit, Casinensem Ecclesiam eo magis honorare decet, quo maioribus nostris in honore ac reuerentia habitam scimus, atque ditatam. Nam sciat Domnus Apostolicus, castra, prædia, villas, omnemque Monasterij possessionem iuris nostri esse. Episcopale autem ius suum in nullo violamus. Bertulfus Cancellarius dixit: Nil iuris sui Apostolicus in Casinense debet habere Cœnobio, quod Romani Imperij spiritualis camera esse decernitur, nisi Abbatis consecrationem, quam Henrico Imperatore concedente habuisse dignoscitur. Girardus: Placeat ergo consilium meum vestro imperio, Cæsar inuicte, vt vobis quidem sæcularium, Apostolico vero spiritualium rerum fidem sacramento confirment. Lotharius. Nostro valdè inhonestum videtur Imperio, maiorum non seruare mandata, eorumque sanctissimis non obedire præceptis. Nam si nos illa negligimus, atque nolumus, quis ea seruabit? Quo pacto alios hæc seruare compellimus, si nos ea conuellimus? Lex itaque Imperatorum, non plus alijs quam Imperatoribus ipsis constituitur: immo illos hanc magis seruare conuenit, ne à se ipsis desciuisse videantur. Girardus Cardinalis dixit: Non parum quoque Dominus Papa miratur, cum te Ecclesia in Cæsarem, totiusque orbis dominatorem consecrauerit, cur contra eam niti pro Casinense Ecclesia videaris, quàm non ad te, vt asseris, sed ad se vt cæteras Ecclesias pertinere testaris. Tum Imperator iratus; Immo, inquit, nos valdè miramur, cur nostris precibus annuere nolit, cum nos ipsius gratia annum iam, ac dimidium in papilionibus commorati cum Romano exercitu, pecunias in vsus publicos deputatas in ipsius obsequium conuerterimus, omnesque Vltramontanos populos illi obtemperare fecerimus. Quid ergo mirum, si Casinensem tuemur Ecclesiam, cum constet id à maioribus nostris gloriosè actum: & illi quidem eam tanti fecerunt, vt ibi magis, quam domi sepeliri delegerint. Quid de Sanctissimo & omni honore nominando Augusto Carolo dicam, qui relictis Imperij sceptris Monasticam ibi transegit vitam? Quid de ipsius Caroli fratre Pipino loquar, qui defunctum apud se Monachum fratrem, Casinum ibi tumulandum cum honore remisit? Rachis quoque Longobardorum Rex, relicto Regno, ad ipsum venerabile Monasterium venit, Monasticamque ibi exercuit vitam. Quid de Imperatoribus Iustiniano, Iustino, Theodorico, Pipino, Carolo, Pipino, Carolo Magno, binis Ludouicis, Hugone, duobus Lotharijs, Alberto, tribus Othonibus quinque Henricis? Quid de Constantinopolitano Michaele & Alexio referam? qui omnes Casinensem Ecclesiam summo affectu dilexerunt, & magnis illustrauere muneribus? Adeo Casinensis Ecclesia Imperatoribus extitit grata, vt ad eius liberationem Romani Imperatores cum omni exercitu venerint. Henricus enim Pius, inuictissimus Christianissimusque Imperator, ad eam tuendam cum centum octoginta milibus militum Italiam ingressus est, eamque à Capuani Principis ditione sublatam, pristinæ restituit dignitati: Conradus item Imperator Augustus, & Henricus ipsius filius, cum centum sexaginta milibus pugnatorum eandem defensurus Ecclesiam venit, cum Pandulfi nequissimi, non dicam Principis, sed Tyranni, iugo premeretur. Omittimus noua & nostra gesta memoria: antiquiora repetamus, lociq; situm, cuius proprie fuerit, videamus. Varro nempe, vt legimus, Romanorũ nobilissimus ac doctissimus, hanc sibi sedem elegisse, extruxisse, multisq; illustrem monumentis reddidisse cognoscitur. Ipsum Casinatem fundum, vt M. Tullius in Philippicis refert, Cæsar Antonio tradidit. At fortassis obijcitur, Benedictũ Patrem Romanæ Ecclesiæ alumnum, illud instruxisse Cœnobiũ. Quis id nesciat? sed Romanorum Nobilium suffultus auxilio, id eum fecisse cognoscimus. Beatissimo namque Papa Gregorio referente, didicimus B. Benedictu vna cum Mauro Senatoris Equitij, Placidoq; Tertulli patritij filio; ad Monasterium Casinense construendum diuinitus fuisse directum. Alibi quoque expressimus,

Sal. An. 1137

mus, Casinum cum finibus suis à Tertullo patritio iure suo hæreditario præcisum, patrique Benedicto traditum legimus. Quid plura? aut Romana Ecclesia Romani Imperij Cameram, Casinense Cœnobium, decenter accipiat, aut ab ea Romanum Imperium irreuocabiliter separabitur. Girardus Cardinalis dixit: Nequaquam inuictissime Cæsar vestra indignetur mansuetudo, nec super Domini, & Apostolici indignetur mandatis, neque Domini Innocentij pij & vniuersalis Papæ mandata videantur iniusta: verum si quid in his displicet, ad eum referatur. His dictis, quarti diei est solutus Conuentus.

Mane facto, cum vtræq; partes ante Imperatoris præsentiam constitissent Girardus, qui vicem Romanæ gerebat Ecclesiæ, dixit: Nouerit vestra Celsitudo, Cæsar inuicte, hæc Domnum Apostolicum vestris ita annuisse mandatis, vt vestri causa, fidelitate omissa, sacramentum solummodo obedientiamque requirat. Interim de electione quoq; Abbatis nobis iniunxit disputandum: qua ratione excommunicatum & (quod grauius est) schismaticum Ecclesiæ Christi prætulerint. Tunc Petrus Diaconus initium disputandi faciens dixit: Quid de nostri Abbatis electione Dominus Cardinalis dicere velit, audiamus. GIR. Sancta & vniuersalis Ecclesia valde miratur, cur excommunicati & ab Ecclesia separati, schismaticum hominem vobis & præferre, & Abbatem appellare præsumpsistis. PE. Cum varias, vt doctus quæstiones nobis effuderis, ex earum copia respondendi nobis inopiam gignis. Vnde si sancto Imperio cæterisque Proceribus placet, proponatur ex his aliqua quæstio: qua ventilata, tunc subtexentur & reliquæ. GIR. Quod Monachus proposuit, fecimus, nam de Abbatis electione proposuimus. PE. Si de Abbatis electione proponitis, quid adhæc dicere velitis, audiamus. GIR. Prima obiectio est, quod Abbatem absque Romani Pontificis consensu elegeritis. PE. Meminimus probanda, quæ volumus, vel testimonijs veterum, vel exemplis. Quare si quod exemplum proferre vultis, proferatis in assertionem propositionis vestræ. GIR. Abundamus quidem exemplis, verum sufficient pauca de pluribus. Occurrit primo loco Fridericus Casinensis primum Abbas, abhinc Stephanus electus Papa. Ergo priusquam res gesta referatur, dicat Monachus, quis Fridericum electo Imperio substituerit; quis item Petrum ipsum deposuerit: quis Desiderium, Oderisium, Girardum; quis postremo elegerit Senioretum. Et cum negare nequiuerit ab Apostolicis & illum deiectum, & istos fuisse electos, Apostolici profecto iuris esse Abbatis electionem nemo dubitabit. PE. Ad id, quod primo proposuistis, hoc breuiter dixerim: quod licet Petri depositioni, & ordinationi Friderici, Romani interfuerint Cardinales, non ab ipsis tamen, sed à Monachis & ille depositus, & iste fuerit electus. Oderisius item, primus, qui ab Apostolico, vt asseritis, est ordinatus, nequaquam obijciendus nobis est, cum profecto licuerit renouatori Monasterij non iure Apostolici, sed innouationis gratia, quia Monasterium à fundamentis erexerat, iure suo ordinare Monasterium. Neque tamen à Victore Papa, sed à Monachis electus est Oderisius, neque illis à Pontifice potestas ablata est, sed attributum adiutorium. Quid autem mirum, si renouator Monasterij Abbatem de consensu fratrum sibi substituit? Gerardus quoque Abbas, quamuis annuente Paschali, à Monachis tamen electus est. Senioretum, quem extremum posuistis, quo ordine ab Honorio electum fuisse dicatis, ignoro, cum præsens fuerim, neque ibi Pontificem, neque illius Nuntium viderim. Sed vt de veteribus Casinensis Cœnobij Abbatibus loquar, dico, oro, quis beatissimum patrem Benedictum in Casinensi Cœnobio elegerit? Ad hæc Cardinalis obticuit. Iterum Petrus. Constat, inquit, sanctissimum Patrem ab eo eße in Casino electum, qui Regem dominumque Pharaonis constituit Moysem. Vnde dicendum nobis est, Casinense Cœnobium neque ab homine neque per hominem cœpisse: sed initium sui ab omnipotente Deo habuisse, qui principium finisque est. GIR. Nouum loquendi genus inuenit Monachus, vt dicat Casinensem Ecclesiam per non hominem cœpisse. Lotharius ad hæc: Si quid, inquit, boni vel mali, me iubente, meus fecerit famulus, mihi profecto imputabitur. Quod si ita est: liquet vtique, quod B. Benedictus à Deo iussus egit, non sibi esse, sed Deo imputandum. Constat ergo Monachum vera prosecutum, & nequicquam fuisse reprehensum, sed qualiter, quoue ordine B. Benedictus Casinum aduenerit,

ado-

Sal.An. 1137 *adolescens ante nostrum Consistorium positus pendat. Tunc Petrus, Imperatore cæterisq; audientibus, relegit ita. Diuina admonitus reuelatione B.Benedictus, & loco cessit, & Casinum adijt castrum. Quo dum pergeret, duobus Angelis se & tribus coruis comitantibus, per quinquaginta passuum milia Casinum aduenit, & in templo quondam Apollinis, Oraculum B. Martini: vbi verò ara Apollinis fuit, Ecclesiam Sancti construxit Ioannis, & circumquaque manentes populos ad fidem Christi conuertit. Lotharius: De his iam nobis satisfactum est. Nunc ad Abbatis electionem vestra recurrat oratio, vt manifesta per vos nobis eluceat veritas. Petrus: Nostri temporis Abbatum electionem ab Apostolico factam non esse docuimus: restat veterum Abbatum modo explorare rationem. Legimus in Vita B. Mauri S.Patris Benedicti discipuli, quod Casinensis congregatio adhuc viuente patre Benedicto, S.Maurum Abbatem sibi constituere post illius obitum optauerat, fecissetque satis, nisi illum Deus in Gallias ire voluisset. Dic, oro, quis defuncto Patre Benedicto elegit Constantinum, Simplicium, Bonitum, & reliquos vsque ad Nicolaum? Hos profecto dicere non poteris ab alio, quam à Monachis, fuisse ordinatos. GIR. Non parum miramur, quod Monachus attrita fronte ausus sit de Casinensium electione talia prosequi, cum sanctissimus & luculentissimus Monasticæ conscriptor Regulæ Pater Benedictus id iubeat, vt si in Abbate eligendo congregatio errauerit, Episcopus, ad cuius diocesim pertinet locus, id fieri minime permittat: nec modo Episcopo, verum & fidelibus vicinis hanc facultatem tribuat. Quid plura de Abbatis ordinatione? cum S.Benedictus Presbyterum quoque, qui est in Monasterio, nullo modo proijci sine Episcopi consensu & voluntate velit. PET. Assentior Sanctissimum Patrem Benedictum Episcopo contra malam electionem compescendam facultatem præstitisse: verum qui vnanimiter eligunt, quid ad eos mandatum huiusmodi pertinet? GIR. Consecratio Abbatis Casinensis cui competit? PE. Romano Pontifici: GIR. Si illi consecratio competit, electio quoque similiter ratione conueniet. Iniuriam ergo Romanæ Sedi fecistis, quando absque eius conscientia Abbatem elegistis. PE. Electionem factam non negamus, quia nec debemus: Romanæ verò Sedis iniuriam omnino denegamus. GIR. Hoc interim negare non vales, Senioretum Abbatem iussu Honorij electum fuisse. PE. Ego electioni affui, sed nullum penitus, neque Episcopum, neque Cardinalem vidi. GIR. Perge, quo vis: argumentare vt libet; quia Subdiaconum nullo pacto Abbatem eligere potuistis, & hoc absque Papæ consensu. Nam Eugenius Papa ita in Decretis suis scripsit:* Abbates per Monasteria tales eligantur, qui Leuitico vel Sacerdotali honore sint præditi. *PE. Miraris, si sæpe Romanorum Pontificum iura mutantur, cum Deus ipse sæpè numero, quæ promittit, mutet? Centum & viginti annos ad agendam pœnitentiam his, qui ante diluuium fuerant, spondet, quia tamen illorum malitia augebatur in dies, viginti subductis annis diluuium induxit mundo. Iudæ quoque Patriarchæ, & Salomoni Regi, nonne regnum promisit æternum? Niniuitas quoque perdendos per Ionam prædixit, eamque mox remouit sententiam, quia pœnitentiam egerunt. GIR. Quod pro parte vestra intulisti, Domino Papæ nil obest. Patet enim patrem Benedictum vitia congregationis ab Episcopo emendanda dixisse. PE. Canonica decernit auctoritas, vt vel humilis cuiuscumque Ecclesiæ Clero liceat liberum de eo, qui sibi præferendus est, habere iudicium: & Casinensi Cœnobio Romani Pontifices, Gregorius Doctor, & alij CXII. idem permisere iudicium, ac tulere decretum, vt defuncto Abbate, ex sua congregatione Abbatem sibi eligant secundum timorem Domini, & Regulam B. Benedicti. GIR. Qualem ergo eligere debent Abbatem, Catholicum, an Ecclesiæ membris abscissum? PE. Catholicum. GIR. Subdiaconum, an Diaconum, vel Presbyterum? PE. Diaconum, vel Presbyterum eligendum Canonum sanxit auctoritas. GIR. Et si Leuitico, vel Sacerdotali non fungantur honore, qui eligendi sunt, quomodo iuxta præceptum Regulæ, lecturi sunt lectionem Euangelij, aut Missam canere, quomodo possunt? quomodo possunt aliquem, vel ligare, vel soluere? qualiter ad Subdiaconi pedes Diaconi, vel Presbyteri procident? qualiter incensum ponent, & Presbyteris, vel Diaconis benedicent? Subdiaconi quippe Leuitarum*

& Sa-

Sal. An. 1137. & Sacerdotum officijs subiacent. Si subiacent, quomodo præficiuntur? Neque enim iuxta B. Syluestri sententiam, Subdiaconus super Diaconum, vel Presbyterum præferri debet. Hinc pater Benedictus Abbatem in Gallias dirigere cupiens, non Subdiaconum quemuis, sed Maurum eo direxit Leuitam Sanctissimum. Quomodo ergo electio de Subdiacono excommunicato, vel Schismatico rata dici poterit? Ad hæc Imperator respondit: Ea quæ iniuste hactenus egere Casinenses Monachi, eis per omnia remittenda censuimus. Hæc petitionis meæ summa, quàm à Domino Apostolico rogo, vt eis quæcumque vsque in præsens incautius admiserunt, remittantur. Sit ergo finis hodierni conflictus. Nostra iterum rogata ad Papam referantur, & post diem quartum, quid iubeat, audiemus. Has autem inducias idcirco damus, vt definire melius ac statuere posit.

Tunc Papa vehementi ira concitatus, talia post quartam diem referri Imperatori verba præcepit: Dominium Casinensis Ecclesiæ non ad illum, sed ad se pertinere, sicuti & Ecclesiarum reliquarum. Decreueramus, inquit, vestra interuentione fidelitatem remittere Monachis: verum quia nituntur contra nos, & hæc & alia ab eis requirenda consuluimus.

Cum Cardinales à facie Imperatoris exissent, quidam Cistellensis Monachus eminus adstans, subsannare cœpit Casinenses Monachos, quod filio Petri Leonis adhæsißent, & Abbatem sibi absque consilio Papæ elegissent, asserens electionem irritam fuisse. Ad quem Petrus: Electio, inquit, eius iuxta antiquam Monasterij consuetudinem facta liquido constat: Cistellensis ait: Rainaldus vester Abbas non fuit, ideoque facta eius pro nihilo ducenda sunt. Petrus: Non solum, qui Casinum habitabant, verum & omnes circummanentes eum vt Abbatem habuerunt, Cistellenses ait: Electio tamen illius ficta, & reprobata fuit. Adhæc Lotharius: De omnibus, inquit, quæ contra nostram Cameram, Casinensem Ecclesiam, Cistellensis obiecerat, Petrus Diaconus lucide satis aperteque respondit. Sed huius altercationis iste sit finis. Singuli ad hospitia redeant, mane rursus ad conflictum redituri.

Die altera vbi lux est reddita terris, Imperator accersitis Magnatibus suis in Consistorio resedit, vtrasque disceptantium partes ad se ingredi iussit. Et dum venisset Cistellensis, huiusmodi disputationis initium dedit: Princeps Monastici ordinis Benedictus Regulam scribens vitæ descripsit modum. Vos illius præceptorum immemores, multa adiecistis, nonnulla subduxistis: nec veremini, aliter, ac ille iussit, agere. Petrus: Quid contra Regulam agamus in conspectu Domini nostri inuictissimi Imperatoris edicito. Cistellensis ait: Contra Regulam agitis de cibo, de potu, de indumentis, alijsque quampluribus. Petrus: Falsus testis non erit impunitus. Nam Casinenses Monachi cum Regula, non contra Regulam, agunt. Vestimenta habemus, quæ corpus contegant, nuditatis verecundiam arceant, & frigoris iniuriam repellant. Cistellensis: Cur nigris semper vestimentis vtimini? Petrus: Quia talibus Benedictus pater vsus est, vt habitu quoque mundo renuntiasse videretur. Hæc & his similia multa cum dicerent, Lotharius Imperator dixit: Et si varia contra Ecclesiam Casinensem protulistis, quia tamen ad vestra fulmina, apertè satis Petrus Diaconus & Romani Imperij fidelis respondit, omnemque mentium nostrarum fugauit ambagem. Quisque ad suum hospitium redeat mane rursus ad conflictum remeabitis. Petrus autem Imperiali causa cum Bertulfo Cancellario nostro remaneat, Imperij seruitia acturus. Hæc vbi Cæsar edixit, ad tentoria sua quisque recessere.

Nocte verò adueniente Imperator pro tribunali sedens, Annales Principum, atque Imperatorum coram se afferri, ac recitari iussit. Vbi autem Solis iubar matutinum illuxit, Cæsar accitis Aulicis vtrasque parte ingredi iussit: & cum adessent, sic exorsus est. Ea, quæ conferenda sunt, præcipimus vt scripturarum testimonijs roboretis, vt amotis omnibus dubietatis ambagibus, iustitiæ ac veritati tenaciter inhærere valeamus. Cistellensis respondit: Iure cum adolescente isto pro Casinensi Ecclesia congrediendum esset, nisi de schismate & hæresi ipse & Casinensi Ecclesia notata esset. Petrus: Erubescens conticeat lingua frenetica, quæ prius in latratum quam in æqua verba prorupit. Ad hæc Imperator anticipans: Quoniam, inquit, pro Casinensi Ecclesia solus congredi aduersus omnes cœpisti, grauiter, non furiosè respondere te conuenit. Indecens enim est, vt in Im-

Sal. An. 1137 *Imperiali Aula morantes, & Prothodomestici Imperatoris effecti inhonestum, quid aut insulsum in sermone, in incessu habituve proferatis. Petrus: Si quid, Imperator inuicte, seruus vester in locutione peccauit, iste me compulit, qui ab ipso disputationis exordio ab iniurijs cœpit, & in iniurijs perseuerat. Cistellensis: Dic vbi iniurias irrogaui? Petrus: Cum nobis excommunicationis, & schismatis titulum affixisti. Cistellensis: Si placet, edicito quid sit iniuria. Petrus: Iniuria est, quæ verbis fallentibus irrogatur. Vos autem falsissime loqui ante Dominum Imperatorem veriti non estis, cum hæresim nobis immisistis. Cum plura disputassent, Peregrinus Patriarcha respondit: Iusta, & competenti ratione constat Cistellensem à Petro Diacono fuisse superatum: ideoque huius controuersiæ iste sit finis.*

Die altera Girardus Cardinalis ex parte Sedis Apostolicæ veniens, Imperatore pro tribunali residente ait: Romana Ecclesia Sacratissime Imperator, & semper Auguste, non ab hominibus neque per hominem, sed per Iesum Christum fundata est, qui Petrum Apostolorum Principem illuc direxit, cui etiam claues Regni cœlorum tradidit: & idcircò nullum illius gratia violari debere Apostolicus censet. Petro autem respondente, numquam Romanum Pontificem à Casinensibus Monachis sacramentum exegisse, Girardus ait, idcirco vos non hæc quæsisse, quia vsque ad illa tempora in Ecclesiæ vnitate mansissent: Sed postquam schisma incurrissent, absque Sacramento recipiendos non eße: protulitque iussu Papæ Innocentij capitulum Niceni Concilij: Vt reuertentes à schismate absque Sacramento non reciperentur. *Lotharius Imperator dixit: Non vos idcirco congregaui, vt Canonum iura scrutetis, sed vt benigne & leniter cum Ecclesia Casinense ageretis. Meminisse debetis, quæ in Romana Ecclesia beneficia ipse contulerim, quot & quanta pericula pro vobis cum exercitu perpessus sim, qualiter annum integrum ac menses duos in tentorijs egerim, quot propinquos & amicissimos inter bellorum amiserim fremitus. Non enim Casinenses fratres ad inimicum Pontificis, sed ad Romanum Imperatorem, Ecclesiæ propugnatorem confugere. Postremo si me à spe frustratum esse vultis, neque fratres ab excommunicationis sententia absoluere, contestor hodie schisma inter me, & Pontificem futurum: & pro amico obsequentissimo, infestissimum fore inimicum.*

Lotharius tandem ipse Pontificem adiuit, & increpanti Pontifici, eum non debere pro eis contendere, qui ipsum detestati essent, ac Petri Leonis filium pro Pontifice recepissent, qui coronæ alteri obtemperassent, & pertinaces ad eam vsque diem permansissent; Lotharius respondit, se omnem eorum culpam subire velle. Tum ille, etsi omni sint execratione digni, qui suum abiurarunt Pontificem; omnia tamen ignoscemus, si filium Leonis, eiusque socios respuerint. Quod ille se curaturum respondit. Itaque XV. Kalend. August. Rinaldum cum Monachis, Episcopis, principibusque stipatum misit ad Pontificem. Quibus Cardinales obviam progressi rogarunt, num filium Petri Leonis repudiare vellet? Quod cum ille annuisset, & coram Pontifice egisset, Cassinum redire iussus est, *cum quo misit Pontifex* (ait Petrus Diaconus *lib.4.cap.108.*) *Balduinum Presbyterum Cardinalem, præcipiens, vt Anacletum pseudoPontificem Petri Leonis filium à Cassinensibus Monachis anathematizari faceret, ac Papæ eiusque successoribus obedientiam ab ipsis exigeret. Quæ quidem omnia fecere libenter Cassinenses Monachi.* His actis Lotharius Reginulfum, siue Ranulfum, hominem Germanum Ducem Apuliæ declarauit. Verum orta inter se & Pontificem de iure inuestituræ dissensione, institutionem distulit. Apuliæ & Calabriæ terrestribus locis fermè omnibus receptis, tum maritimis oppidis hostilis & terror illatus. Guibaldus Abbas Stabulensis vij. Idus Iulij Lothario iubente classem Salernum adduxit, ac magna mole vrbem oppugnauit. Pisani verò quadraginta sex triremes omnibus rebus instructas eisdem littoribus admouentes oras infestarunt. Pridie Non. August. Amalfim adorti, vrbem primo impetu expugnarunt. Et quod memoria insigne, ex Vrbis præda, beneficij loco à Lothario, hoc vnum petierunt: Iuris ciuilis Pandectarum volumen; olim à Iustiniano Imper. conditum, & priscis admodum literis exaratum, quod in hodiernam diem Pisis Florentiam translatum ibi magna religione seruatur. Nonis inde Atturinam cœperunt; postridiè Pugierulam, Rebellem, Scalam

Reconciliantur. Casinenses.

LV *Reginulfus Dux Apuliæ*

LVI *Salernum oppugnat Lotharius.*

LVII *Pandectæ.*

Sal. An. 1137 Iam, Scallelam, Maioram, & Minoram vrbes occuparunt. Rogerius, cum auxilio
LVIII *Rogerius fugatur.* Salernum classem suam adduxisset; v. Idus prælio commisso, cum impetum Pisanorum sustinere non posset, in fugam actus, atque vsque ad mare compulsus, in Siciliam abijt.
LIX *Contentio inter Cæsarem & Pontif. de Salern.* Eodem tempore Guibaldus Salernum expugnauit. Id vtrius esse deberet, Pontificisne, an, Imperatoris, controuersia & non exigua eos tenuit.

VINCVLIS TRADIT ABBATEM CASINENSEM LOTHARIVS IMPER.

Lotharius ex Apulia cum Innocentio, quũ Capuam accessisset, ac *Rinaldum* Abbatem ad *Rogerium* defecisse cognosceret, co-
LX *Lotharius fit Patricius Rom.* hortem militum præsidio Monasterij misit, ac *Rinaldum* captum in custodiam tradidit. Inde ad oppidum S.Germani progressus, mox se ad causam Rinaldi cognoscendam properaturum, monachis nunciauit; ac sumptis in Exaltatione S.Crucis Romani Patriciatus insignibus, postridie ipse cum Augusta monasterium adijt, ac multa B.Benedicto munera tulit. Inde cum Patriarcha, atque Episcopis in Capitulo
LXI *Rinaldus Abbas deponitur.* causam Rinaldi cogniturus assedit. *Rinaldus* tribus criminibus oneratus est; quod cum *Rogerio* consensisset; quod creatus Abbas contra leges fuisset; quod ab Anacleto consecrationem sumpsisset. Cæterum Inno-
LXII *Querela Pontificis in Lotharium de iudicio.* centius hoc iudicium iniussu suo constitutum, vsque adeò molestè tulit, vt Episcopos, Abbatesque qui ei interfuerant, abdicare statuerit. Lotharius autem nihil ad eius contumeliam factum excusans, omniaque illi integra esse affirmans, legatos, qui rem cognoscerent, postulauit. Per eos *Rinaldus* damnatus, atque Abbatis officio spoliatus est. *Innocentius* Monachis, *Lothario* rogante ius Abbatis sufficiendi permi- LXIII *Ius Papæ in Cassinensi cœnobio.*
sit, sibi confirmationem & prandium ineundo Beneuentum, & redeundo retinuit. Inde Aquinum se contulit: vbi de inuestitura Ducis Apuli sedatâ discordia, *Ranulfus* Dux Apuliæ, Pontifice atque Imperatore vexillum vnà tradente, est institutus. LXIV *Ius inuestiendi Ducem Apullum*
Robertus item Princeps Capuæ confirmatus. Vterque eorum Guibaldo Abbati nouiter suffecto iurauit, se possessiones monasterij seruaturum. *Lotharius* inde postquam intercedente *Richsâ* Augustâ, veterum Imperatorum priuilegia confirmasset, cum Pontifice Romam decessit: ac pridie Kalend. Octobris, ad Abbatem Guibaldum literas misit sequentes.

DE COLLECTIONE ANTIQVITATVM, Et Priuilegiorum Sacri Romani Imperij.

LXV *Lotharius Dei gratia Romanorum Imperator Augustus, dilectissimo fideli suo Guibaldo Casinensi Abbati Hierarchæ, & Romani Imperij Cancellario Capellano ac Principi pacis, gratiam suam & bonam voluntatem.*

Tuæ fidelitati per Imperialia scripta mandamus, vt nostræ à Deo conseruandæ Maiestati Petrum Diaconum, qui à nostra Imperiali seruitute Logotheta Italicus, Exceptor, Cartularius, & Capellanus Romani Imperij constitutus est, transmittere studeas, recepturum pro suæ fidelitatis seruitio dignæ retributionis præmium: Indubitanter enim noueritis, nostram Maiestatem & Collaterales Imperij propter antiquitates & rerum gestarum relationes, eius absentiam ferre non posse. Mitte etiam per eum omnia antecessorum nostrorum priuilegia: quæ ei ad Aquas pensiles olim custodienda dedisse meminimus. Data apud suburbium Tiburtinum, pridie Kalend. Octob.

LXVI Legitur hoc anno eiusdem Lotharij Imperatoris, aliud diploma pro Cassinensi Monasterio aduersùs fratres Monasterij Sancti Vincentij martyris: *Conquesti sunt hi, quod Casinenses illis abstulissent castrum Cardetum, Viræcusum, Vallem rotundam, Saracenis cum, & possessiones alias, quas iuris sancti Vincentij fuiße constaret. Aderat querelæ Petrus Diaconus, qui rei indignitate permotus, illos præsente Cæsare rogare cœpit, sub quo Imperatore castra ipsa Monasterij Sancti Vincentij collata essent. Qui cum Ludouicum Secundum protulissent, Petrus eos iniuste contra Casinense Cœnobium Calabriæ arguit, prolato præcepto Iustini senioris & Iustiniani Imperatoris, de possessionibus Monasterij, quod ante Ludouici tempora trecentos fermè annos conscriptum fuiße constabat.*

Sal. An. 1137 *bat. Imperator autem æquitatis ratione perspecta, sententiam protulit dicens: Iniquum esse, & indignum, vt Cassinensis Ecclesia, singulare Imperij Romani ornamentum, aliquid suo tempore amitteret ex his, quæ ante sexcentos fermè annos habuisse constaret, eaque omnia Cassinensi Cœnobio perenniter possidenda firmauit: decreti sui contemptoribus mille librarum auri pœna proposita.*

ROGERIVS ITALIAM DENVO INVADIT.

LXVII Rogerius Salernum ex Sicilia, cum exercitu ad repetendam armis Italiam, *Lothario* longè abstracto, profectus, Ranulfum Ducem obuium habuit; à quo pugnâ comissâ, victus recessit. Collectis tamen ex fugâ copijs, simulatione pacis periculum effugit. Recuperatis postea viribus, tota fermè est potitus Apulia. *Lothario* campania

LXVIII *Abbas Rinaldus.* egresso, Rinaldus, qui Abbas Cassinas fuerat, armatus descendit Abbatiam occupaturus. Verum Guibaldus ope Landulfi ipsum non solum ab aditu Monasterij repulit, sed etiam S. Germano deiecit, atque oppido incenso, litteras ad *Lotharium* imploratum auxilium misit sequentes, ex *Sigonio*.

LXIX *Post profectionem à nobis vestram, Sarraceni, Nortmani, & Longobardi in Campaniam irrumpere, ac direptione, incendio, ac cæde omnia miscuere, præcipuè in prædijs Cassinatis Monasterij, aliarumque Ecclesiarum bacchantur, monachos vincientes, cruciantes, ac diuendentes, ac templorum valuas, si quas clausas offenderint, refringentes, atque omnis ætatis, sexus, gradusque homines ad tradendum aurum supplicijs acerbioribus adigentes. Nostrorum autem dictorum testes sunt ciuitates Puteolana, Alifana, & Zelesina, quæ nihil aliud, nisi olim se fuisse demonstrant, & si quæ supersunt, solo æquantur, vt Capua. Nam postquam fortunas, & homines exhauserunt, incendium subiecerunt. Quanta verò Cassinati Monasterio post vestrum discessum detrimenta intulerint, commemorari non potest. Quamobrem te rogamus, inuicte Cæsar, vt nobis dubijs in rebus nostris maturum auxilium præbeas.*

LXX His literis missis, mox vt imminens euitaret periculum, legatos ad *Rogerium* Capuæ commorantem misit, paceque petita se amicum illi fore spopondit. Quibus Rogerius respondit; se nulla ratione adduci posse, vt Abbatem ab Imperatore constitutum in Cassinati Cœnobio conseruaret; imò si illum adeptus esset, se laqueo necaturum. Hoc audito Guibaldus noctu aufugit.

LXXI *Stephanus Rex Hungarorum.* Superbebat *Rogerius*, quià *Stephani* Vngarorum Regis affinitate iunctus, sperabat eodem tempore pluribus in locis imperium turbare. Mortuo namque *Colomanno*, Vngari *Stephanum* filium eius nouennem licet, suffecerant. Quum expers adhuc per ætatem gubernationis esset, omnia alieno regebat consilio, nihil insolentiùs agere poterat, quando ab optimatibus spectatæ prudentiæ coercebatur. Tamdiu fœlix, quam diu puer. Infelicissimus, vbi primum se Regem credidit, sua scientia posse cuncta complecti; & sine sapientum commercio, sapiens videri voluit. De optanda ei vxore inter Optimates agi cœptum est, cum matronarum cępit tentare pudicitiam, concubinis non contentus. *Roberti Guiscardi* filiam, qui in Apulia & Sicilia latè dominabatur, non solum genere Nortmannorum; & forma, sed muliebri quaque maxima virtute præstantem, ei desponsarunt; LXXII *Stephanus filiam Guiscardi ducit* Tantorum affinitate vterque fretus Cæsarem non timebant. Arma Vngari & Nortmanni gerentes communia, aduersùs bicipitem Aquilam Græcam & Germanam, ferociter non tam pro tuitione regnorum, quam pro libidine gloriæ: vndè ad formidandum *Stephani* nomen, peruicacem infantes vagitum ponerent. LXXIII Rex cum natione tum moribus Barbarus, virus tandem post hostes in familiam euomuit: & illis tantum legitur pepercisse, quibus nocere non potuit. LXXIV *Almi mors.* *Almum*, quem parens cæcum fecerat, exulem nepos voluit. Serà tandem pœnitentia eius obitum cum audisset, illachrymatus est, & iusta regio more soluit, vt inuidiam quam ex impiâ relegatione conflarat, sepulturæ aboleret honore. LXXV *Bela adoptatur a Stephano.* *Bela* quoque filius pari cæcitate affectus, sed clam à Pannonijs seruatus, ne regno legitimus hæres deesset, ac *Stephano* patefactus, in Regem mutatum tyrannum offendit. Nam patruelem *Stephanus* adoptauit in filium: In eo melior patre, quod saltem in fine ma-

Vu lus

Sal. An. 1137 lus esse desierit. Et Sacco prò Sago præcinctus obire voluit, Fœlix si talis vixisset, qualis mori voluit. Ann. 1141. *Bela II.* successit, & coronam, quam quærere, nec Lxxvi. *Stephani pœnitentia*



Lxxvii *Bella II. Rex Hungarorum cæcus.* præsumpsit; nec potuit, cæcus inuenit. Vtroque lumine cæcus ab eo regebatur, qui totus est oculus. Vnde illi hoc sæpius in ore *Dominus soluit compeditos, Dominus illuminat cæcos.* Fidem exitus illustrauit, cum cęcus aciem instruebat, & *Borichium*, Polonos Ruthenosque fęlici successu triumphauit. Victoriam tamen vino submersit: vbi enim pugnandi finem fecit, ibi initium
Lxxviii bibendi. E vino in hydropem incidit; vt qui vel tenui ante labro gustare horrebat aquas tous ijsdem ad vltimum mergeretur. Animam procul dubio vomisisset ebriam, nisi tantis aquis ad sobrietatem reductus, sobriè obijsset Ann. 1141. Vngarorum pauca hæc memorare duxi, quibus res Germanorum videntur affines. *Lotharius* in Lombardiam profectus, Cremonensium impulsu Cre-
Lxxix *Lothar. in Cremenses.* menses persequutus est armis, quia singulari contumacia vsi, edictis suis non paruissent, neque citati in ius venissent. Vbi verò Cremam suis, & Cremonensium copijs adortus nihil se proficere, oppido natura, arteque munita sensit, relicta post mensem obsidione, Cremonam se recepit. Cremonensibus indè, quod eorum in se seu veras, seu falsas insidias comperisset, iratus Mediolanum accersit; belloque oppugnare eos aggressus, Soncinum, Bassianum, multaque alia ex eorum iurisdictione castra deleuit. Hisce rebus in Italia gestis, in Germaniam iter arripuit. Cum autem in Vallem Tridentinam peruenisset, morbo correptus, *in ipsis montibus in villissimà casà*
Imperator potentissimus, miseram humanæ conditionis relinquens memoriam XIII. regni sui, Imperij verò VII. anno, plenus dierum obijt. Futurus nisi morte præuentus foret, cuius virtute & industria coronam imperij ad pristinam dignitatem reduceretur. Regalia Dux Henricus gener eius, in cuius finibus obierat, accepit: & ipse per Augustam, in Saxoniam ad Monasterium Luter, quod construxerat, deportatus, honorificè sepelitur: Lxxx *Lotharij obitus.* Lxxxi

actus-

Sal. An. 1137 *actusque eius, vt nulla possent aboleri obliuione in plumbeis laminis descripti, iuxta eum reconduntur.*

Virtutis elogium edidit *Vspergensis* homo Germanus. *Erat* (inquit) *strenuus belli*
LXXXII *ductor, præcipuus in armis, prouidus in consilio, terribilis inimicis Dei, & S.Ecclesiæ, qui quandiu vixit, totum Romanum Imperium titubare non potuit.* Pietatis testimonium est apud Petrum Diaconum hominem Italum. *Iam verò* (inquit) *qui tanti Imperatoris animum non admiretur. Sederat ad sedandas dissensiones fratrum in Capitulo à primà diei horà vsque ad vesperam absque cibo, potuque perdurans, dum paci vnitatique*
LXXXIII *consuleret, nempe enim sub Imperij chlamyde cœlesti militabat Regi. Nam, vt ipse testis sum, in expeditione constitutus summo diluculo Missam pro defunctis, dehinc prò exercitu, tertiam postremò diei Missam audiebat. Demum viduis, & orphanis cum Augustà pedes lauans tergebat crinibus, & osculabatur, cibumque illis, ac potum largè distribuens; quæstionesque & oppressiones Ecclesiarum priùs releuans vltimo in loco Imperium ponebat. Quandiù verò in Cassinensi claustro remoratus est, ità omnes officinas Monasterij, ac si Abbas, vel Decanus, circuibat, scire cupiens, quomodo quisque sub B.Benedicti magisterio viueret, factoq; mane orans Monasterij Ecclesias nudis pedibus circuibat, & hæc agens numquam à consortio Episcoporum, & Abbatum auellebatur, & cum sapientibus sermocinabatur. Erat cæcorum baculus, esurientium cibus, miserorum spes, lugentium consolatio: atque ita in sin-* LXXXIV
gulis eminebat virtutibus, vt omnes perfectè haberet. Sacerdotes honorabat, vt patres: pauperes fouebat vt filios; viduas, vt matres. Erat orationibus peruigil, lacrymasq; creberrimas contriti cordis Deo offerebat. Constans prætereà Doctorum hominum monu- LXXXV *Lex ciuilis.*
mentis est fama Lotharium, vt ex vno iure ciuili Romano posthac iudicia fierent, lege sanxisse. Prius etenim Itali, alij Longobardica, alij Italica, alij Romana legè viuebant; in posterum oblitteratis reliquis, vni ciuili legi iussi sunt obedire; illudque in publicis Italiæ gymnasijs celebrari. Primus Bononiæ *Irnerius* docere cœpit, vt Odofredus me- LXXXVI
moriæ prodidit, primusque *glossas*, ità ap- *Irnerius.*
pellauit, in illud scripsit, quem cæteri sunt æmulati. Legum ipse & Iustitiæ formam exemplo exhibens, Thema illud assumpsit in LXXXVII
Symbolum, *Audi alteram partem*, quem *Lotharij symb.*
Reusnerus disticho lusit. *sequenti.*

Dimidium facti loquitur, non omne vir vnus
Factum: sed partem *præstat* vtramq; *loqui.*

In eius tumulo *Fabricius* Epitaphium recitat à se repertum, quod hoc postremo disticho clauditur.

Exuitur membris, heu, trina luce Decembris: LXXXVIII *Epitaph*
Ecclesiæ gemitus illius est obitus.

SIGNVM, ET AVREAM MONETAM *Lotharij* Imper. vide in pag 42.

CAPVT TERTIVM.

Occasione Symboli, quem *Lotharius* Imper. assumpsit, præsen s insurgit tractatus,

AVDI ALTERAM PARTEM.

I *Nugæ curialiũ.* SEmper tyrannorum commentum fuit, ordinem iudiciarium illudere, nugas vocitare curialium, vt innocentium cruore labes reorum tingerent; & sceleratorum piaculis innocentiam fœdarent. *Quia inauditi, atque indefensi tamquàm innocentes perierant*; de Cingonio Consule, & Petronio Turpiliano scribit Tacitus. II *Hist. 1. c.6.* Cain accedat, & ne immitem Deum accuset homo, quereti & accusanti cadaueri satisfaciat. En sanguine mortuus suas exarat querelas, & Cœlorum tonitru gemit. *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* *Genes. 4.* In parricidam clamant; quia victimam fecisti fratrem, ne victimæ litarent fraternæ. Subtrahendo pastorem, cuius erat tondère pecus, docuisti deglubere homines; cum ad occulendum fratricidium, victimam in syluam traduxisti, vbi Cœlorum vigiles cum excubarent, lampades non extinxerunt, vel præ timore arescentes; vel vt melius explorarent crimen, quod dubia fide cernebant. *Clamat*, quia vix terra rore irrigata cœlesti, filij cogitur sorbere sanguinem. *Clamat* natura, volens compaginem elementorum disrumpere, quia fraterni amoris horruit rupta ligamina. Nec prius conflixere elementa, quàm à fratrum dissidijs bella discerent. *Clamat*, in eum clamat, qui primus mortem manuduxit in orbem: quæ licet culpæ pretio sibi mundi parasset imperium; ei tamen nulla erat possessio, nec forsàn data esset; ni proditione dimidij Orbis, & amica manu clam irrepsisset. *Clamat* Manum sanguis, de terra ebullit, totque linguis, quot gutis in fratricidam deponit. *Clamat* ad notitiam iudicis, non in vindictam sceleris: Vnde sit sylua, forum: testis, mortuus: vmbra, delator; carnifex, culpa: iudex, Deus. *Clamat*, quia stolidus Cain mutum putabat flagitiũ, compresso illo iugulo. Sed proditorem omnia produnt. Superi fœderantur & Inferi, nè linguæ iactura crimen in puluere lateat. Amissà linguà, aperit labia vulnus, & clamorem geminat, ne iudici superno testes deficiant. Quasi piaculi particeps foret diuina Iustitia, ni testes pœnæ præcederent. Propterea vocatus Cain, vt de fratricidio deponeret, cum delictum celare tentaret, nec aperire vellet; Abel reuocatur ab inferis, vt in causa deponeret, priusquàm homicida damnetur. *Iustitia deosculantur, & pax*; si iustitia & veritas vnà conspirent. III
Veritas, vel *pax* promiscuè legas apud Psal. IV *Ps. 48.*
mistam. Hoc vno prætextu excusatur *Clodius*, quum *Tullium* exulare mandauit, *n.11.* V quòd iste in Coniuratione *Catilinæ* sine ordine iudiciario ciues sustulisset Romanos. Tumultuantes Spartanos in *Cleomenem*, quia Spartanos Ephoros trucidasset, *Cleomenes* compescuit; cum redarguit iure occisos, VI qui hominum alios deportarent, alios morti traderent inauditos. Inhumanum ducitur solo conscientiæ lumine gesta scrutari subditorum. VII Nemo iudex & testis. Deus cum possit, nequit duorum officio fungi, Deum spernit *Adam*, & priusquam ad terram damnetur effodiendam, vocatur: *Adam vbi es?* interrogatur, nec de regia Paradisi exulat, priusquam reum faciat propria cõfessio. VIII Deus Omnipotens licet omnia nuda & aperta sint oculis eius, mala tamen Sodomæ noluit *audita* iudicare (inquit *Euaristus* Papa) IX *cap.20. Deus. 2. q.2.* priusquàm manifestè agnosceret quæ dicebantur. Vnde ipse ait? *Descendam & videbo* vtrum clamorem, *qui venerit ad me, opere compleuerint, an non, vt sciam.* In Sodomas querebatur Angelorum Senatus, lamentabantur Prophetæ, Natura ipsa Sodomam accusabat, Deum inuocabat in iudicem. Ipse autem mulciebat actores, arguebat noxios, sed differebat vindictam. Lamentabantur delatores, quòd penè factus patronus culpæ, culpam non mensuraret pœna. Se excusabat Omnipotens velle testibus comprobare querelas. Actores replicant, quomodò qui omnia cognoscis in Verbo, quasi propria ignarus notitia, alienam inquiris? Erumpe Domine, in furore tuo argue naturæ inimicos? *Descendam & videbo.* Ad quid descendis? nonnè clamor Sodomorum ascendit? *Descendam & videbo.* Ad quid descendere, si vbi.

si vbique Deus: si descendero in infernum, tu illic es: si ascendero in Cœlum, tu ades? *Descendam, & videbo, vtrum clamorem, qui venerit ad me, opere compleuerint, an non, ita vt sciam.* Scio (Angeli) Sodomas naturæ hostes, præceps tamen non emittam iacula; adhuc in pharetra fulmina, quia quanto otior homo ad peccandum, tantò tardior Deus, ad puniendum. Quod si Dominus omnium, Sodomorum mala, quorum clamor ad Cœlum vsque peruenerat, omnia sciens, nec credere, nec iudicare voluit, priusquam testibus comprobaret: quantò magis homini peccatori, quem diuina latent arcana, nefas erit ante legitimam probationem absoluere, vel condemnare. Abducunt Scribæ & Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam, dicentes:
x *Moyses mandauit nobis huiusmodi lapidare, tu ergo quid dicis?* Christus nullo datto responso inclinans se deorsum, digito scribebat in terra. *Io.* 8. Cur quæso omni damnatam adulteram lege præterit? forsam acta deficiunt? si in ore duorum, vel trium stat omne verbum; cum tota Pharisæorum turba, & Scribarum phalanx eam adulteram resonat, cur non damnas? sed deorsum inclinans, digito scribis in terra? In terra scribit, se inclinat deorsum, vestigat puluerem, terram ruminet; ne delatorum querelis aurem credulus præbeat; Sic iudex priùs inclinet caput ad probationes & acta: terram remandet, & ruminet, vt radicem accusationis inueniat; an odio vel pecunia corruptus delator insimulet; an Susanna sit inter lasciuientes senes, quæ accusatur? an Demosthenes sint delatores, quorum calamus
xi numquam sine veneno. *Sic fatui*, redar-
Daniel guebat Daniel populum in Susannæ iu-
13. dicio præcipitem, *Filij Israel, non iudicantes, neque quod verum est cognoscentes, condemnatis filiam Israel.*
xii Iudicantem oportet cuncta rimari,
c. iudicantem 30. q. 1. & ordinem rerum plena inquisitione discutere. Nec tàm causæ qualitatem examinare, sed & de personis testificantium quærere, si alij fuerint accusatores, alij testes. Iudicis non est sine accusatore inquirere, & sine teste damnare. *Iudam* Dominus, cum fur esset, quia non est conuictus minimè abiecit. Nec adulteram, quia accusator recesserat, damnauit. *Mulier, quis te accusat? nemo Domine, nec ego te condamno.* *Io.* 8. Multi itaque corriguntur vt Petrus; multi tolerantur vt Iudas; multi xiii
nesciuntur, donec veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum. Nemo audeat inter se aduersa vsurpare officia, vt cuiquam ipse sit accusator, & iudex. Si c. multi 2. q. 1.
peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipsum solum. Veritas criminis, xiv
iudicij ordinem non euacuat. Si solus nosti, quia peccauit in te, & eum vis coram omnibus arguere, non es correptor, sed proditor. Attende, ait *Augustinus*, quemadmodum vir iustus *Ioseph* tanto flagitio, c. si peccauerit 2. q. 1.
quod de vxore fuerat suspicatus, tanta benignitate pepercit: antequam sciret, vnde xv
illa conceperat, quam grauidam senserat, & se ad illam non accessisse nouerat. Restabat itaque certa adulterij suspicio: & tamen quia ipse solus senserat, ipse solus sciebat, quid de illo ait Euangelium (*Ioseph autem, cum esset vir iustus, & nollet eam diuulgare*) Mariti dolor non vindictam quæsiuit; voluit prodesse peccanti, non punire peccantem. Cum nollet eam diuulgare; voluit xvi
eam occultè dimittere. Ergo ipsa corripienda sunt coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus. Ipsa verò corripienda sunt secretiùs, quæ peccantur secretiùs. Distribuite tempora, & concordabitis scripturas Iudicium subuertitur, si testimonium subtrahas: *in ore duorum, vel trium testium pereat, qui interficietur.* Duri hominis, Deut. 17. xvii
vel potiùs vix hominis videtur, periculum capitis inferre ex solo murmure malignātium. *Quis enim innocens, si accusasse sufficiat?* aiebat Iulianus Imperator. *Marcell. l.* 18. Regale conuiuium cum parasset pater familias, Matt. 22
intrauit vt videret discumbentes, & vidit hominem non vestitum veste nuptiali: & ait illi, *Amice* quomodo huc intrasti? Amice xviii
dicitur, qui repertus in crimine legem violat; legislatoris patientiam pertinacia prouocat? amicus legislatoris erit inimicus legis? Legis inimicus fit legislatori amicus, vsque dum de iniquitate testes deponant in publico etiam delicto: nam qui sine veste xix
nuptiali fuerat ingressus, discumbebat in conuiuio, nec tamen in eum vindex iudex insurgit, priusquam interroget *Amice quomodo huc intrasti?* Non contumeliosè increpat, non dicit indignè, sed *amice*, ad

eru-

erudiendum nos, vt etiam in notorio facto inauditos non iudicemus. *Caietanus*. Nec personæ abiectio, vel accusati excusat infamia. Dœmonem namque non damnat veritas, priusquam præcedat inquisitio, & sit exagitata cognitio. Inter fines Decapoleos furebat Satan, & agrorum depopulatione, XX populorum captiuitate publicè, & notoriè *Marci 5.* apparebat nocuus. Iudicis cum horreret aspectum, die ac nocte latebat in monumentis, vexato in corpore formidans quiescere. Deus tamen Satanam deportare non audet, antequàm ipsum interroget, *interrogabat eum Iesus, quod tibi nomen est?* Non quasi ignoret, ait Grisostomus, *sed implet iudicem, seruat ordinem cognitionis,* XXI *nomen interrogat, vt de conditione discutiat.* *Thren. 2.* Cogitat Dominus dissipare murum filiæ Sion, quia ad alienos conuersa Deos, factorem suum dereliquerat; non prius tamen fulmina torquet, iacula fundit, quàm funiculum tendat super murum: *tetendit funiculum suum super murum*. Iudæos forsan timet Omnipotens, vt obsidionis instrumenta disponat, & hostium vires exploret? funiculum tendit super murum? altitudinem, latitudinem, profunditatem, metiris murorum, si nullus est, qui possit resistere tibi? si frustra vigilat qui custodit ciuitatem, nisi Dominus custodierit eam; vndè factus geometra funiculum circumducit? vt vires libret hostiles? Perpendiculum non in muros sed in peccata tractat Omnipotens. Non turres, non propugnacula metitur Altissimus: sed adulteria, stupra, rapinas, sacrilegia pendit; & in ea funiculum tendit, retiacula pandit. Tetendit funiculum super murum, *idest funiculum peccatorum nostrorum, & normam districti iudicij, vt astigat secundùm delictorum merita,* XXII ait Glossa. Tharsim confugiebat *Ionas* Propheta: felici decurrebat ponto, & Zephyri flabant secundi. Silebant æquora tuta; Vacuus nubibus Æther, igne certabat aereo. Cum omnis repente assilit fluctus, imoque à gurgite vertitur pontus. Confligunt inter se venti, nec erat, nisi pontus & aer: fluctibus hic humidus, nubilus ille minax. Ratis mergebatur procellis, & naufragas iam ebibebat vndas. Proiectis sarcinis, non adhuc mare placatur; sed se se tollit, & altiùs vndas erigit, imoque assurgit ad æthera fundo. Nautæ cum vento carbasa, sarcinas mari, vota Cœlo *c. 1. Ionæ* soluissent, nec possent mulcere fluctum, non mercium sed sacrilegij pondere suspicantes agitari nauim, miserunt sortem, vt nouum inuenirent. *Super Ionam sors cecidit*. Accurrite nautæ, festinate, *Ionam* proijcite, in quem Cœlum terraque conspirant. *Iona prius examinatur, quam in mare proijcitur.* Absit, dicunt nautæ semiuiui, sciscitemur priùs *quis sit? vndè venerit, quò vadat, à quo cur, quando, quomodo missus?* ô genus insanum; Tollitur in astra pontus; Lacerata puppis iam mergitur vndis; vna Cœlum placat hostia, quam fouetis in sinu, & crudeli pietate immolare protrahitis. Ionam proijcite? *Non indica nobis*, prius, *cuius causa malum istud sit nobis, quod est opus tuum? quæ terra tua? & quò vadis? ex quo populo es tu?* mysticum est naufragium. Nauis est regnum, nautæ sunt rectores & iudices, quorum est etiam cum vitæ discrimine, accusationis quærere causam, & inuestigare querelas; Cœli namque nec creditur testimonio, priusquàm accusatus defensionem exponat. *Propheta* (ait Grisostomus *homil. de Iona Proph.*) *proditur sorte, & nautæ non illicò eum præcipitare festinant. Sed seruantes velut iudicij disciplinam, cum omni diligentia maturas interrogationes proferebant, & responsa ponebant*. O nautæ, XXIII verè Argonautæ, digni quibus totius Orbis nauim comittamus imperij. Erudimini vos Clagefurtenses, qui sola furti suspicione, accusatorum in furcis ceruices frangitis. Triduò postea inquisitione facta, si furtum fecisse, quo arguebantur, fuerint inuenti, furcis appensos relinquitis. Si innoxij, impensa publica cum honoris elogio sepelitis. *Clagefurti prius occidūtur fures, postea examinantur.* *Fulgosius*. Si in portis ciuitatum, *Lib. 26. c. 1.* tribunalia erigebat antiquitas, ne vel agricola litis causâ veniens, ciuitatis frequentia, XXIV & nouo terreretur aspectu; vel vrbis habitator longè properaret ab vrbe; *Tribunalia in portis.* sed vterque ad sui tutelam liberè & comodè oraret, suam diceret causam; quomodò iudex iniquus vsurpabit præceps non tam aliena bona, quàm vitam? *Vrbanus II.* Romanus Pontifex natione Gallus, Regem Ga- XXV *p. 36. hist. Vir. illust.* latiæ cum tota diœcesi S. Iacobi anathemate ferijt, solùm quia Episcopum carceri dederat inauditum. XXVI *Paul. Morig.* Hoc semper iudex in omni animaduersione seruabit, vt *Iudex cur puniat?*

sciat

sciat alteram adhiberi, vt emendet malos: alteram vt tollat. In vtroque non præterita sed futura intuebitur. Nam vt Plato ait: nemo prudens punit, quia peccatum est, sed nè peccetur. Reuocari enim præterita non possunt: futura prohibentur. Conuiuio ex-
xxvii *Genes. 18* cepti Angeli ab *Abrahamo* in valle Mambri, cum surrexissent, *direxerunt oculos contra Sodomam*. Trino licet lapide distarent à Sodomis, oculos contra Sodomam dirigunt, nec aberrant, sed eò collimantes, nullo distrahuntur obiecto. Semper dubij, & iustitiam meditantes, quamuis superni spiritus falli haud possent, sed à Deo ipso de Sodomorum certiorati nequitià, oculos tamen in Sodomam dirigunt, ne iniusta in
xxviii *Tribunal prope arborem.* innocentem flagella dirigerent. Prope arborem iuris cancellos erigebat Babylon: sicut enim arescit planta, cuius tantumodò rami irrigantur: radix verò sitit, sic iudex non superficiem, laruas, vultus, dignitatem respiciat: inquirat causam, amicitiæ, vel odij vincula tractet, vt de testium fide secernat. Legem *Moyses* exarabat in Sinai,
xxix *Exod. 33* & licet Dominus populum insimularet Iudaicum sacrificasse vitulo, *Vade descende, peccauit populus tuus, fecerunt sibi vitulum conflatilem, & adorauerunt eum*: non ira-
Deo accusante, Moyses cur non damnet? scitur, non turbatur *Moyses*, imò Dominum deprecatur, ne irascatur in populum suum, ne fortè irriderent Ægyptij dicentes: *Callidè eduxit eos, vt interficeret in montibus, & deleret in solitudine*. Hisce argumentis placatus est Dominus. Descendens porrò Moyses de monte, portans duas tabulas testimonij, cum vidisset vitulum & choros, proiecit eas, & confregit. Arripiensque vitulum combussit, contriuit in puluerem, & impiorum sanguine purificauit altare. *Ceciderunt in die illa quasi viginti tria millia hominum*. Cur verò accusante Deo, non irascitur *Moyses*, vltionem non cogitat? solumodò cum videt Idolum, excandet, verberat, occidit, trucidat? Quia cum agitur de pœna, quæ dilata semper exigi potest, exacta autem reuocari non potest, si Deus ipse accuset, inaudito non infligitur; nec sine ordine iudiciario decernitur. Defensionis chorum prius euoca, antequam iudices; quemadmodum Moyses inquit: *vocem cantantium ego audio*: criminis locum visita, *cumque appropinquasset ad castra*. Inspecto crimine, *vidit vitulum*, vocatis ijs, qui deponerent. *Dixitque ad Aaron: & tunc iudicauit indignos*. Altera itaque audiatur pars, vt in pariete Coloniensis aulæ legitur, si vis rectè iudicare.
Vel à tribunali recedas, vt *Philippum Rege Macedonum* vetula quædam, quæ Regem abnuentem audire, quia sibi ocium non esset redarguit: *Si non vis audire, noli etiam regnare.* Idem *Hadriano* Imperatori accidisse, tradit *Dion* Nicæus. *Cum ei*, ait, *mulier fortè occurrisset in via, ab eoque vt se audiret, contenderet: quanquàm primò sibi esse otium negaret, tamen vbi mulier ità exclamare cœpit, Noli igitur regnare: conuersus libenter eam audiuit*. Homo non est, qui criminationibus impulsus, irascitur innocenti. Absentis causam iudex ipse agat, si alius desit, & suspensam iram retineat. *M. Alexander* cum matris legisset Epistolam, qua admonebatur vt à veneno *Philippi* medici caueret, acceptam potionem nonne deterritus bibit? Plus amico, quàm matri detulit. Vnde dignus qui innocentem haberet, dignus qui faceret. *Numitorem* regno digniorem *Amulio* Remus dixit, solùm quia *Amulius* inauditos damnaret, *Numitor* nonnisi cognita causa. *Quid deperit* (ait Tertullianus) *Principi in suo regno dominanti, si reus audiatur? An hoc magis gloriabitur eius potestas, quod etiam inauditum damnabit? Cæterum inauditum si damnet, præter inuidiam iniquitatis, etiam suspicionem merebitur alicuius conscientiæ, nolens audire, quem auditum damnare non possit. in Apolog.* Henricus II. cum Itálum seruum nō adiectà causà carceri dedisset, Iudices priùs admonito Rege, liberarunt hominem. Rege verò iurante, se eum in turpissimo deprehendisse scelere, ac irascente, quod Regi suo minimè crederent, responderunt, *priusquam nascerētur Reges, à natura normam fuisse præscriptam iudicij, quam violare ipsi nefas esset auctori*; propterea accusatum publico carceri iterum eripientes, noctu in Sequanam flumen demerserunt, ne facti insolentia populus superbiret. Ausculta itaque, & imperialis credas officij, ipsos audire nocentes, quorum in tormentis solatium est, cum defensione perire.

Marginal notes (right column): xxx (beside "Vel à tribunali…"); xxxi *Rex nequit esse, qui audire recusat* (beside "regnare. Idem Hadriano…"); xxxii (beside "deterritus bibit"); xxxiii *Plutar. in Romulo.* (beside "nisi cognita causa"); xxxiv (beside "diam iniquitatis"); xxxv (beside "ge, liberarunt hominem"); *Bodinus. In Method. Histor. c. 6.* (beside "merserunt…")

F I N I S.